INSTITUTIONES
JURIS CANONICI
IN TRES PARTES, AC SEX TOMOS DISTRIBUTÆ,

QUIBUS

VETUS ET NOVA ECCLESIÆ DISCIPLINA ET MUTATIONUM CAUSÆ ENARRANTUR

A DOMINICO CAVALLARIO
JURIS CANONICI ET CIVILIS PROFESSORE CONSCRIPTÆ.

TOMUS TERTIUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI EX TYPOGRAPHIA REGIA.
MDCCC.

Se hallará en la Librería de Don Felipe Alverá, *Carrera de San Gerónimo, frente á la calle del Baño.*

In rebus ecclesiasticis non specimen eloquentiæ,
sed Canones apostolici requiruntur.
Julius Papa epist. ad Orientales.

INDEX
CAPITUM SECUNDÆ PARTIS
TOMI TERTII.

CAP.

INS-

INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

PARS II. TOM. III.

De rebus ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Sacramentis in communi.

Rei ecclesiasticæ *notio.*

§. I. Nomine *rei ecclesiasticæ* in hac causa veniunt omnia, quæ animæ salutem homini procurant, & ad exercitium pietatis etiam remote tendunt, modo non sint personæ, neque ecclesiastica judicia. Scilicet generali rei ecclesiasticæ notione & Clerici & sacra judicia comprehenduntur; sed quando *personæ*, *res*, & *ecclesiastica judicia* veluti tria juris canonici objecta habentur, ubi de rebus speciatim agitur, rei ecclesiasticæ nomine personæ & judicia non intelliguntur. Etiam in jure Romano ubi speciatim de rebus agitur, rei nomine intelligitur quidquid est in hominum patrimonio, vel extra patrimonium, modo nec persona sit, nec actio (*a*): at ubi generaliter res describuntur, etiam personæ & actiones veniunt (*b*).

Rerum ecclesiasticarum species.

§. II. Sunt autem res ecclesiasticæ duplicis generis, *spirituales* nempe, & *corporales*. Spirituales sunt, quæ per se ad procurandam animæ salutem sunt comparatæ, quales sunt gratia sanctificans, sacramenta, preces, ritus sacri, jejunia, & hujus generis alia. Et quamvis sacramenta & ritus sacri etiam externis symbolis & actionibus constent; non tamen propterea minus spiritualia sunt, quando ex fine denominantur & describuntur. Res corporales tendunt ad animæ salutem, & ad religionis exercitium, non tamen per se in spiritualem salutem influunt: earumque tres species statui possunt, *sacræ* nempe, *religiosæ*, & *temporales*. Res sacræ Deo & religioni con-se-

(*a*) Vinnius in pr. tit. Inst. de Rer. div.
(*b*) L. Rei V. de V. S.

secratæ sunt, ut divinus cultus exerceatur, veluti vasa sacra, ornamenta sacra, ædes sacræ. Religiosæ sunt domus ecclesiastica auctoritate extructæ, in quibus regulares & virgines Deo dicatæ vitam ducunt, vel etiam pauperes & infirmi sustinentur & curantur. Et demum temporales res sunt, quæ ad clericorum & pauperum sustentationem, ad Ecclesias extruendas & reparandas, ad vasa sacra & cætera, sine quibus publicus cultus peragi nequit, sunt destinatæ, quales sunt oblationes, decimæ, & fundi ecclesiastici. Quod si ecclesiastica prædia aliquando *spiritualia* dicantur (*a*), id improprie fit, quod spiritualibus inserviant, & eo referantur.

Notiones Sacramenti *apud Latinos.*

§. III. Vox *sacramenti* est à *Sacer* vel *sacro* derivata, ita nempe ut à sacro fiat *sacratum*, & inde productiore voce Sacramentum, quod Vossius observat (*b*); ineptiuntque profecto, qui Sacramentum vocem esse compositam putant, quasi à *sacra mente*; duæ enim hujus vocis postremæ syllabæ sunt adjectiones sensu vacuæ, non secus ac in vocibus *pavimentum*, *calceamentum*, *testamentum*. *Sacer* autem, auctore Julio Cæsare Scaligero, acceptum est à Tuscis, qui ita quidquid ad religionem pertinebat vocabant. Et hinc apud Latinos sacramentum (I) significat pecuniam, quam litigantes in loco sacro, vel apud Pontificem ea lege deponebant, ut qui causa esset superior, pecuniam suam auferret, qui vero inferior ærario relinqueret, quod Varro (*c*), & plenius Festus tradit. Unde ille loquendi modus apud Ciceronem (*d*): *Sacramento*, hoc est pecunia deposita, *contendas mea non esse*. Significat etiam (II) ipsam controversiam, pro qua pecunia deponebatur, idque facili translatione à pecunia deposita ad controversiam, pro qua depositum fiebat. Sæpe (III) vero sacramentum sumitur pro juramento, vel pro eo quod juramento adfirmatum, aut factum est, aut pro obligatione contracta ex juramento, idque quia jurantes religionis vinculo se adstringunt. Unde juramentum, quo milites Imperatori suam fidem adstringebant, *sacramentum militare*, & milites ipsi sacramento ligati dicebantur.

Variæ significationes Sacramenti apud christianos.

§. IV. Ab ethnicis sacramenti vocem acceperunt christiani, quam vario sensu usurpant. Et (I) quidem eo nomine designant rem arcanam & occultam, quam Græci μυστήριον dicunt. Quo sensu secundum vulgatam versionem Sacramentum divinæ voluntatis dixit Apostolus (*e*): & Ambrosius *de Incarnationis Sacramento* librum scripsit. Significat quoque (II) vox sacramenti apud christianos ritum quemlibet sacrum; & generatim (III) rem quamlibet, quæ aliquid mystici & spiritualem sensum in se continet. Et hoc posteriori sensu occurrit in Apocalypsi secundum vulgatam versionem *Sacramentum septem stellarum* (*a*), quo Angeli septem Ecclesiarum designantur. Et Augustinus salem ante Baptismum catechumenis dari consuetum *sacramentum catechumenorum* appellavit (*b*): quasi sale illo catechumeni in Christo condiantur, & veram sapientiam gustare incipiant. Interim caute de mysticis rerum sacrarum significationibus oportet pronunciare, nec passim pro ingenio licet ex omnibus sacris ritibus mysticos sensus exsculpere: in quo peccarunt præsertim mediæ ætatis scriptores, qui (quod de Origene testatur Hieronymus) ingenii sui inventiones passim fecerunt Ecclesiæ Sacramenta.

(*a*) Cap. 2 ext. de Judic.
(*b*) Voss. lib. 4. l. 50.
(*c*) Var. Etymol. V Sacramenti.
(*d*) Cic. epist ad Volumnium.
(*e*) Ad Ephes. I. 9.

Receptior Sacramenti *notio.*

§. V. Magis autem propria & usu loquendi ecclesiastico acceptior sacramenti significatio est, qua sacri ritus & externa symbola à Deo ad spiritualem hominum salutem instituta denotantur: in quem sensum Græci etiam vocem μυστήριον usurpant, quod Casaubonus adnotavit (*c*). Unde sic proprie dictum Sacramentum est signum rei sacræ à Deo ad hominum sanctificationem institutum. Vel ut sub nomine Augustini definit Gratianus, *est invisibilis gratiæ visibilis forma* (*d*): quæ definitio non extat quidem iisdem verbis apud Augustinum: at ex ejus dictis facile colligi potuit, ut Romani correctores recte advertunt. In sacris Scripturis res hoc nomine expressa passim occurrit, sed non ita nomen ipsum, quod semel catholica Ecclesia interprete invenitur apud Apostolum, ubi nempe ex vulgata versione matrimonium *magnum sacramentum* appellatur (*e*). Sed usu ecclesiasticorum scriptorum Tertulliani, Cypriani, Augustini aliorumque Latinorum Patrum *sacramenti* vox pro signo rei sacræ, divina auctoritate ad hominum sanctificationem instituto, jam consecrata est: quod quidem omnino satis est, ut sacramentum in hoc sensu accipiatur & usurpetur: usus enim est verborum inventor; usu recepta verba ad novas notiones transferuntur; penes usum est jus & norma loquendi. Multa quoque alia ecclesiastica nomina in Scripturis non occurrunt, veluti *Trinitas* ὁμοούσιος *Deipara*, aliaque, quæ tamen, quando de re ipsa constat, non propterea licet repudiare. Et recte observavit Buddeus (*f*), Socinianis quibusdam vocem sacramenti potius displicere, quod rem ipsam eliminatam ab Ecclesia velint, quam quod in Scripturis non inveniatur.

Auc-

(*a*) Apocalyps. I. 20.
(*b*) Aug. lib. 2. de Peccator. merit. cap. 26.
(*c*) Casaubon. exercit. 16. in Baron.
(*d*) Can. XXXII. de Cons. D. 2.
(*e*) Ad Ephes. V. 32.
(*f*) Bud. Instit. Theolog. dogm, lib. 4. cap. 1. §. 16.

Auctor Sacramentorum Deus.

§. VI. Tria itaque sunt necessaria ac sic proprie dictum sacramentum constituendum; debet nempe (I) esse à Deo institutum & præceptum; constare debet (II) signo sensibili, & propterea (III) hominum sanctificationem spectare; quorum si unum deficiat verum sacramentum non est. Et ad primum quod spectat, causa efficiens principalis sacramentorum dubio procul solus Deus est. Qui enim hominibus gratiam & sanctitatem potest procurare, is solus media dare potest, quibus eam consequantur. Et re ipsa sacramenta vetera Deus omnia dedit & instituit, novæ vero legis Jesus Christus, qui utpote Deus simul & homo eadem, qua Pater, donatus erat potestate. Inde recte Ambrosius, seu quisquis sit auctor libri *de Sacramentis* inquit: *Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De cœlo ista sacramenta venerunt* (*a*). Et de Christi latere lancea perfosso affirmat Augustinus (*b*): *Inde sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* Et quamvis non omnia & singula novæ legis Sacramenta veluti à Christo instituta in Scripturis memorentur, non propterea in christiana religione sunt aliqua sacramenta, quæ Christus non instituit. Credere enim par est per illos dies quadraginta, quibus post resurrectionem Christus discipulis apparuit, & cum eis de regno Dei locutus est (*c*), Sacramenta illa tradidisse, quorum in Scripturis institutio non memoratur (*d*). Apposite Leo M. (*e*): *Non ergo ii dies, qui inter resurrectionem Domini adscensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu; sed magna in his confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria.* Unde errarunt Hugo à Sancto Victore & Petrus Lombardus, qui extremam unctionem ab Jacobo Apostolo, de mandato tamen Christi, crediderunt institutam: quam opinionem quamvis diserte non damnarint Tridentini Patres; tamen qui hodie ita sentiret temeritatis notam non effugeret. Poterat quidem Christus pro sua auctoritate etiam aliis facere instituendorum Sacramentorum potestatem; at id minime fecit, ne in homine spem homines ponerent, & ne diversa essent sacramenta, unde in Ecclesia divisiones nascerentur, quod Augustinus observat (*f*).

Sacramenta constant rebus sensibilibus.

§. VII. Porro ad Sacramenti proprie dicti naturam pertinet, ut re quadam externa, seu externo quodam symbolo constet: quod docent omnes Patres, qui in Sacramentis formam visibilem agnoscunt et inculcant. Summa vero sapientia signa sensibilia selegit Deus, ut ve-

(*a*) Ambros. lib. 4. de Sacr. cap. 4.
(*b*) Aug. lib. 15. de Civ. Dei cap. 16.
(*c*) Act. I. 3.
(*d*) Conf. N. Alex. lib. 2. Theol. dogm. & mor. tr. 1. c. 6.
(*e*) Serm. 1. de Adscen. Dom.
(*f*) Aug. tract. 5. in Joan.

veluti instrumenta & canales essent, quibus beneficia sua elargiretur. Scilicet propter primi parentis labem homines à dignitate sua dejecti, fere tantum rebus sensibilibus afficiuntur, & res spirituales & divinas, nisi sensuum externorum ope, non intelligunt. Itaque Deus pro nobis omnia veluti factus humanæ se aptavit imbecillitati, & gratiam suam sub tegumento rerum corporalium voluit effundere, ut ita homines ad rerum divinarum intelligentiam attollerentur. Egregie Chrysostomus (*a*): *Nihil sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus quidem sensibilibus. Omnia vero, quæ tradidit insensibilia sunt.... Nam si tu incorporeus esses, nuda ipsa dona incorporea tradidisset tibi: quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* Eadem est sententia Augustini (*b*): *Sacramenta exercitia sunt, quæ certiorem verbi Dei fidem nobis faciunt: & quia carnales sumus, sub rebus carnalibus exhibentur; ut pro tarditatis nostræ captu nos erudiant, ac perinde ac pueros pedagogi manu ducant.*

Et ad hominum spiritualem salutem tendunt.

§. VIII. Quod vero tertio loco ad proprie sic dicti Sacramenti naturam constituendam censetur necessarium, est, ut symbola externa divina auctoritate instituta ad hominum sanctificationem & Dei cultum pertineant. Etenim ea ratione Deus hominibus dedit sacramenta, ut eorum usu sanctificarentur, ut cultum necessarium Deo exhiberent. Ita baptismus verum sacramentum est, quod non tantum externa cæremonia à Deo instituta constat, verum etiam homines sanctificat, eosque veros Dei cultores efficit. Ad rem Augustinus (*c*): *Sacramenta novi testamenti dant salutem, sacramenta veteris testamenti promiserunt salvatorem.* Et Chrysostomus sacramenta σύμβολα τῆς σωτηρίας ἡμῶν, *salutis nostræ symbola* appellat (*d*). Similiter Tridentini Patres docent per sacramenta Ecclesiæ omnem salutem incipere, vel cœptam augeri, vel amissam reparari (*e*). Unde si quæ signa sint, quæ à Deo quidem instituta aliquid etiam mystici contineant, non tamen ad homines sanctificandos spectent, à censu verorum sacramentorum excluduntur, tantumque lata significatione sacramenta sunt: quo modo iris sacramentum fuit, quod fœderis Deum inter & homines initi signum erat, non quod homines sanctificaret.

Rationes institutorum sacramentorum.

§. IX. Pluribus vero rationibus Deus hominibus dedit sacramenta. In primis (I) eorum institutione necessariam in Jesum Christum fidem voluit sustinere, & ob oculos ponere. Scilicet in Adamo perdi-

(*a*) Hom. LXXXIII. in Matth.
(*b*) August. hom. LXXXVI. in Joann.
(*c*) In Psal. LXVII.
(*d*) Chrysost. hom. LXXXVI. in Joan.
(*e*) Trid. init. sess. VII.

ditum humanum genus pro bonitate & misericordia sua voluit reparare, & in jus amissæ beatitatis restituere. Itaque statim ab ipso primi hominis lapsu promisit mediatorem, in cujus fide homines servarentur. Nec enim aliud sub cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (*a*). Unde principale hebraicæ religionis dogma fuit, venturum olim à Deo promissum reparatorem, qui homines redimeret, ejusque fidem ad salutem esse necessariam. Quo vero fides mediatoris conservaretur, & veluti factis ipsis exhiberetur, Deus Sacramenta instituit, quæ vel venturum Messiam adumbrarent, vel jam natum exhiberent. Nec enim vel ante vel post Christi adventum disertius fides in mediatorem excitari, & foveri potuit, quam externis symbolis, quibus homines utentes necessariam fidem testarentur. Et hinc elucet summa Dei misericordia, qui eo ipso quo per Jesum Christum voluit homines redimere, sub externis symbolis eum veluti ob oculos continuo habendum exhibuit. Ipsa quoque (II) Deo debita religio Sacramenta postulabat, ut homines in veram religionem adunarentur, & cultum uni Deo debitum rite & recte exhiberent: quemadmodum enim Augustinus observat, *in nullum nomen religionis seu verum seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur* (*b*).

Veteris legis Sacramenta.

§. X. Quando autem divina Sacramenta mediatorem, in quo omnes homines servantur, vel promittunt, vel exhibent, duplicis generis sunt, & *vetera* nempe, & *nova*, quorum illa ad tempus spectant, quo Messias expectabatur, hæc vero ad tempus, quo promissus Messias jam advenit. Et veteris quidem testamenti sacramenta plura fuerunt, nempe *circumcisio, agni paschalis in azymis comestio, Sacerdotum ordinatio, victimarum oblationes, esus sanctificatorum*, exceptis *panibus propositionis*, qui tantum in loco sancto à Sacerdotibus edebantur, variæ *purificationes* & *expiatio* annua populi duobus hircis, de quibus omnibus late theologi, in primis Natalis Alexander (*c*). Omnia ista sacramenta, quibus Judæi utebantur, venturum Messiam prænuntiabant, & ejus fidem necessariam sustinebant. *Sacramenta veteris testamenti*, inquit Augustinus (*d*), *promiserunt salvatorem*. Erant vero ex divino præcepto solis Hebræis, non item aliis gentibus necessaria, non tamen omnia singulis, sed prout capaces erant, & indigebant. Sane Deus eorum usum Hebræis tantum præcepit: nec reliquæ gentes participes esse poterant (*e*). Et quamvis cir-

(*a*) Act. IV. 12. 1. ad Tim. II. 5. 2. ad Cor. 5. 19.
(*b*) Aug. lib. 29. contra Faustum cap. 21.
(*c*) Diss. 3. in 4. mundi ætatem art. 4.
(*d*) Aug. in Psal. LXVII.
(*e*) Exod. XII. 43. & seqq.

circumcisio ad solos Abrahami ex Isaaco posteros spectasse videatur, utpote quæ signum erat Messiæ ex Isaaco nascituri; non tamen reliqui ab Abrahamo oriundi ejusque domestici à circumcisione exclusi sunt (*a*): siquidem fœdus à Deo cum Abrahamo percussum præter promissionem Messiæ ex Isaaco nascituri, spectavit etiam reparationem humani generis in Messia promissam, quo nomine ad omnes Abrahami posteros circumcisio extensa est, ut doctrina de Messia in ea incisione expressa latius propagaretur, & ubi obscurata erat, iterum vigeret. Quod si ex gentibus aliqui ad Judæos transibant, tum judaicis sacramentis tenebantur (*b*), & proselyti audiebant.

Quî gentes olim salvari poterant.

§. XI. Interim reliquæ extra judaismum gentes ante Christum sine externis signaculis æternam salutem consequi poterant, modo cum aliqua mediatoris fide, etiam obscura, religionem naturalem observarent. Omnium hominum, qui in Adamo lapsi sunt, misertus est Deus (*c*). Et revera exemplo Job probat Augustinus præter Judæos fuisse homines justos, qui non terrena, sed spirituali societate ad veros Israelitas pertinebant: fuit enim ex sententia Augustini Job genere Idumæus (*d*). Non tamen homines extra judaismum sola religionis naturalis observantia servari poterant, sed aliqua mediatoris fides etiam erat necessaria, qua ad minimum crederent, Deum humanæ salutis procuratorem per aliqua media mortales in vitam æternam reparaturum (*e*). Sola enim naturalis religio, quamvis verissima, media non exhibet, quibus homines lapsos Deus servare statuit (*f*). Notitia autem ista mediatoris ad gentis primum ab ipso Adamo, inde post diluvium à Noacho ejusque filiis propagata est, quamvis in tot tantisque humanæ naturæ tenebris plurimum obliterata fuerit, & tantum non deleta. Eo quoque ex divina providentia spectasse videntur variæ gentis judaicæ vices, captivitates, & cum variis populis commercia; ut ita nempe opera Judæorum inter alias gentes reparatoris memoria aut obscurata, aut obliterata renovaretur (*g*). Et reipsa apud gentes, in primis Græcos, multi fuerunt, qui magistrum necessarium asserebant, qui homines errantes veluti manu duceret, & illuminaret: ad cujus magistri necessitatem respexisse videtur Aristoteles, qui hominibus deesse scientiam superiorem, unde reliquarum principia pendent, toties agnoscit: ut mittam quod paulo ante Christi adventum rumor per imperium Ro-

(*a*) Confer. Buddeus lib. 4. Inst. Theolog. dogm. cap. 1. §. 15.
(*b*) Exod. XII. 48.
(*c*) Ad Rom. XI. 32.
(*d*) Aug. lib. 18. de Civ. Dei cap. 47.
(*e*) Aug. epist. XLIX. quæ est ad Deogratias, q. 2. Confer. Canus Relect. de Sacram. in genere part. 2.
(*f*) Buddeus lib. 1. Inst. Theol. dogm. cap. 1. §. 16. & seqq.
(*g*) Confer. Buddeus lib. 4. Inst. Theol. dogm. cap. 1. §. 13.

Romanum increbuerat, Judæos reparatorem exspectare, cujus adventu universus orbis renovaretur (*a*). Omnino tamen ad notitiam mediatoris nec λόγος, nec decantata Platonis trinitas pertinere videtur; qui enim penitus in Platonicam triadem inquisiverunt, observarunt, nomine τοῦ λόγου Platonem duo intelligere, mentem nempe & divinam intelligentiam, quæ mundum condidit, & mundum ipsum visibilem, quem veluti Dei filium describit (*b*). Et profecto minus recte veteris Ecclesiæ Doctores, præsertim Clemens Alexandrinus & Eusebius Platonem in causa trinitatis veluti χριστιανίζοντα repræsentant, nisi hoc fecerint, ut tanti philosophi auctoritate bonum nomen religioni conciliarent.

Sacramenta vetera in morte Christi desierunt.

§. XII. Sacramenta autem ista vetera & omnis legalis cæremoniarum apparatus in morte Christi obligare desierunt. Cessare enim figuras oportebat illius, quem figurabant, adventu. Initio tamen christianismi plerique ex Judæis christiani adhuc Mosaycos ritus veluti necessarios servarunt: cui opinioni propter reverentiam paternarum traditionum adhærebant. Apostoli vero quamvis scirent, christianos omnes à jugo legis cæremonialis solutos esse, per quamdam tamen συγκατάβασιν & ex libertate sacramenta judaicæ gentis & ritus usurparunt, ad captum & infantiam eorum, quos Christo lucrari cupiebant. Et hinc testatur Apostolus, cum Judæis se tanquam Judæum gessisse, cum gentibus vero tanquam qui legem Mosaycam non haberet (*c*). Et quamvis in Concilio Hierosolymitano Apostoli & seniores particulam legis Mosaycæ, abstinentiam nempe ab immolatis sacrificiorum, sanguine & suffocato fratribus ex gentibus veluti necessariam imposuerint (*d*); id tamen factum est sapienti œconomia, ne fratres ex Judæis adhuc infirmos, qui contendebant, christianos ex gentibus ad circumcisionem & legis observantiam adstringi, despicere viderentur. Nam alias sciebant Apostoli, in Christo præputium nihil valere, sed novam creaturam (*e*). Sed inde amplius evangelii lumine diffuso necessitatem legis cæremonialis sine ulla exceptione in litteris ad Galatas Apostolus profligavit contra alios falsos fratres, qui etiam contendebant, Mosaycos ritus ad salutem christianis esse necessarios, docuitque christianos non observantia legis, sed fide in Christum justificari. Qua doctrina necessitatem legis Apostolus rejecit, non vero prohibuit, ne christiani ex Judæis interim ex libertate Mosaycos ritus usurparent. Sed tandem postquam evangelium longe lateque promulgatum est,

(*a*) Confer. Deslandes Histoire critique de la philosophie lib. 8. cap. 34. n. 2.
(*b*) Deslandes in opere cit. lib. 4. cap. 20. num. 10. & seq.
(*c*) 1. ad Cor IX. 20. & seq.
(*d*) Act. XV. 28. & seq.
(*e*) Ad Galat. VI. 15.

est, Mosayci ritus cum honore sepulti sunt: & si qui ex iis superfuerunt, potius ut christiana, quam judaica instituta debent reputari.

Sacramenta novæ legis Christum natum exhibent.

§. XIII. Judaicis Sacramentis in morte Christi abrogatis christiana Sacramenta successerunt, quæ diversam naturam habent. Etenim quemadmodum illa Christum venturum demonstrabant, ita hæc illum pro nobis natum & mortuum exhibent. Scilicet quum per mediatorem Jesum Christum homines serventur, necesse omnino erat, diversa omnino esse Symbola Christi jam nati ab iis, quæ eum venturum indicabant. Ita Christus novis Sacramentis implevit potius, quam legem dissolvit; etenim Sacramenta vetera in nobis impleta sunt omnia. Præclare Augustinus (*a*): *Prima Sacramenta, quæ observabantur, & celebrabantur ex lege, prænuntiativa erant Christi venturi. Quæ quum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt omnia, & ideo ablata, quia impleta: non enim venit solvere legem, sed adimplere; & alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Omnis itaque mutatio, quæ in hac causa facta est, in figuris fuit, non in fide, quæ eadem est in novis Sacramentis, sed expressior & clarior; nam quæ fides antea umbris involvebatur, in novis Sacramentis clarior facta est, & veluti sensibus subjecta.

Et septem numero sunt.

§. XIV. Sacramenta autem ista novæ legis septem numero sunt, Baptismus nempe, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extremaunctio, Ordinatio & Matrimonium; quod dogma fidei est à Patribus Tridentinis contra Lutheranos, & Calvinianos definitum (*b*). Sane & sacris Scripturis & Patrum traditione diserte demonstratur, eorum singula ex divina institutione externis constare signis, quibus gratia annexa est (*c*). Et quamvis nec in novo testamento, nec in Patrum operibus diserte dicatur, septem esse christiana Sacramenta: id tamen non efficit, quo minus septem sint, quando constat, eorum unumquodque verum esse Sacramentum. Nunquam Scriptura memorat, quatuor esse Evangelia; an propterea licet quaternarium Evangeliorum numerum in dubium revocare? Ideo vero Patres videntur de Sacramentorum numero septenario nihil dixisse, quia pro opportunitate de hoc, vel illo, non de omnibus simul egerunt, præsertim quum nullum tum fuerit, qui de numero Sacramentorum lites excitaret. Primus, qui septenarium Sacramentorum in-

(*a*) Lib. 19. contra Faustum cap. 13.
(*b*) Trid. sess. VII. de Sacr. Can. I.
(*c*) Confer. Nat. Alexand. lib. 2. Theol. dogm. mor. tract. 1. cap. 4. Juenin. diss. I. de Sacram. q. 2. cap. 4. Drouven de Re Sacram. lib. 1. q. 3. cap. 2.

indicem confecit, Petrus Lombardus, sæculi XII. scriptor, fuisse videtur. Nihil vero mystici in eo numero continetur: & male profecto theologi quidam in Concilio Tridentino (quasi essent in scholis Pythagoricis eruditi), ad eum numerum adstruendum varia mysteria, seu potius ineptias numeri septenarii in medium protulerunt (*a*). Septem Christus Ecclesiæ suæ Sacramenta dedit, quod pro sapientia sua ad ejus fundationem & stabilitatem septem intellexit necessaria (*b*).

Signa sacramentalia rebus & verbis constant.

§. XV. Jam vero duabus veluti partibus constant Sacramenta, sacro nempe ritu, & re invisibili, quæ sacrum ritum consequitur. Et ad sacrum ritum quod spectat, is rebus & verbis coalescit. Res, vel ut alio nomine Patres dicunt, *elementa*, in hac causa non solum sunt res corporeæ, verum etiam actiones sensibiles, veluti in Confirmatione & sacris ordinationibus manuum impositio. Unde invaluit apud Patres doctrina, Sacramenta rebus, seu elementis, & verbis constare. Alio vocabulo res & verba antiqui Patres dicebant *Sacramentum*: in qua significatione nomen Sacramenti stricte accipiebant pro omni eo, quod in Sacramentis sensibus subjicitur. Et ita etiam docent in omni Sacramento duo reperiri, *Sacramentum* nempe & *rem Sacramenti*, hoc est sensibilia signa & effectum invisibilem. Tum vero ex rebus & verbis fiunt Sacramenta, quum ex ritu præscripto verba elementis accedunt: nam per se elementa à verbis separata non constituunt Sacramenta. Scilicet res natura sua ad plura indifferentes sunt, & ita per verba in usum à Deo præscriptum determinari debent. *Verbo*, inquit Augustinus (*c*), *Baptismus consecratur. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Unde in actione rebus & verbis ex divina auctoritate constante natura Sacramentorum consistit. Et hanc integram actionem antiqui Patres nomine *signi sensibilis*, vel *formæ* (*d*) dicebant: quo spectat definitio illa, *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma* (*e*), *ubi formæ visibilis* nomine venit integer sacer ritus rebus & verbis expressus.

Formulæ scholasticæ de signis sacramentalibus.

§. XVI. Atque hisce loquendi formulis per XII. ferme sæcula rem sacramentariam Ecclesia & ecclesiastici scriptores proposuerunt; at inde rebus ipsis immutatis verborum conceptiones mutatæ sunt. Etenim res & verba Sacramentorum nominibus *materiæ & formæ* cœpe-

(*a*) Suavis Historia del Concilio Tridentino lib. 2. num. 85.
(*b*) Drouven loco cit. §. 3.
(*c*) Tract. 80. in Joann.
(*d*) Can. IX. & XXXVIII. D. 4. de Consec.
(*e*) Can. XXXII. D. 2. de Consec.

perunt designari: quæ loquendi formulæ ex sinu peripateticæ philosophiæ dimanarunt, iisque, observante Morino (*a*), primus Guilelmus Antissiodorensis, qui paulo post annum CIↃCCXXV. scribebat, usus est. Scilicet postquam ex Arabum fæcibus cœperunt sapere occidentales, omnia etiam sacra ex genio & formulis philosophiæ dominantis tractarunt. Itaque quod spectat ad Sacramenta, voces *materiæ & formæ* aptissimæ visæ sunt, quibus res & verba exprimerentur. Etenim quemadmodum in physicis materia ad omnia indifferens per formam ad certam speciem ex placitis scholarum determinatur, ita res Sacramentorum ad plura indifferentes per verba sacrum usum accipiunt. Unde per quandam analogiam in signis sacramentalibus materiam, & formam scholastici invenerunt, & iisdem nominibus cœperunt explicare. Et quoniam non tam res, quam rerum usus Sacramenta constituit, hinc materiam in *remotam & proximam* tribuerunt: & illam quidem dicunt rem ipsam, quæ est ad conficiendum Sacramentum adhibenda, qualis est aqua, oleum; hanc vero ipsum rei usum, qualis est ablutio, unctio. Semel usurpata vocabula magis magisque invalescente scholastica philosophia apud Latinos in usum assiduum abierunt, hactenus ut ipsa Ecclesia eadem sua fecerit & adoptarit. Sed Græci, si paucos excipias, qui Romæ theologiæ operam navarunt, quid sibi velint voces *materiæ & formæ* in causa Sacramentorum ignorant: quod Petrus Arcudius, Græcus theologus, theologiæ & philosophiæ scholasticæ peritissimus, testatur (*b*). Nos deinceps etiam *materiæ & formæ* vocibus utemur, ita tamen ut subinde Patrum formulas præferamus.

Signa sacramentalia sunt immutabilia.

§. XVII. Jam vero res & verba in omnibus novæ legis Sacramentis ex Christi institutione dependent: & partim in Evangelio disertis verbis reperiuntur, partim arcana traditione ad nos usque pervenerunt. Disciplina arcani, quæ mysteria nostra occultari præcipiebat, Patribus impedimento fuit, ne receptas Sacramentorum formas scriptis consignarent (*c*). Unde res & verba, quæ in Sacramentis sunt apostolicæ traditionis, immutabilia sunt, & in omnibus Ecclesiis eadem semper fuerunt, & etiam nunc sunt, non quidem per omnia, sed quod attinet ad substantiam, quod re maturius discussa Morinus observavit (*d*). Ritus omnino varii & diversi, quos in conficiendis Sacramentis Ecclesiæ usurpant, non spectant ea, quæ sunt apostolicæ traditionis, sed tantum ea, quæ lapsu temporis ad Sacramenti solemnitatem & significationis ampliationem ab Ecclesia addita sunt. Quod si observassent Hallierius, Arcudius aliique

(*a*) Morin. de SS. ordinat. part. 3. exercit. 1. cap. 3. n. 6.
(*b*) Arcud. lib. 4. Concord. cap. 3.
(*c*) Innocent. I. ep. ad Decentium.
(*d*) Morin. lib. 8. de Administr. Sacr. Pœnit. cap. 18.

que viri docti non tenuissent, aliquorum Sacramentorum materias & formas non à Christo, sed ab Ecclesia ex Christi auctoritate fuisse institutas. Quæ quum ita sint, si Ministri in conficiendis Sacramentis omittant, mutent, addant, quod materiæ & formæ tollit veritatem, Sacramenta irrita sunt & inania: & ipsi Ministri sacrilegi sunt, & rerum divinarum pessimi temeratores. Verum si mutatio sit accidentalis & contra formam ab Ecclesia propria præscriptam, valent quidem Sacramenta, sed graviter peccant Ministri, qui ex contemptu, vel negligentia tales mutationes inducunt. Quod si Ministri formulas sacramentales in hæreticum sensum intelligant, sed in verbis hæresim non exprimant, valent Sacramenta, quod docet Augustinus (*a*). Significatio enim verborum non ex intentione proferentis, sed ex verbis ipsis usu communi ad significandum adhibitis desumitur. Unde olim ratum habuit Ecclesia baptismum Arianorum, qui ex forma Ecclesiæ baptizabant, quamvis de Filio non recte sentirent (*b*).

Forma conditionalis ejusque usus.

§. XVIII. Forma vero sacramentalis aut pura est, aut conditionalis: & pura quidem si absolute pronuncietur, conditionalis vero si addatur conditio, veluti *si non est baptizatus, ego te baptizo.* Nullus olim fuit in Sacramentis conficiendis formæ conditionalis usus: etenim in quibus casibus nunc Ecclesia sub conditione dat Sacramenta, quæ non iterantur, ea antiqui Patris absolute conferebant, nec in crimen reiterationis credebant incurrere. Non videri iteratum ajebant, quod non certis argumentis rite peractum constabat, quam regulam Leo M. & Gregorius M. proponunt (*c*). Primum formula conditionalis nono sæculo in capitularibus Caroli M. præscripta est, quo casu baptismum datum non constabat (*d*): at regula in capitularibus condita peculiaris fuit, nec post capitularia in tribus sequentibus sæculis formæ conditionalis in Occidente magnus usus fuisse videtur. Tum sæculo XII. Alexander III. decretalem emisit, qua in casibus, quibus de baptismo dato dubitatur, dari sub conditione *si non est baptizatus* baptismus præcipitur. Quam decretalem codici suo Gregorius IX. inseruit (*e*). Sed non ante publicatum codicem Gregorianum latinæ omnes Ecclesiæ ejus formæ usum receperunt, quod non ante Alexandri decretum ubique innotuisset. Quo factum ut multi Doctores, in primis Petrus Cantor, paulo ante Gregorium IX. formulam conditionalem rejecerint. Interim semel in Sacramentis admissa formula conditionalis tantum ex usu Ecclesiarum locum habet in Sacramentis, quæ non iterantur, quo casu ea col-

(*a*) Can. LXVIII. D. 4. de Consecr.
(*b*) Confer N. Alexander lib. 2. Theol. dogm. & mor. tract. 1. cap. 3. & Juenin. diss. de Sacram. q. 3. cap. 6.
(*c*) Can. CXII. de Consec. D. 4. Greg. M. lib. 12. ep. XXXII. ad Felic.
(*d*) Cap. Reg. Franc. lib. 6. cap. 181.
(*e*) Cap. 2. ext. de Baptism.

collata fuisse, vel de eorum valore dubitatur: qui enim post Alexandrum III. usque ad Concilium Tridentinum scripserunt Doctores, tria tantum Sacramenta Baptismum, Confirmationem & Ordinem meminerunt, ubi de formula conditionali agunt. At inde ex sententia nonnullorum scholasticorum etiam in absolutione aliquis formulæ conditionalis usus esse cœpit, quo casu Minister dubitet, an verba absolutionis protulerit, vel etiam an subjectum absolutionis capax sit (*a*).

Sacramenta signa sunt.

§. XIX. Jam vero non tantum externa forma, seu rebus sensibilibus constant Sacramenta; verum etiam re invisibili, quam externa forma significat. Nec sane alias essent Sacramenta, nisi occultam & reconditam significationem haberent. In Sacramentis, inquit Augustinus (*b*), *aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem.* Unde Sacramenta omnia vera signa sunt; signum enim præter speciem, quam ingerit sensibus, in alterius rei cognitionem nos deducit: & Sacramenta sub rerum sensibilium tegumento internam virtutem & Dei dona manifestant. Id tamen non vi propria, sed ex Dei O. M. voluntate habent, ac proinde ex eo genere signorum sunt, quæ ab arbitrio pendent, non quæ natura significant. Quo vero homines divina beneficia clarius intelligerent, eas res externas Deus symbola Sacramentorum esse voluit, quæ similitudine quadam rebus ipsis respondent, quod Augustinus observavit (*c*). Ita baptismus animi sordes eluit, ideoque in aqua exhibetur, Eucharistia animam nutrit, & ideo sub panis & vini specie continetur, & ita porro de aliis (*d*).

Sacramenta novæ legis conferunt gratiam.

§. XX. Res invisibiles, quas Sacramenta significant, sunt præcipue duo, *gratia* & *character*. Et quod spectat ad primum, Sacramenta novæ legis continent gratiam, quam significant, eamque semper & omnibus, qui obicem non ponunt, elargiuntur. Sane dant novam vitam, remittunt peccata, dant Spiritum sanctum & vitam æternam, quod luculentis scriptorum testimoniis demonstratur (*e*). Unde errant quotquot ex hæreticis tenent, Sacramenta mera esse signa justificationis per solam fidem receptæ, aut nostræ adversus Deum pietatis testimonia. Non enim sola fide homines justificantur, quando ita placuit Deo per media sensibilia salutem nostram operari. Et merito Tridentini Patres eos damnarunt, qui asserebant, Sacramenta novæ legis gratiam, quam significant, non continere (*f*). Gratia autem in Sa-

(*a*) Confer. Juenin. loc. cit. art 2.
(*b*) Can. LVIII. de Consecr. D. 2.
(*c*) Aug. ep. XXIII. ad Bonif.
(*d*) Confer. Canus in Relect. de Sacram. in genere part. 1.
(*e*) Confer. Nat. Alexander lib. 2. Theol. dogm. & moral. tract. 1. cap. 5. art. 1.
(*f*) Trid. sess. VII. de Sacram. cap. 6.

Sacramentis collata non solum peccata remittit, verum etiam hominum cordibus inhærens, eos interius renovat, & ex injustis justos & Dei amicos facit, eamque propterea theologi *sanctificantem* appellant. Non tamen semper Sacramenta suscipientes sanctificant, sed si nullum obicem ponant, hoc est si ex fide & debitis dispositionibus accedant. Interim gratia in Sacramentis collata non eodem modo in suscipientibus sanctitatem operatur: etenim Baptismus & Pœnitentia amissam sanctitatem restituunt, cætera vero per se justitiam augent & perficiunt: unde doctrina de *prima* & *secunda gratia* manavit. Utrum vero gratia, qua justificamur, qualitas quædam sit animæ impressa, quæ ipsi præstet & esse & vivere, unde consequantur virtutes quædam tum theologicæ, tum morales infusæ, per quas anima supranaturales actiones habeat, in scholis disputatur, quod Melchior Canus tradidit (*a*).

Et quidem ex opere operato.

§. XXI. Nec tantum christiana Sacramenta sanctificantem gratiam elargiuntur, verum etiam ipsam conferunt virtute operis externi à Ministro rite peracti, non ex sanctitate Ministrorum & meritis suscipientium, quæ tanquam causæ effectrices & meritoriæ concurrant. Atque hoc est quod barbara & demum ætate D. Thomæ inventa formula dicitur, Sacramenta *ex opere operato* gratiam conferre: quod catholicæ Ecclesiæ dogma est à Patribus Tridentinis confirmatum (*b*). Sane Scripturæ & Patres vi propria constare docent christiana Sacramenta, non meritis dantium aut suscipientium, ita nempe ut statim ac Ministrorum opera verba elementis accedant, gratia ex summa Dei benignitate tribuatur (*c*). Et reipsa infantes in Baptismo gratiam vi operis externi, non ex propriis meritis accipiunt. Quo vero virtus operis externi in Sacramentis se exerat, & gratiam effundat, ad eam suscipiendam subjecta apta esse oportet. Nec enim dum docet Ecclesia, christiana Sacramenta *ex opere operato* gratiam elargiri, nullam in adultis suscipientibus requirit dispositionem. Conferre gratiam *ex opere operato* dicuntur Sacramenta, quod sint causæ per se operantes, non quod minus dignos etiam sanctificent. Bona opera suscipientium sunt dispositiones, ut virtus Sacramentorum operetur: se habent respectu gratiæ producendæ, sicut siccitas in ligno respectu flammæ, quæ inde erumpit; nec enim quod sine apta materia ignis non operatur, minus verum est, vi sua ignem ardere. Et calumniantur profecto Lutherani & Calviniani, qui affirmant, secundum Patres Tridentinos ad gratiam in Sacramentis suscipiendam non requiri fidem & bona suscipientium opera, sed tantum præsentis ad peccandum affectus remotionem: quam esse apertam calumniam ipsi Tridentini Patres aperuerunt (*a*). Atque ex his omnibus constat, christiana Sacramenta esse signa secunda gratiæ, non tantum eam significare.

(*a*) Melch. Canus lib. 7. de Locis cap. 2.
(*b*) Trid. sess. VII. de Sacram. Can. VIII.
(*c*) Conferatur Drouven. de Re Sacram. lib. 1. q. 4. cap. 1. §. 1.

Qui Sacramenta vetera justificabant.

§. XXII. In hoc autem à novæ legis Sacramentis vetera distabant, quæ per se tantum Christum venturum exhibebant, justitia vero, quæ inde sequebatur, potius ex fide suscipientium vel parentum erat, quam ab ipsis Sacramentis, quod Synodus Florentina definivit. Sane Apostolus vetera Sacramenta *infirma & egena elementa* dicit (*b*), quod nempe propria vi gratiam non effunderent. Et alio loco dicit *umbram futurorum, corpus autem Christi* (*c*). Et de circumcisione, quæ Sacramentum initiationis erat, aperte docet, eam per se nihil valere, eamque propterea novæ creaturæ opponit (*d*). Quod vero rei caput est, idem Apostolus docet, ex operibus legis, inter quæ principem locum obtinebat circumcisio, hominem non justificari (*e*). Itaque vetera Sacramenta tantum mediatoris fidem sustinebant, salus vero à fide proficiscebatur. Adnotarunt hanc veterum & novorum Sacramentorum differentiam veteres Patres, in primis Hieronymus (*f*) & Augustinus, cujus præclarum illud: *Sacramenta novi testamenti dant salutem, Sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem* (*g*). Et quamvis in Scripturis sæpe occurrat, peccata veteribus sacrificiis fuisse expiata (*h*), tamen expiationes illæ legales immunditias, quæ homines à divino cultu veluti profanos arcebant, non ipsam peccatorum culpam spectabant (*i*).

Qui christiana Sacramenta gratiam conferunt.

§. XXIII. Sed quo tandem modo Sacramenta novæ legis gratiam effundant & operentur, de more scholastici quæsiverunt: qui tamen ut in re difficili & ultra humanæ mentis captum posita solet evenire, in varias sententias abierunt, quas Canus enarrat (*k*). Earum sententiarum duæ in primis celebrantur. Etenim multi post B. Thomam docent, Deum Sacramentis ipsis gratiam indidisse, & hinc eam *physice* conferre, non secus ac ignis & sol ignem & calorem producunt. Contra Franciscani theologi tenent, christiana Sacramenta esse causas motivas divinæ voluntatis, quibus rite adhibitis ad danda sua beneficia Deus movetur, quem agendi modum passim *moralem*

(*a*) Trid. sess. VI. c. 6. & sess. XIV. de Necess. & Instit. Sacr. Pœnitent. c. 4.
(*b*) Ad Galat. IV. 9.
(*c*) Ad Coloss. II. 17.
(*d*) Ad Galat. VI. 15.
(*e*) Ad Rom. III.
(*f*) Com. in ep. ad Galat.
(*g*) August in Psal. LXVII. Confer. Melchior Canus Relect. de Sac. in genere part. 9.
(*h*) Levit. I. 4. & V. 15. & seq.
(*i*) Nat. Alexand. Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. 1. cap. 2. prop. 4.
(*k*) Canus loc. cit.

lem appellant, quæ sententia divinis eloquiis & Patrum sententiis magis videtur conformis. Sane Apostoli Sacramenta conferentes, Deum rogabant, ut Spiritum sanctum elargiretur. Et antiquæ multorum Sacramentorum formulæ deprecativæ erant, non indicativæ; id quod probat, Sacramenta non in se gratiam continere, sed esse causas motivas, quibus Deus ad eam conferendam movetur. Patres quoque in primis Hieronymus, Ambrosius, Augustinus aliique, quorum loca congessit Jueninus (*a*), diserte docent in Sacramentis gratiam opus Spiritus sancti esse, qui eam, dum verba elementis accedunt, liberaliter effundit. Sunt quidem Patrum loca, quæ ipsis elementis gratiam tribuunt, quod etiam facere videntur Tridentini Patres dum docent, ipsa Sacramenta gratiam continere, eamque *ex opere operato* conferre; verum hæc omnia non sunt ita urgenda, quasi Sacramenta ipsa gratiam in se contineant, veluti crumena nummos continet; recte enim dicuntur gratiam continere, eamque producere, etiam quando vi divinæ promissionis, dum externa forma adhibetur, ἀμέσως à Deo producitur. Excipienda tamen est Eucharistia, in qua quum ipse gratiarum fons uberrimus Christus contineatur, gratia ab ipso Sacramento producitur, prorsus eodem modo, quo lumen à sole dimanat.

Necessitas Sacramentorum novæ legis.

§. XXIV. Jam vero novæ legis Sacramenta omnibus ad salutem sunt necessaria, non quidem omnia singulis, nec omnia pari necessitate (*b*). Ita nempe Deo placuit post Christi servatoris adventum Sacramentorum usu, aut eorum saltem desiderio Spiritus sancti gratiam elargiri, & in vitam æternam homines revocare. Necessitas autem ista, quæ pendet à divina voluntate, alia *medii* est, alia *præcepti*, quemadmodum scholæ loquuntur. Necessitas medii efficit, ut nisi re ipsa, aut saltem desiderio susceptis Sacramentis homines salvari nequeant: necessitas vero præcepti obligat quidem ad Sacramentorum susceptionem, sed si justæ causæ impedimento sint, quo minus suscipiantur, non propterea æternam salutem minus consequi possumus. Medii necessitate necessaria sunt Baptismus quidem omnibus, & Pœnitentia: & Baptismus quidem omnibus, Pœnitentia vero iis, qui gratiam regenerationis in Baptismo partam suis peccatis perdiderunt: reliqua vero Sacramenta tantum ex divino præcepto censentur necessaria, non tamen omnia singulis: non enim singulos homines sacris ordinibus initiari, aut matrimonio jungi necesse est; quamvis universo Ecclesiæ corpori omnino necessaria sint Ordinis & Matrimonii Sacramenta, & illud quidem ad sacri ministerii conservationem, hoc vero ad hominum, qui christiani fiant, propagationem.

Tria

(*a*) Juenin. de Sacram. diss. I. q. 7. cap. 1. art. 2.
(*b*) Trid. sess. VII. de Sacram. Can. IV.

Tria Sacramenta imprimunt characterem.

§. XXV. Præter Spiritus sancti gratiam tria ex christianis Sacramentis Baptismus, Confirmatio, & Ordinatio spirituali & indelebili *charactere* animas obsignant, atque adeo semel suscepta nequeunt iterari. Scilicet in Baptismo, Confirmatione & Ordinatione christiani conditionem induunt, quæ post Sacramenta etiam perdurat, quæque eos ad specialem & perpetuum Dei cultum addicit: etenim in Baptismo filii Dei, in Confirmatione christiani militis, in Ordinatione christiani Sacerdotis nomen, & qualitatem accipiunt: quæ qualitates nunquam delentur, quæcumque fuerit christiani, militis & Sacerdotis christiani culpa. Quare tria hæc Sacramenta consecratione quadam dantur, quæ irrevocabilis est, & suscipientes interius obsignant, & ideo nequeunt iterari: quo signo donati ab aliis, qui non eadem Sacramenta susceperunt, distinguuntur. Hæc est catholicæ Ecclesiæ doctrina ab antiquis Patribus tradita, & novissime à Tridentinis Patribus confirmata (*a*). Sane Basilius christianos in Baptismo *mysticis signis* obsignari docet, quibus à profanis discerni possint (*b*). Cyrillus Hierosolymitanus Baptismum vocat *signaculum sanctum & indelebile* (*c*). Et Augustinus pluribus in locis docet, Baptismi, & Ordinationis Sacramenta semel recepta nunquam deleri, quæcumque fuerit baptizati, & ordinati culpa: eaque signo publicis monetis impresso, & characteri qui olim militum corpori infigi solebat, assimilat (*d*). Et hinc non recte Scotus asserit, doctrinam de sacramentali charactere neque sacris litteris, neque ex testimoniis Patrum, nec ab ipsa ratione colligi posse, tantumque Ecclesiæ auctoritate niti (*e*): Patres enim tantum non omnes agnoscunt in Baptismo christianos interius obsignari. Interim etsi character sacramentalis natura sua semper vigeat; Ecclesiæ tamen auctoritate comprimi & consopiri potest: tanta enim est Ecclesiæ potestas, ut etiam nullas & inanes reddere possit, quæ inde pendent, actiones.

Systema hæreticorum de charactere confutatur.

§. XXVI. Ex adverso catholicam de sacramentali charactere doctrinam impugnant protestantes, eamque veluti novam & ab Innocentio III. inventam traducunt. Et quidem post alios contendit Binghamus (*f*), veteres Patres nomine *signi* & *indelebilis characteris* in Baptismo, & Ordinatione (Confirmationem ex albo Sacramentorum protestantes expungunt, & veluti Baptismi ritum tenent) non internum quoddam signum indelebile intelligere, sed potius externam Sacramen-

(*a*) Trid. sess. VII. de Sacram. Can. IX.
(*b*) Basil. hom. XIII. de exhort. ad Bapt.
(*c*) Cyrill. Hierosolym. præf. ad cathec.
(*d*) August. lib. 2. cont. epist. Parmen. cap. 13.
(*e*) Scotus in 4. Sentent. dist. 6. q. 9.
(*f*) Bingham. Hist. schol. de bapt. laic. part. 2. cap. 6.

menti administrationem, per quam baptizati ab infidelibus, ordinati vero à cæteris christianis distinguantur; eamque eatenus indelebilem reputasse, quod Baptismi & Ordinationis receptæ ritus nunquam poterat obliterari: quo fiebat, ut christiano homini aut Sacerdoti, in crimina quantumvis enormia lapso, non novo baptismo, aut ordinatione opus esset, sed potius pœnitentia, & censurarum relaxatione. Verum quidem est nomina *signi*, *signaculi*, *characteris*, σφραλῖδος, *sigilli* in ecclesiasticis monumentis sæpe ipsam externam Sacramentorum administrationem significare; at id non est perpetuum; nam sæpe etiam veteres Patres docent, in Baptismo interius animas signari, & quidem ita ut Spiritus sancti operatione receptum Sacramentum etiam interius perduret. Sane Cyrillus Hierosolymitanus affirmat Spiritum sanctum in Baptismo *obsignare animam*, *& dare signaculum, quod dæmones tremore perfusi perhorrescunt, cæleste quoddam & divinum* (a). Et Chrysostomus docet (b), christianis notam spiritus imponi, ut militibus corporalis nota imprimebatur, eaque spirituali nota fieri, ut qui ordinem deferebat, omnibus perspicuus fieret. Aliquid quoque amplius quam extremam Sacramenti formam videntur Patres intelligere, quando Baptismum & Ordinationem comparant notis & signis, quæ militum corporibus, & Principum monetis imprimebantur. Itaque Binghamus aliique sectarii, characteris sacramentalis vim summopere extenuant, quando eo nomine apud veteres Patres externam Sacramenti formam semper interpretantur.

Natura sacramentalis characteris.

§. XXVII. Quæ vero sit hujus characteris sacramentalis interna constitutio, quousque animi natura ignoratur, vix est ut possit internosci. Ecclesia tantum docet esse signum spirituale & indelebile, quo animæ obsignantur. Sed curiosi scholastici de more suo in characteris naturam subtiliter & copiose inquisiverunt, suisque disputationibus, quod necesse erat, rem potius implicuerunt, quam explicarunt. Interim de natura characteris duæ in primis celebrantur sententiæ. Alii enim, quos sequitur Espenius (c), characterem veluti ens quoddam morale describunt, non longe distans ab eo, quo donantur quotquot ad stabilem aliquam dignitatem veluti regiam & doctoralem elevantur. Sed ita sacramentalis character exterior potius erit dominatio, & animam vix afficiet: quod recte Drouvenus observat (d), qui tamen eam doctrinam tanquam fidei contrariam non audet pronunciare. Alii vero post S. Thomam docent, characterem esse quid physicum pertinens ad genus spiritualium qualitatum, quæ animæ possunt inhærere: quæ doctrina verior est, accedit enim magis

(a) Cyrill. catech. 17.
(b) Chrysost. hom. III. in 2. ad Cor.
(c) Part. 2. Jur. eccles. tit. 1. cap. 1. num. 11.
(d) Drouven. de Re sacram. lib. 1. q. 5. cap. 2. §. 3.

gis Ecclesiæ decretis, nec animarum naturæ adversatur: animæ enim spirituales qualitates possunt inhærere, quales gratia, spes, charitas, à quibus eo etiam nomine distat character, quod perpetuum animam occupat, quando illæ natura sua perpetuæ non sunt. Qua posita doctrina per sacramentalem characterem obsignantur, seu potius occupatur anima sui generis qualitate: nisi placeat sententia veterum Patrum, qui non adeo abstractas, ac recentes philosophi de animæ natura opiniones fovebant, & ideo auctore Chardonio (a), macularum & signorum animas capaces credebant. Sed præstat fateri, characteris naturam ignorari, quod dum res ipsa probe tenetur, parum refert.

Qui sunt Sacramentorum Ministri.

§. XXVIII. Atque hactenus de externis symbolis, & rebus invisibilibus, quæ Sacramentorum partes sunt; dicendum nunc de iis, qui ea conficiunt & dispensant, qui *Sacramentorum Ministri* solent appellari. Soli homines, non angeli Sacramentorum Ministri sunt (b); Ecclesiæ enim administrationem Deus hominibus, non angelis demandavit. Non tamen omnes homines, aut promiscue christiani omnes Sacramenta conficiunt, sed ii tantum, quibus id munus divina auctoritate competit. Et in veteri quidem testamento quamvis initio singuli patresfamilias, qui jus sacrorum habebant, Sacramenta administrarint; tamen sacrorum ministerio in tribum Levi translato, eorum administratio Sacerdotibus cessit, ita tamen ut urgente necessitate etiam feminæ possent circumcidere (c). Similiter quod spectat ad christiana Sacramenta, jure divino soli Sacerdotes eorum ordinarii Ministri sunt, non tamen omnes omnium, nec omnes pari libertate; statutum enim est propter Ecclesiæ ordinem, ut inferiores Sacerdotes in omnibus à primariis Antistibus pendeant. Itaque jure proprio & ordinario Episcopi Sacramenta omnia, parœci vero, quibus cura animarum perpetuo commissa est, etiam jure proprio Sacramenta, præter Confirmationem & Ordinationem, administrant: & reliqui inferiores Sacerdotes in casibus ordinariis de præsidentium potestate, in necessitate vero vi proprii Sacerdotii Sacramenta, exceptis itidem Confirmatione & Ordinatione, conficiunt & dispensant. Quod vero spectat ad laicos, ii excepto Baptismo, quem instante necessitate, & Clericis absentibus, recte donant, nullam habent Sacramentorum conficiendorum potestatem; laicis enim competens Sacerdotium, utpote non verum & proprium, ultra Baptismi dationem se non extendit. Et erravit profecto Lutherus, qui christianos omnes ex æquo esse Sacerdotes, ac proinde eandem omnes in verbi & Sacramentorum administratione habere potestatem pronunciavit: quem errorem Tridentini Patres merito damnarunt (d).

Quid

(a) Chardon Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 1. part. 2. chap. 7.
(b) Chrysost. lib. de Sacerd.
(c) Buddeus instit. theol. dogm. lib. 4. cap. 1. §. 15.
(d) Trid. sess. VII. de Sacram. Can. X.

Quid agant Ministri in Sacramentis administrandis.

§. XXIX. In conficiendis christianis Sacramentis Ministri media tantum salutis tractant & exhibent; non aliquid in ipsam salutem influunt; virtus enim & efficacia Sacramentorum à Christo, qui ea instituit, & in eis operatur, dependet. Ministri plantant, & rigant, Deus autem vitam dat & incremen um. Quo circa divina beneficia in Sacramentis conferuntur, non quod ab hoc vel ab illo Ministro administrantur, sed quod Deus externa hæc media constituit, quibus beneficia sua elargiretur. Et hinc ad vim & effectum Sacramentorum ex parte Ministri tantum necesse est, ut rite & secundum Christi & Ecclesiæ mentem verba elementis accedant; quo facto Sacramenta ex necessitate divinæ promissionis operantur. *Neque Angelus, neque Archangelus*, inquit egregie Chrysostomus (*a*), *quidquam in his, quæ à Deo data sunt, efficere potest; sed Pater, & Filius, & Spiritus sanctus omnia facit. Sacerdos & linguam & manus præbet: neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes offendi.* Et alio loco idem Chrysostomus (*b*): *Nihil adfert Sacerdos ad ea, quæ sunt proposita, sed universum est opus Dei virtutis, & ille est, qui nobis exhibet mysteria.* Quo etiam Ambrosius spectat, dum affirmat, non merita personarum, sed officia consideranda esse Sacerdotum (*c*).

Mali Ministri non obsunt Sacramentis.

§. XXX. Quæ quum ita sint, Sacramentorum christianorum vix & efficacia à fide & probitate Ministrorum non dependet, & valida profecto sunt, etiamsi ab hæreticis, schismaticis & sceleratis hominibus administrentur. Et errarunt certe Donatistæ, & inde Waldenses, Hussitæ & Wiclefistæ, qui ad vim Sacramentorum etiam requirebant, ut Ministri sancti & justi essent. Confundebant externum Sacramenti opus humanum cum interno effectu divino; quasi non minus externum Sacramenti opus, quam divina beneficia à Ministris promanarent: in quo turpiter errabant. Ministri enim in conficiendis Sacramentis tantum linguam & manus præbent; divina autem beneficia Deus per Sacramenta elargitur: quo fit, ut etiamsi Ministri improbi sint, non tamen christiana Sacramenta minus operentur; prorsus eodem modo quo ingenitam seminum fœcunditatem, quoties idoneæ terræ committuntur, agricolæ suis sceleribus non impediunt. *Baptismus Christi*, inquit Augustinus (*d*), *verbis evangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici & immundi.* Et Chrysostomus (*e*): *Etiam per indignos Deus solet operari, neque Baptismatis gratia quidquam læditur à vita Sacerdotis.*

(*a*) Hom LXXXV. in Joan.
(*b*) Hom. VIII in 1. ad Cor.
(*c*) Ambros de His qui mysteriis initiantur cap. 5.
(*d*) Lib. 3. de Bapt. contra Donatistas cap. 10.
(*e*) Hom. VIII. in 1. ad Cor.

Similiter Isidorus Pelusiota (*a*). *Incontaminata mysteria non conspurcantur, etiamsi Sacerdos omnes mortales improbitate superet.* Conceptis quoque verbis Patres Constantienses & Tridentini damnarunt Wiclefistas & alios hæreticos, qui docebant, Ministros peccatis mortalibus conspurcatos Sacramenta non conficere, quamvis alias omnia necessaria secundum Ecclesiæ ritum adhiberent (*b*). Quod si Ecclesia ad vim alicujus Sacramenti diserte requirat, ut Ministri catholici & in unitate Ecclesiæ sint, tum Sacramentum illud ab hæretico, vel excommunicato celebratum nullum est: convenit enim inter theologos posse Ecclesiam conditiones aliquas Sacramentis addere, quibus non servatis non valeant: quo nomine in multis Ecclesiis olim nullæ fuerunt ordinationes, quas hæretici, schismatici & excommunicati Episcopi celebrabant.

Sed ut digne ministrent, debent esse sancti.

§. XXXI. Quo vero Sacramenta digne administrentur, nec dantibus perniciem afferant, integri vitæ scelerisque puri Ministri esse debent. Sancta sancte tractanda sunt. Et Ministri quoque, quatenus fieri potest, conformari debent Domino, qui ea instituit, & Ecclesiæ, cujus Ministri sunt. *Et ego*, inquit Augustinus (*c*), *& omnes dicimus, quia justos esse oportet tanti judicis Ministros.* Similiter personatus Dionysius (*d*): *Malis non est fas nec tangere symbola*, idest sacramentalia signa. Itaque Ministri antequam ad tractanda & conficienda Sacramenta accedant, seipsos ad pietatem & justitiam componere debent, ut ejus veri Ministri sint, cujus dona procurant. Quod si in peccatis nostræ salutis signacula tractant, perfidi & sacrilegi sunt, & eo ipso, quo aliis prosunt, seipsos damnant. *Sacramenta*, inquit Augustinus (*e*), *quum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Quare ad officium christianorum pertinet, ut à malis Ministris, quos tales esse sciunt, Sacramenta non petant, nisi parati sint ad ea administranda, aut necessitas urgeat; id enim postulat regula charitatis, ut aliis peccandi occasionem non præbeamus (*f*).

Intentio Ministri ad vim Sacramentorum necessaria.

§. XXXII. Quamvis autem malis Ministrorum moribus Sacramenta non irritentur; tamen eorum intentio est necessaria, ut vere & valide conficiantur. Nempe aliter Sacramenta non sunt, nisi ex animi deliberatione Ministri tractent, & administrent, quod Eugenius IV. & inde Tri-

(*a*) Lib. 3. ep. CCCXL.
(*b*) Trid. sess. VII. de Sacram. Can. XII.
(*c*) Tract. V. in Joan.
(*d*) Lib. de Eccles. hierarch.
(*e*) Lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 10.
(*f*) Conf. Nat. Alexand. lib. 2. Theol. dogm. & mor. tr. 1. c. 7. art. 2.

Tridentini Patres contra Lutheranos decreverunt (*a*). Et vero Sacramentorum Ministri in iis conficiendis vice Christi funguntur (*b*). Quapropter humano modo, & tantis mysteriis convenienter debent operari, ut eum, cujus mysteria tractant, repræsentent. Humana autem actio non est, nisi ex animi sententia proficiscatur. Et ridiculum omnino videri debet, cæteras hominum actiones, nisi sint humanæ, in rebus moralibus nihil quidquam operari; in Sacramentis vero conficiendis animi consilium & deliberationem non requiri. Quo fit, ut Ministrorum intentio veluti pars integrans Sacramentorum habenda sit, quod necessario requiratur, ut verba elementis addita operentur. Et quamvis Sacramenta Dei non hominum opera sint, tamen qui ea tractant, non veluti instrumenta inania concurrere debent, sed humano modo, ut decet eos, qui Christum repræsentant.

Intentionis variæ species.

§. XXXIII. Intentio autem est deliberata voluntas id, quod agitur, conficiendi: eamque vulgo scholastici triplicem faciunt, *actualem*, *virtualem*, & *habitualem*. Actualis est præsens animi deliberatio ad opus, quod facimus. Virtualis est prævia mentis deliberatio non revocata, nec interrupta, quæ moraliter durat in ipsa actus explicatione, sed dum opus ipsum conficimus, expressa animi deliberatione non attendimus. Et demum appellant habitualem intentionem facilitatem operandi ex actibus repetitis adquisitam, qua etiam operari possumus sine prævia mentis deliberatione, ut videre est in dormientibus, & amentibus, qui sæpe ea agunt, quæ vigilantes, & usu rationis utentes faciebant. Sic explicata habitualis intentio B. Thomæ ignota fuit, nec recte intentionis nomine venire potest, quod ei nulla inest animi deliberatio: & fortasse primus Scotus facilitatem operandi ex repetitis actibus quæsitam intentionis habitualis nomine donavit (*c*). Et quamvis B. Thomas etiam *habitualem* intentionem memoret (*d*), tamen eo nomine virtualem intelligit: quod ex ipsius angelici verbis Jueninus observat (*e*).

Quæ intentio sufficiat ad conficienda Sacramenta.

§. XXXIV. Certi vero juris est, actualem intentionem in conficiendis Sacramentis esse efficacissimam, ac semper optandam, non tamen necessariam. Sane incerta omnino essent Sacramenta, si ad ea conficienda actualis intentio esset necessaria; humana enim conditione fit, ut dum magis intenti esse velimus, inviti ad alia opera distrahamur. *Nec enim est in nostra potestate*, inquit Augustinus, *quin visis tangamur.*

(*a*) Eugenius IV. in decreto pro Armenis, Trid. sess. VII. de Sacr. Can. XIII.
(*b*) I. Cor. IV. I.
(*c*) Juenin. de Sacram. diss. I. q. 5. cap. 2.
(*d*) S. Thom. part. 3. q. 64. art. 8.
(*e*) Juenin. loc. cit.

Virtualis vero intentio omnium consensu sufficit: quod quia ea operantur, humano modo censentur agere: & moraliter ipsa actualis intentio in operis explicatione videtur perseverare. Sed habitualis intentio ad Sacramenta conficienda non sufficit, quod qui per habitum adquisitum operantur, nec ex animi sententia, nec humano modo operari intelliguntur; & Sacramentorum administrationem inter actus ex voluntatis deliberatione procedentes Ecclesia recenset. Quare recte tanquam irritam & vanam etiam eo nomine Novatiani ordinationem Ecclesia traduxit, quod eam tres Episcopi temulenti & crapula oppressi celebraverint (*a*). Ratum quidem habuit Augustinus Baptismum ab *ebrioso* collatum (*b*): at inde non sequitur, probasse Augustinum baptismum ex habitu collatum. Etenim Augustinus ex proprietate latini sermonis *ebriosi* nomine non eum intelligit, qui actu ebrius est, sed potius eum, qui solet inebriari, quamvis actu ebrius non sit. *Plurimum interest*, inquit Seneca (*c*), *inter ebrium, & ebriosum: potest & qui ebrius est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium, & qui ebriosus est, sæpe extra ebrietatem esse.*

Ministri non necessario finem Sacramenti debent intendere.

§. XXXV. Jam vero in administrandis Sacramentis Ministrorum intentio non necessario spectare debet eorum effectum; sed satis est, ut ipsum externum ritum secundum ecclesiasticas regulas facere intendant. Sane Eugenius IV. & Tridentini Patres edicunt, intentionem in Ministris necessariam esse, ut saltem facere intendant, quod facit Ecclesia (*d*): quo Ecclesiæ nomine venit vera Ecclesia, quæcunque tandem esse putetur. In conficiendis autem Sacramentis Ecclesia tantum ritus à Deo præscriptos adhibet (*e*), nec aliquid in effectum ipsum Sacramentorum, qui à Deo unice pendet, influit. Quare quamvis recte facerent Ministri, si in conficiendis Sacramentis etiam finem ipsum Sacramentorum intenderent, non tamen id est necessarium, sufficitque, ut ritus secundum præscriptas regulas intendant exhibere. Virtus scilicet Sacramentorum à Christo Sacramentis ipsis attexta est: & Ministri tantum mera instrumenta sunt, qui signa sensibilia ex Christi institutione tractant. Quo fit, ut quamvis Ministri effectum Sacramentorum dare non intendant, aut iis in perversum finem abutantur (puta si oblatos sibi ad baptismum pueros diabolo intendant devovere); non tamen propterea minus operentur Christi Sacramenta, modo Ministri ipsos externos ritus intendant exhibere. *Sacerdos*, inquit apposite Chrysostomus (*f*), *& linguam & ma-*

(*a*) Cornel. Papa ep. ad Fab Antiochen. ap. Euseb. lib. 6. cap. 43.
(*b*) Aug. tract. V. in Jo. ap. Grat. Can. XXVI. de Consecr. D. 4.
(*c*) Ep. LXXXIII.
(*d*) Eugen. IV. in decreto Trid. sess. VII. de Sacr. Can. XI.
(*e*) Drouven. de Sacr. lib. I. q. 7. cap. 13. sect. 2. §. I.
(*f*) Hom. LXXXV. in Jo.

Tridentini Patres contra Lutheranos decreverunt (*a*). Et vero Sacramentorum Ministri in iis conficiendis vice Christi funguntur (*b*). Quapropter humano modo, & tantis mysteriis convenienter debent operari, ut eum, cujus mysteria tractant, repræsentent. Humana autem actio non est, nisi ex animi sententia proficiscatur. Et ridiculum omnino videri debet, cæteras hominum actiones, nisi sint humanæ, in rebus moralibus nihil quidquam operari; in Sacramentis vero conficiendis animi consilium & deliberationem non requiri. Quo fit, ut Ministrorum intentio veluti pars integrans Sacramentorum habenda sit, quod necessario requiratur, ut verba elementis addita operentur. Et quamvis Sacramenta Dei non hominum opera sint, tamen qui ea tractant, non veluti instrumenta inania concurrere debent, sed humano modo, ut decet eos, qui Christum repræsentant.

Intentionis variæ species.

§. XXXIII. Intentio autem est deliberata voluntas id, quod agitur, conficiendi: eamque vulgo scholastici triplicem faciunt, *actualem*, *virtualem*, & *habitualem*. Actualis est præsens animi deliberatio ad opus, quod facimus. Virtualis est prævia mentis deliberatio non revocata, nec interrupta, quæ moraliter durat in ipsa actus explicatione, sed dum opus ipsum conficimus, expressa animi deliberatione non attendimus. Et demum appellant habitualem intentionem facilitatem operandi ex actibus repetitis adquisitam, qua etiam operari possumus sine prævia mentis deliberatione, ut videre est in dormientibus, & amentibus, qui sæpe ea agunt, quæ vigilantes, & usu rationis utentes faciebant. Sic explicata habitualis intentio B. Thomæ ignota fuit, nec recte intentionis nomine venire potest, quod ei nulla inest animi deliberatio: & fortasse primus Scotus facilitatem operandi ex repetitis actibus quæsitam intentionis habitualis nomine donavit (*c*). Et quamvis B. Thomas etiam *habitualem* intentionem memoret (*d*), tamen eo nomine virtualem intelligit: quod ex ipsius angelici verbis Jueninus observat (*e*).

Quæ intentio sufficiat ad conficienda Sacramenta.

§. XXXIV. Certi vero juris est, actualem intentionem in conficiendis Sacramentis esse efficacissimam, ac semper optandam, non tamen necessariam. Sane incerta omnino essent Sacramenta, si ad ea conficienda actualis intentio esset necessaria; humana enim conditione fit, ut dum magis intenti esse velimus, inviti ad alia opera distrahamur. *Nec enim est in nostra potestate*, inquit Augustinus, *quin vi-*

(*a*) Eugenius IV. in decreto pro Armenis, Trid. sess. VII. de Sacr. Can. XIII.
(*b*) 1. Cor. IV. 1.
(*c*) Juenin. de Sacram. diss. 1. q. 5. cap. 2.
(*d*) S. Thom. part. 3. q. 64. art. 8.
(*e*) Juenin. loc. cit.

visis tangamur. Virtualis vero intentio omnium consensu sufficit: quod quia ea operantur, humano modo censentur agere: & moraliter ipsa actualis intentio in operis explicatione videtur perseverare. Sed habitualis intentio ad Sacramenta conficienda non sufficit, quod qui per habitum adquisitum operantur, nec ex animi sententia, nec humano modo operari intelliguntur; & Sacramentorum administrationem inter actus ex voluntatis deliberatione procedentes Ecclesia recenset. Quare recte tanquam irritam & vanam etiam eo nomine Novatiani ordinationem Ecclesia traduxit, quod eam tres Episcopi temulenti & crapula oppressi celebraverint (*a*). Ratum quidem habuit Augustinus Baptismum ab *ebrioso* collatum (*b*): at inde non sequitur, probasse Augustinum baptismum ex habitu collatum. Etenim Augustinus ex proprietate latini sermonis *ebriosi* nomine non eum intelligit, qui actu ebrius est, sed potius eum, qui solet inebriari, quamvis actu ebrius non sit. *Plurimum interest*, inquit Seneca (*c*), *inter ebrium, & ebriosum: potest & qui ebrius est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium, & qui ebriosus est, sæpe extra ebrietatem esse.*

Ministri non necessario finem Sacramenti debent intendere.

§. XXXV. Jam vero in administrandis Sacramentis Ministrorum intentio non necessario spectare debet eorum effectum; sed satis est, ut ipsum externum ritum secundum ecclesiasticas regulas facere intendant. Sane Eugenius IV. & Tridentini Patres edicunt, intentionem in Ministris necessariam esse, ut saltem facere intendant, quod facit Ecclesia (*d*): quo Ecclesiæ nomine venit vera Ecclesia, quæcunque tandem esse putetur. In conficiendis autem Sacramentis Ecclesia tantum ritus à Deo præscriptos adhibet (*e*), nec aliquid in effectum ipsum Sacramentorum, qui à Deo unice pendet, influit. Quare quamvis recte facerent Ministri, si in conficiendis Sacramentis etiam finem ipsum Sacramentorum intenderent, non tamen id est necessarium, sufficitque, ut ritus secundum præscriptas regulas intendant exhibere. Virtus scilicet Sacramentorum à Christo Sacramentis ipsis attexta est: & Ministri tantum mera instrumenta sunt, qui signa sensibilia ex Christi institutione tractant. Quo fit, ut quamvis Ministri effectum Sacramentorum dare non intendant, aut iis in perversum finem abutantur (puta si oblatos sibi ad baptismum pueros diabolo intendant devovere); non tamen propterea minus operentur Christi Sacramenta, modo Ministri ipsos externos ritus intendant exhibere. *Sacerdos*, inquit apposite Chrysostomus (*f*), *& linguam & ma-*

(*a*) Cornel. Papa ep. ad Fab Antiochen. ap. Euseb. lib. 6. cap. 43.
(*b*) Aug. tract. V. in Jo. ap. Grat. Can. XXVI. de Consecr. D. 4.
(*c*) Ep. LXXXIII.
(*d*) Eugen. IV. in decreto Trid. sess. VII. de Sacr. Can. XI.
(*e*) Drouven. de Sacr. lib. 1. q. 7. cap. 13. sect. 2. §. 1.
(*f*) Hom. LXXXV. in Jo.

manus præbet ; neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes offendi. Nempe ut passim post D.Thomam observant theologi, mala intentio opus operantis, non opus alterius invertit (*a*) : & ita vim verborum evangelicorum suis perversis consiliis Ministri frustrari non valent. Et hinc olim Ecclesia Pelagianorum Baptismum admisit , qui tamen Baptismo suo delere peccatum originale , quod negabant , non intendebant : nunc vero ratum habet Baptismum Lutheranorum & Calvinianorum, quamvis per Baptismum characterem imprimi non credant. Utrum vero intentio Ministrorum in conficiendis Sacramentis etiam debeat esse interna , qua ea veluti sacros ritus vere intendant exhibere , an vero sufficiat externa , qua serio omnia externe agant , apud se tamen nec dare Sacramenta velint , nec ea veluti sacros ritus habeant , magna inter nostros quæstio est , de qua aliquid commentari instituti nostri ratio non permittit.

Ministri serio debent Sacramenta administrare.

§. XXXVI. Nec tantum in administrandis Sacramentis , quod facit Ecclesia , Ministri debent intendere ; verum etiam necesse est, ut externa symbola serio tractent , quod ita decet sacrarum rerum majestatem , hactenus ut Sacramenta per jocum & ludibrium & dicis causa administrata omnino nulla sint & invalida. Et in veteri disciplina non adhuc multorum dogmatum nostrorum discussa & eliquata veritate dubium incertumque fuit , num Sacramenta per jocum collata vi sua constarent. Augustinus certe in eam sententiam inclinavit , valere Baptismum mimice & per jocum collatum , modo sic loti sine sua simulatione & cum aliqua fide accederent : qui tamen nihil affirmare ausus est , ubi extra omnem ecclesiasticam societatem & baptizans & accipiens mimice & jlocaliter agerent: satisque duxit in hac specie judicium divinum in aliquo Concilio expectandum , quam aliquid temere affirmare (*b*). Tanquam mera instrumenta exhibendorum Sacramentorum aliqui veterum Ministros habuerunt : & hinc dum elementis evangelica verba accederent , non adeo necessarium videbatur , quo animo & corporis compositione Ministri Sacramenta conficerent. Quo fundamento ratum habere potuit Alexander Alexandrinus Episcopus Baptismum , quem Athanasius adhuc puer pueris cum eo ludentibus dedit : quod nempe putabat Alexander , Baptismum opus Dei esse , nec interesse num serio , an joculariter administraretur : modo Ruffinus , Socrates & Sozomenus (*c*) , qui historiam illam narrant , vera dicant : nam quod te-

(*a*) S. Thom. part. 3. q. 64. art. 10. Confer. N. Alexander lib. 2. Theol. dogm. & moral. tract. I. cap. 7. art. 3.
(*b*) August. lib. 7. de Bapt. cap. 53.
(*c*) Socrat. lib. 1. cap 14. Sozomen. lib. 2. cap. 17.

tenera ætas Athanasii vix convenire potest cum episcopatu Alexandri , viris doctis in primis Caveo & Dupinio veluti ex integro conficta ea narratio videtur. Sed temporis lapsu re mature discussa contra Lutheranos & Calvinianos definierunt Tridentini Patres, nulla omnino esse Sacramenta non serio & per jocum administrata (*a*). Sane si sacramentalia signa per jocum & dicis causa à Ministris adhibentur, non videntur ad usum à Deo præscriptum administrari. Non pendent quidem à perversis Ministrorum moribus Sacramenta , nec manibus sceleratorum profanantur : at pro certo tenendum quando non in usum à Deo præscriptum adhibentur , quod fit si per jocum ea Ministri conficiant & tractent, signa sacramentalia rerum divinarum naturam amittere.

Qui cum fructu Sacramenta recipiunt.

§. XXXVII. A Sacramentorum Ministris ad suscipientes transeundum. Soli homines , qui adhuc in vivis sunt , secundum institutionis œconomiam Sacramentorum capaces sunt. Ut vero vivi homines valide & cum fructu Sacramenta suscipiant , rite & recte dispositi accedere debent. In primis (I) necessaria est bona voluntas, qua Sacramenta petant , & suscipere intendant. Sunt enim Sacramenta maxima Dei beneficia , ac propterea invitis non sunt conferenda. Bona autem voluntas in adultis ratione utentibus debet esse actualis , aut saltem virtualis , in infantibus sufficit præsumpta, quod præsumatur suæ æternæ saluti velle consulere , & præterea offerentium fidem & voluntatem eis Ecclesia pia mater accommodat (*b*). Adultis vero subita infirmitate obmutescentibus dantur Sacramenta ex præcedenti voluntate , qua contestati sunt , se velle Sacramentis consecrari , idque præsentium testimonio Ministris constet , quod de Baptismo & Pœnitentia Synodus Carthaginensis III. & Arausicana statuerunt (*c*). Et in hoc distant in re sacramentali à suscipientibus Ministri ; isti enim , quo valeant Sacramenta , omnino aut actu , aut virtute eorum confectionem intendere debent , illi vero valide , & cum fructu Sacramentis ex præsumpta & habituali voluntate donari possunt. Scilicet in Ministris Sacramentorum administratio semper est actus humanus , at non semper in suscipientibus. Porro (II) quo Sacramenta valeant , & effectum producant suum, rectam fidem suscipientes tenere oportet : nec enim qui non recte credunt , per Sacramenta sanctificantur. Præter fidem (III) in Baptismo & pœnitentia necessaria est in adultis catechumenis , & pœnitentibus præteritorum delictorum efficax detestatio , spes , & incho-

(*a*) Trid. sess. XIV. de Necess. & instit. Sacram. pœnit. cap. 6.
(*b*) Can. VII. & seq. de Cons. D. 4. , S. Thom. part. 3. quæst. 68. art. 9.
(*c*) Conc. Carth. III. Can. XXXIV. ap. Grat. Can. LXXV. de Cons. D. 4. & Conc. Arausic. Can. III. ap. Grat. Can. VII. c. 26. q. 6.

choata saltem dilectio; nemo enim ex adultis sive in Sacramentis, sive extra justificari potest, nisi per aliquos pios motus fidei, spei charitatis, Spiritu sancto excitante, conceptos se disponat, & divinæ gratiæ elargiendæ, obicem removeat (*a*). Et (IV) quæ Sacramenta ad robur & gratiam augendam sunt comparata suscipientes jam sanctificatos supponunt.

Ficti & minus credentes gratiam non recipiunt.

§. XXXVIII. Atque hæ sunt generales conditiones, quæ in suscipientibus Sacramenta requiruntur ad validam & fructuosam eorum susceptionem. Cæterum Sacramenta, quæ animam obsignant, etiam ficta & coacta voluntate & sine recta fide suscepta valent, & ita characterem imprimunt; sed suscipientes quousque in fictione & erroribus persistant, non sanctificant. Sane ex præteritis majorum institutis docet Augustinus, valere baptismum in Ecclesiæ unitate fallaciter & simulato animo susceptum (*b*). Et Toletani Patres & Innocentius III. ratum habuerunt baptismum, ad quem metu tormentorum suscipientes consenserant (*c*), quamvis Toletani Patres edicant, deinceps neminem ad Christum cogi debere. Tantum omnino inviti & qui externis actibus etiam reluctant, Sacramenta non recipiunt, nec in anima obsignantur, *quia plus est*, inquit Innocentius III. (*d*), *expresse contradicere, quam minime consentire*: modo tamen resistentia ex summa animi humilitate non dependeat: nam qui ex humilitate Sacramentis recipiendis adversantur, potius se impares ad tanta beneficia existimant, quam vere inviti censeri debent. Et hinc olim christianos pietate conspicuos, etiam externis actibus reluctantes, Ecclesia sacris ordinibus donare consuevit (*e*). Porro hæreticis ex evangelica tamen forma datum baptisma ratum habuit Ecclesia: quod argumento est ad vim baptismi fidem in recipiente non esse necessariam. Non tamen simul cum Sacramentis simulati, coacti, vel in fide errantes susceptores sanctificantem gratiam etiam consequuntur, quæ tum demum virtute impressi characteris producitur, quum simulatio illa, coactus animus, aut errores veraci confessione recesserint: quod in specie fallacis susceptoris Augustinus docet (*f*).

Ritus sacramentales.

§. XXXIX. Quo vero hanc de Sacramentis in communi tractatio-

(*a*) Trident. sess. VI. de Justif. cap. 6.
(*b*) August. lib. VII. de Bapt. contra Donatist.. cap. 53. apud Grat. Can. 31. de consec. D. 4.
(*c*) Conc. Tolet. IV. Can. LVI. cap. Majores III. ext. de Bapt.
(*d*) Cit. cap. 3.
(*e*) Confer. Thomass. de Benef. part. 2. lib. 2. cap. 2.
(*f*) August. lib. 1. de Bapt. contra Donatist. cap. 12. Can. XLI. & seq. de consec. D. 4.

tionem absolvamus, aliquid de ritibus, qui ipsam Sacramentorum confectionem vel antecedunt, vel comitantur, vel sequuntur, monendum superest. Sunt quidem ipsa Sacramenta sacræ quædam cæremoniæ, ad christianæ religionis exercitium spectantes; at in iis conficiendis apostolica & ecclesiastica auctoritate plures alii ritus accesserunt. Ecclesiæ nempe Christus dedit, ut sacra omnia ad fidelium salutem & rectum religionis usum ordinaret & disponeret (*a*). Conciliant autem cæremoniæ istæ majorem Sacramentis reverentiam ordinem necessarium in Ecclesia sustentant, præparant ad eorum susceptionem, magis eorum effectus declarant, & mentes ad rerum spiritualium contemplationem excitant (*b*). Et quoniam extrinsecus Sacramentis accesserunt, natura sua mutabiles sunt, nec generaliter omnes per universam Ecclesiam servantur, nec ad Sacramentorum internam constitutionem pertinent. Quo fit, ut salvis Sacramentis omitti possunt, nisi Ecclesiæ auctoritate ad valorem eorum requirantur. Scilicet semper ratum firmumque fuit, posse Ecclesiam conditiones aliquas veluti partes integrantes Sacramentis addere, quibus non servatis Sacramenta non valeant (*c*). Quod dum Ecclesia facit, non sibi in res divinas usurpat auctoritatem, sed potius pro potestate sua definit, qua ratione christiana symbola tractari debeant, ut in rei christianæ utilitatem cedant. Interim si quidam christiani ritus vel cæremoniis judaicis, vel ethnicis conveniant, non propterea contemni debent: siquidem totus cæremoniarum apparatus à religionis, in qua usurpantur, veritate æstimandus est (*d*): quo fit, ut iidem ritus apud christianos sancti sint, apud gentes vero superstitiosi. Quoniam vero in qualibet Ecclesia omnia debent consentire, quilibet in conficiendis Sacramentis debet ab Ecclesia sua ritus præscriptos adhibere: & gravi profecto crimine se obstringeret, qui præter necessitatem præscriptos ab Ecclesia sua ritus omitteret, vel pro arbitrio mutaret, quod Tridentini Patres statuerunt (*e*): imo Sacramenta nulla sunt, si omittatur ritus, qui ad vim Sacramenti auctoritate ecclesiastica pertineat.

CA-

(*a*) Trid. sess. XXII. cap. 2. Confer. Drouvenus de re sacram. lib. 1. q. 8.
(*b*) Catechis. Conc. Trid cap. de Sacram. in genere §. 18.
(*c*) Juenin. de Sacram. diss. VI. quæst. 7. cap. 2. art. 2. §. 2.
(*d*) Nat. Alexander lib. 2. Theol. dogm. & mor. tract. 1. cap. 8. prop. 2.
(*e*) Trid. sess. VII. de Sacram. Can. XIII.

CAPUT II.

De Baptismi institutione, ejusque materia & forma.

Baptismi definitio.

§. I. Inter christiana Sacramenta, quod primum suscipitur Baptismus est. Per Baptismum enim christiana religione homines initiantur, seu, quemadmodum loquitur Cyprianus, *inde incipit omnis fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio.* Est autem græca vox Baptismus ἀπὸ τῦ βαπτίζειν, quod mergere, lavare significat. Quare omne ablutionis genus Baptismi nomine venit in Scripturis (*a*): & quandoque etiam translata significatione martyrum passiones Baptismi nomine designantur, fortasse ex eo, quod proprio sanguine martyres tinguntur. Quo sensu Christus dixit, se alio Baptismo debere baptizari (*b*): id enim Patres de Christi passione interpretantur. Verum frequentiori scriptorum ecclesiasticorum usu non quævis lotio Baptismi nomine venit, sed tantum Sacramentalis. Itaque Baptismus *Sacramentum novæ legis est, quo sub distincta trium personarum Trinitatis invocatione per aquam homines regenerantur.* Scilicet non ipsa aqua Sacramentum est, sed tum Sacramenti naturam induit, quum verbis à Christo institutis deducitur in usum.

Usus Baptismorum apud Judæos & gentes.

§. II. Ex antiquis institutis receptissimæ fuerunt & apud Judæos & apud gentes religiosæ per aquam lotiones, quod Huetius pluribus demonstrat (*c*). Et Judæi quidem præter varias & multas totius corporis ejusque partium & vestium lotiones, quibus legales sordes abstergebant & animi puritatem indicabant, & ad sacra facienda, ad discubitum, aliudve magnum opus se accingebant; proselytorum Baptismum, quo ethnici ad Israelitas transibant, usurpabant. Et quamvis non conveniat inter doctos, quæ sit prima apud Judæos Baptismi proselytorum institutio (*d*); dubitandum tamen non est, eum longe ante Christum invaluisse. Baptismo in masculis subinde addebatur circumcisio, quo utroque ritu initiati, si vera observat Grotius (*e*), integro legis cæremonialis jugo tenebantur, quando solo Baptismo proselyti solas leges universo generi humano à Deo datas servare debebant. Similiter gentes tantum non omnes, quæ religionis cultum habuerunt, variis religiosis lotionibus utebantur, quibus contractas sordes eluebant, & scelera omnia purgabant, adeo ut parricidia Œdipi, Alcmæonis, Orestis aliorumque aquis purgata poetæ canant. Tanta virtus aquis inesse credebatur. Qui novis præterea religionibus consecrabantur, per Baptismum solebant initiari, quasi animo & corpore purgarentur. In minoribus mysteriis Ilisso flumine mos lavari erat Atheniensibus; & eos, qui Cotyttia sacra suscipiebant, calida perfundebant Baptæ, quibus & inde nomen. Et apud Ægyptios sacris Isidis, apud Persas sacris Mithræ per aquam homines consecrabantur. *Sed & viduis aquis*, inquit Tertullianus (*a*), *sibi* gentes *mentiuntur: nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus, aut Mithræ.* Generatim autem de lotionibus observat Grotius (*b*), eas fuisse ex antiquis ritibus post diluvium institutis ad conservandam memoriam purgationis mundi, quæ per aquas diluvii facta est; ac inde dictum illud Græcorum, θάλασσα κλύζει πάντα ἀνθρώπων κακά, *mare omnium hominum mala abstergit.*

(*a*) Marc. VII. 3. ad Hebr. IX. 10.
(*b*) Marc. X. 38. Luc. XII. 50.
(*c*) Huetius Alnet. lib. 2. cap 20. n. 2.
(*d*) Buddeus Instit. Theol. dogm. lib. 5. cap. 1. §. 2.
(*e*) Grot. in Matth. cap. 3. v. 6.

Baptismi Christianorum institutio.

§. III. Receptis Judæorum & gentium moribus Christus instituens Baptismum, aliquid videtur tribuisse, à qua sententia non est alienus Huetius (*c*), dum scribit lotionem infantium à partu recentium, qua ad abluendas sordes, & corpora duranda plures gentes usæ sunt, Deum ad purgandas & roborandas animas elegisse. Viduas igitur aquas Jesus Christus sanctificavit, ut Judæi & gentes ad veram religionem facilius excitarentur. Et quamvis non conveniat inter Theologos, quando & ubi Christus Baptismum instituit; verior tamen sententia est, Christum Baptismum consecrasse in Jordane, quando mundissimus ipse à Joanne tinctus est, & Trinitatis mysterium cœpit revelari: quod B. Thomas, Natalis Alexander, Drouvenus aliique affirmant (*d*). Sane Gregorius Nazianzenus, Ambrosius & alii veteres docent (*e*), Christus Baptismo suo aquas sanctificasse, ut ad abluendum vim haberent. Et quod caput rei est, dum Christus prædicabat multos suorum discipulorum ministerio baptizavit (*f*): nec veri speciem ullam habet, Apostolos, qui vice Christi tingebant, Joannis non Christi Baptismum contulisse (*g*). Sed obligatio ad Baptismum non nisi post Christi mortem & resurrectionem cœpit: etenim in morte Christi veteris testamenti Sacramenta impleta sunt omnia & ablata; per Baptismum ho-

(*a*) De Bapt. cap. 5.
(*b*) Grot. lib. cit.
(*c*) In Aluet. lib. 2. cap. 20. n. 1.
(*d*) S. Thom. 3. part. quæst. 66. art. 2. Nat. Alexander lib. 2. Theolog. dogm. & mor. tract. 2. cap. 3. Drouven. de re sacram. lib. 2. quæst. 7. §. 1.
(*e*) Nazianz. orat. 38. in Nativit. Christi, Ambros. lib. 2. in Lucam.
(*f*) Joann. III. 22 & seqq.
(*g*) Aug. tract. 5. in Joann.

homines morti & resurrectioni Christi conformantur, quatenus peccatis mortui in novam vitam renascuntur, & demum post Evangelii promulgationem Baptismi necessitas omnibus innotuit (*a*).

Baptismus Joannis.

§. IV. Jam vero Jesu Christi Baptismum Joannis Baptismus antecessit. Scilicet quo Judæi ad Christi doctrinam essent aptiores, Deus Joannem misit, qui jam adventantem reparatorem indiceret, & Judæos ad eum agnoscendum excitaret. Itaque Joannes Baptismum in pœnitentiam instituit (*b*), quo Judæi ad efficaciorem Baptismum præpararentur. Quare Augustinus *præcursorium Sacramentum* Baptismi Christi Joannis Baptismum appellavit (*c*). Multum vero interfuit inter Joannis & Christi Baptismum: quæ est catholicæ Ecclesiæ sententia tanto consensu ab antiquis Patribus tradita (*d*), ut mirum sit Lutheranos & Calvinianos docere, eandem utriusque Baptismi fuisse virtutem. Sane (I) Joannis Baptismus in pœnitentiam fuit, Christi vero in Spiritu sancto (*e*). Porro (II) à Joanne baptizatos Christi Baptismo Apostoli tinxerunt (*f*): quod dubio procul non fecissent, si præcursorium Sacramentum ejusdem cum Christi Baptismo virtutis fuisset. Nec (III) per Joannem loti renascebantur, quando Christi Baptismo novam vitam elargitur. *Non renascebantur*, inquit Augustinus (*g*), *qui Baptismo Joannis baptizabantur; sed in Christo, in quo solo renasci poterant, parabantur.* Baptismus demum (IV) Joannis vi propria peccata non dimittebat, sed potius ob ei adjunctam pœnitentiam, quod Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus aliique veteres docent (*h*), quamvis non desint Patres (*i*), qui præcursorio Sacramento virtutem dimittendorum peccatorum tribuant, qui nihilo secius agnoscunt majoris virtutis & efficaciæ fuisse Christi Baptismum.

Materia Baptismi est aqua.

§. V. Elementum vero visibile, unde conficitur Christi Baptismus, aqua est. Christus enim per aquam omnes baptizari jussit (*k*), & Apostoli in aqua baptizarunt (*l*). Aquæ vero nomine vera & naturalis aqua intelligitur, quod constanti traditione docuit Ecclesia:

(*a*) Confer. Drouven. loc. cit. §. 2.
(*b*) Marc. I. 4.
(*c*) Aug. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 56.
(*d*) Confer. Drouven. de re sacram. lib. 2. quæst. 5. cap. 1.
(*e*) Matth. III. 11.
(*f*) Act. XIX. 3. & seqq.
(*g*) In Enchiridio. cap. 49.
(*h*) Ap. Nat. Alexand. loc. cit. cap. 2.
(*i*) Basil. de Bap. lib. 1. cap. 11. Cyril. Hierosolymit. catech. mistag. II. Ambros. de Spirit. sanct. lib. 1. cap. 3.
(*k*) Joann. III. 5.
(*l*) Actor. VIII. 36. & seq. & X. 47. & alibi passim.

sia: nec ubi de Sacramentis & legibus agitur à propria vocabulorum significatione sine necessitate discedere unquam licet. Inscite igitur Calvinus aquæ nomine pœnitentiam intelligit: magis vero olim erraruut Manichæi, qui in aqua Baptismum omni effectu vacuum reputarunt, nec proselytos suos aqua tingebant, quod tradit Augustinus (*a*): fortasse ex sectæ suæ principiis, quibus res materiales tanquam Dei mali opera, adeoque veluti pollutas & detestandas habebant. Quod si Joannes Christi Baptisma Spiritu sancto & igne constare prædixit (*b*); id potius de effectibus Baptismi per Christum instituti, quam de externo elemento plures Patres acceperunt. Et hinc male Seleuciani & Hermiani auctoritate Joannis abusi, lavacrum in aqua repudiarunt, ejusque loco Baptismum ignis substituerunt (*c*), quamvis nullus veterum narret, quo tandem modo ignis Baptismus exhiberetur. Quando igitur aquæ nomine naturalis tantum aqua venit, nulla alia fluida materia etiam in necessitate veluti baptismi elementum rite & cum fructu usurpatur. Et recte Innocentius III. respondit, baptizatos non censeri pueros, quos propter aquæ penuriam, & absentiam Sacerdotis viri quidam simplices saliva illiverant (*d*). Quæ cum ita sint, merito veluti spurium rejicit Harduinus (*e*) rescriptum sive Siricii, sive Stephani II., sive Stephani III. (non enim antiqui MSS. de auctore conveniunt), quo Baptismus puero periclitanti, quod aqua deesset, in vino datus probatur & admittitur. Quî enim in re tritissima contra evangelicam veritatem Pontifices Romani respondere potuissent?

Aquarum benedictio.

§. VI. Ipsa aqua sub invocatione sacrosanctæ Trinitatis ad abluendum usurpata, salutem operatur, nec aliquo alio indiget adminiculo. Verum doctrinæ & mysterii causa, & ad conciliandam tanto Sacramento reverentiam, aqua ante benedicitur, quam in usum adhibeatur, idque ex antiquissima Ecclesiæ disciplina, quam Basilius ab ipsis Apostolis derivat (*f*). Atque hoc est, quod ad Baptismum *aquas sanctificari* & *consecrari* veteres passim dicunt (*g*). Duobus tantum diebus apud Latinos ex antiqua disciplina aquæ ad baptismum consecrantur, sabbato nempe sancto & Pentecostes, quibus solemnis Baptismus dabatur: at apud Græcos in singulis Baptismis aquæ benedicuntur. Fiebant autem primis sæculis fontium benedictiones præcibus, quibus rogabatur Deus, ut vim regenerandi aquis im-

(*a*) August. de Hæresib. cap. 46.
(*b*) Matth. III. 11.
(*c*) Confer. Bingh. Orig. Eccles. lib. 11. cap. 2. §. 3.
(*d*) Cap. 5. ext. de Bapt.
(*e*) Harduinus dissert. de Bapt. in vino, in operibus ejus selectis.
(*f*) Basil. de Spiritu sancto cap. 27.
(*g*) Tertull. de Baptism. cap. 4. Cyprian. ep. LXX. ad Januar. Ambros. de Spiritu sancto lib. 1. cap. 7.

impertiret, & signo crucis in aquam impresso (*a*): sed lapsu temporis plures alii ritus accesserunt, veluti exsufflationes, chrismatis cum aqua permistio, & cerei ardentis in aquam immersio (*b*). Interim benedictione vim divinam aquis ad animas abluendas infundi Patres docent, in primis Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius & Cyrillus Hierosolymitanus. Eo quoque spectat Optatus dum scribit, Christum, quem nomine technico ἰχθύν, *piscem* appellat, in Baptismate per invocationem fontalibus undis inseri (*c*). Sed in compertis est, aquarum benedictiones ad Baptismi vim non pertinere: & Patres, qui tantopere eas extollunt, id ea ratione fecisse videntur, ut catechumenos ad venerationem excitarent, & Christi fœcundas aquas à viduis aquis ethnicæ religionis secernerent. Aquæ ad Baptismum consecratæ etiam alii usus fuerunt; eam sane christiani in vasis domum referebant, quod tamen post infusum chrisma alicubi fieri non poterat, eaque domos aspergebant (qui usus adhuc in plerisque locis viget), & contra turbines utebantur.

Baptismi forma.

§. VII. Aquæ elementum ad naturam Sacramenti determinatur per verba institutionis, quibus ad baptizandum Christus Apostolos mittens, præcepit, ut in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti darent baptismum. Etsi enim *in nomine alicujus baptizare*, idem sit ac jussu & mandato ejus baptizare; intelligi tamen non potest, jussu ac auctoritate Patris, & Filii, & Spiritus sancti Baptismum administrari, nisi simul in Baptismi collatione ea verba pronuncientur. Quo circa constans est Ecclesiæ sententia in Christi verbis Apostolos ad baptizandum mittentis formulam Baptismi contineri. Ergo Latini hac formula baptizant: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; Græci vero, *Baptizatur servus*, vel *serva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti* (*d*). Et certe S. Thomam aliosque scholasticos germana Græcorum baptizandi formula latuit, dum asserunt, eos verbo *baptizetur* uti ad baptizandum (*e*). Videntur Græci ferme mille & trecentis ab hinc annis eam formulam usurpasse, ut occurrerent iis, qui putabant eo meliorem esse Baptismum, quo à meliori Ministro dabatur, vel Novatianis quorum error late in Oriente manaverat, ad vim Sacramenti Ministri fide opus esse (*f*). Utrovis modo verba proferantur, nulla sensus inducitur mutatio, & sua vis Sacramento constat. Et certe Græci odio potius Latinorum, quam ex veritate demum docuerunt, Baptismum La-

(*a*) Bingh. Orig. Eccles. lib. 11. cap. 10. §. 1. & seqq.
(*b*) Conf. Chardon. Histoire des Sacraments lib. 1. sect. II. chap. 4.
(*c*) Optat. lib. 3. contra Parmen.
(*d*) Joann. Moschus in Prato spirituali cap. 176. Euchologia Græcorum ap. Goar.
(*e*) Juenin. de Sacram. diss. II. quæst. 4. cap. 2.
(*f*) Drouven. de Re sacram. lib. 2. quæst. 3. cap. 3. §. 2.

Latinorum nullum esse: ex qua doctrina à Latinis baptizatos iterum tingebant: quo nomine Innocentius III. eos acerbe perstringit (*a*).

Invocatio personarum Trinitatis ad baptismum necessaria.

§. VIII. Itaque & expressam trium personarum Trinitatis invocationem & actum ipsum baptizandi formula baptismi continet. Et quod spectat ad invocationem Trinitatis, ea dubio procul est divinæ institutionis, necessario ad Sacramenti valorem adhibenda. Sane Patres veluti stabilem legem à Christo datam inculcant, baptismum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti debere conferri. *Lex tingendi*, inquit Tertullianus (*b*), *imposita est, & forma præscripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Cyprianus contra eos disputans, qui in solius Jesu Christi nomine tingebant, hac utitur præscriptione, Christum *in plena & adunata Trinitate* gentes baptizari jussisse (*c*). Et ut alios mittam, Augustinus veluti rem omnibus cognitam proponit, nullum esse baptismum, *si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint* (*d*). Quapropter qui aliquid de Trinitate detrahi, vel singulis personis, vel toti Trinitati aliquid aliud substituit, quod olim hæreticorum multi faciebant, frustra tingit, quemadmodum Athanasius, Didymus Alexandrinus & Basilius diserte docent. Et Ecclesia semper eos rebaptizavit, qui in sectis suis non in plena & adunata Trinitate tincti erant. Ne vero impune esset Ministris contra legitimam formulam baptismum dare, Canones apostolici Ministros deponunt, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti non baptizant (*e*), Vigilius vero Papa communione privat (*f*). Quod si in Trinitate baptizantes, non recte de ejus personis sentiant, non propterea sua vis non constat Sacramento: verba & elementa in Sacramentis vi sua operantur, & Ministri in iis tractandis tantum linguam & manus præstant. Quo circa Arianorum & Macedonianorum, qui legitima forma tingebant, baptismum ratum habuit Ecclesia, quamvis illi Christi, isti Spiritus sancti negarent divinitatem.

An valeat baptismus in nomine Christi.

§. IX. Interim non levis hic occurrit difficultas, utrum aliquando valuerit, & nunc etiam valeat baptismus in solius Christi nomine collatus. Etenim in Scripturis sanctis pluries affirmatur, Apos-

(*a*) Cap. ult. ext. de Bapt.
(*b*) De Bapt. cap. 13.
(*c*) Cypr. ep. LXXIII. ad Jubajan.
(*d*) August. de Bapt. lib. 6. cap. 25.
(*e*) Can. Apost. XLIX.
(*f*) Vigil. ep. II. ad Euther. cap. 6.

Apostolos in solius Christi nomine tinxisse (*a*). Ex antiquis Ambrosius sentire videtur, ratum esse baptismum, ubi una Trinitatis persona invocetur (*b*). Certe vero Nicolaus I. & Scripturarum & Ambrosii auctoritate ductus valide esse baptizatos respondit, qui in solius Christi nomine tincti essent (*c*). Ex scholasticis multi tenuerunt, initio nascentis Ecclesiæ ex speciali privilegio Apostolos in solius Christi nomine baptizasse, ut Christi nomen Judæis & gentibus odiosum evaderet venerabilius: quam etiam fuisse D. Thomæ sententiam Orsius affirmat, eamque peculiari opere confirmare adgressus est. Pluribus quoque veterum Patrum & scholasticorum collatis testimoniis Vossius (*d*) contendit, valere baptisma sive in Dei, sive in Christi nomine conferatur: baptizari enim in alterius nomen idem esse censet ac in ipsius religionem per lavacrum consecrari: & hinc qui in religionem christianam consecrantur, sive in Dei nomen, sive Jesu Christi, sive alterius personæ Trinitatis, sive in aliud nomen ἰσοδυναμῶν recte baptizari, præsertim quando ex Vossii sententia Christus certam baptismi formulam non edidit. At magis esse videtur, nec unquam valuisse, nec nunc valere baptismum in solius Christi aut alterius personæ Trinitatis nomine collatum. Nempe verba Christi ad baptizandum Apostolos mittentis diserte continent formulam, qua baptismum oportet administrari: & si Ambrosium paucosque alios excipias, veteres Patres constanter tenuerunt, non valere baptismum, nisi in plena & adunata Trinitate. Et injuria Orsius multos ex veteribus trahit ad dicendam sententiam pro vi baptismi, quem ex speciali privilegio Apostoli in solius Christi nomine dederint, præsertim quando ex veteribus nemo de tanto privilegio aliquid habet, quod multis Drouvenus demonstrat (*e*). Loca vero Scripturæ de baptismo in solius Christi nomine collato, non eo valent, quasi Apostoli baptizantes aliquando solius Christi mentionem fecerint; sed hanc habent sententiam, Apostolos baptismo per Christum instituto baptizasse; sic enim in Scripturis *nomen* aliquando usurpatur (*f*), ac propterea singulis Trinitatis personis diserte invocatis: quod Cyprianus, Basilius, Innocentius I., Augustinus, Theodoretus aliique interpretantur. Sufficiat referre verba Eulogii apud Photium (*g*): *In Christo baptizari significat secundum præceptum & traditionem Christi baptizari, hoc est in Patre, Filio & Spiritu sancto.* Et profecto, ut recte Buddeus observat (*h*), alia ratio est eorum locorum, quibus narra-

(*a*) Act. II. 38. & X. 47. & seq. & XIX. 5.
(*b*) Ambros. de Spiritu sanct. lib. 1. cap. 3.
(*c*) Can. XXIV. D. 24 de Consec.
(*d*) Vossius de Bapt. disp. 2. thesi 5.
(*e*) Append. de Advers. Orsium post lib. 2. de Re Sacram.
(*f*) Ps. XLIII. 6. Act. III. 6. & IV. 7.
(*g*) Ap. Phot. Cod. 280.
(*h*) Buddeus Instit. theol. dogm. lib. 5. cap. 1. §. 5.

ratur, aliquos esse baptizatos, alia eorum ubi baptismus institutus describitur, in illis sensus est, baptizatos Christi lavacro christianam religionem suscepisse; in his vero lex datur, quî debeat baptismus administrari, à qua lege qui Christi baptismo tingebant, discedere non poterant. Quod si Nicolaus Papa baptismum in nomine Christi administratum valere respondit, non ex proposito id docuit; sed quum Bulgaros baptismi Ministrum docere vellet, ἐν παρόδῳ ipsi de suo excedit, valere Baptismum in solius Christi nomine consecratum (*a*).

Verba ego te baptizo *sunt necessaria ad baptismum.*

§. X. Præter plenam & adunatam Trinitatem continet baptismi formula ipsam baptizandi actionem, quam Latini verbis *ego te baptizo*, Græci verbis *baptizatur servus Dei* solent exprimere. Antiqui Patres ad baptismi vim trium personarum Trinitatis invocationem necessariam inculcant; nec quidquam habent, quo constet etiam ipsam baptizandi actionem verbis exprimendam, quod Morinus observat (*b*). Ea de re primum scholastici quæsivere, eorumque antiquiores Petrus Cantor, Præpositivus, Petrus Lombardus aliique docent, ad vim baptismi non pertinere, ut actus baptizandi etiam verbis pronuncietur. In primis vero de vi eorum verborum solliciti fuerunt Stephanus Episcopus Tornacensis & Mauritius Episcopus Parisiensis, quos Pontius Claromontanus consuluerat de puero, quem absente Sacerdote pater de malo patriæ more omissis verbis *ego te baptizo* in aquam merserat. Et Mauritius respondit nullum esse baptismum, quod Scripturarum auctoritate & Patrum testimonio traditum erat, ad vim baptismi etiam pertinere verba, quæ exprimerent actionem. Videtur Mauritius verba Christi *baptizantes eos in nomine Patris &c.* sic accepisse, quasi Christus etiam præceperit, ut actus baptizandi verbis exprimeretur. Contra Stephanus quamvis nefas esse judicaret, si verba illa omitterentur, baptismum tamen validum reputabat; idque quia Patres ad vim baptismi solam Trinitatis invocationem inculcarunt: & quod dum actus ipse impletur, superfluum videri debeat verba addere, quibus id, quod actu fit, contineatur: præsertim quando evangelium non præcipiat, ut baptizantes dicant *ego te baptizo*, sed tantum vult, ut doceant. & baptizent. Rationes Stephani probabiles viris doctis in primis Morino, visæ sunt, ac ideo opinantur, olim valuisse baptismum actu baptizandi verbis non expresso (*c*). Sed Alexander III. Decretalem edidit, qua nullum esse baptismum edicitur,

(*a*) Canus de Loc. lib. 6. cap. 8. Estius in IV. Sentent. dist. 3. §. 5.
(*b*) Morin. de Administ. pœnit. lib. 8. cap. 16. n. 17.
(*c*) Morin. loc. cit. n. 21.

tur, ubi verba *ego te baptizo* omittantur (*a*). Una cum codice Gregoriano, cui inserta erat, decretalis Alexandri Ecclesiis videtur innotuisse: & hinc nihil mirum si Stephanus, Alexandro coævus, & alii posteriores scholastici contra sentire potuerint. Et ita à publicatis Gregorii IX. decretalibus cœpit omnium concors sententia, ad vim baptismi etiam pertinere, ut actus baptizandi verbis exprimatur. Quod si Alexander VIII. hanc proscripsit propositionem, valuisse aliquando baptismum, in quo verba *ego te baptizo* omissa fuerint, id tantum ad ea loca restringi debet, in quibus Canones verba illa veluti necessaria proposuerunt.

CAPUT III.

De Baptismi Ministro.

Baptismi princeps Minister est Episcopus.

§. I. Certi juris est primigeniam & ordinariam dandi baptismi potestatem esse penes solos Episcopos. Una cum verbi ministerio baptizandi pontificium à Christo Apostoli acceperunt (*b*). Et Episcopi in Ecclesia gubernanda & divinis mysteriis dispensandis Apostolis succedunt. Totius quoque Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate & veneratione consistit (*c*): nefasque profecto est in inferioribus Ministris præter ejus auctoritatem aliquod in Ecclesia munus usurpare, inprimis baptismum (*d*), cujus dationem Episcopi sibi fere reservabant. Ex qua re factum est, ut Hilarius baptismum *ministerium apostolici officii* appellet (*e*). Constat etiam in pluribus diœcesibus unum in Ecclesia cathedrali olim fuisse baptisterium, ad quod pro suscipiendo baptismo omnes ex tota parœcia confluebant. Et si in diebus solemni baptismo dictis Episcopus abesset, baptismus usque ad ejus adventum sæpe dilatus est (*f*), hactenus ut propter Episcopi absentiam infantes aliquando sine baptismo morerentur (*g*).

Presbyteri & Diaconi jussu Episcopi baptizabant.

§. II. Ab Episcopis baptizandi facultas in Presbyteros & Diaconos derivabatur, qui de licentia Episcopi etiam in casibus ordinariis baptizabant. *Dandi* baptismi *jus*, inquit Tertullianus (*h*), *habet summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* Et Hieronymus (*a*): *Sine jussione Episcopi neque Presbyter, neque Diaconus jus habent baptizandi.* Sed quod spectat ad Diaconos, multarum Ecclesiarum disciplina eos ad dandum baptismum in casibus ordinariis nec de Episcopi licentia permittebat. Certe Canones apostolici & constitutiones itidem apostolicæ baptismi Ministros solos Episcopos & Presbyteros faciunt (*b*). Et Chrysostomus (*c*) tantum urgente necessitate Diaconos baptizare permittit (*d*). Interim & Presbyteri & in Ecclesiis, ubi baptizabant, Diaconi in singulis vicibus delegatione Episcopi indigebant, qua neglecta alieni officii usurpatio censebatur. Et in hoc Ecclesiæ honor consistebat, ut omnia in subjectione Episcopi & de ejus venia inferiores Ministri factitarent.

(*a*) Cap. 1. ext. de Bapt.
(*b*) Matth. XXVIII. 19.
(*c*) Hieronym. dial. cum Lucif. cap. 4.
(*d*) Ignat. Martyr. ap. ad Smyrn. n. 8. Tertull. de Bapt. cap. 17.
(*e*) Hillar. comment. in Psal. LXVII.
(*f*) Chardon Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 1. part. 2. cap. 9.
(*g*) Greg. M. lib. 1. ep. XXXII.
(*h*) Tertull. de Bapt. cap. 17.

Hodie Parochi jure proprio baptizant.

§. III. Sed hæc disciplina lapsu temporis mutata est: etenim Episcopi fere non amplius baptisma conferunt, & proprii Presbyteri, hoc est Parœci baptismi & reliquarum sacrarum functionum ordinarii Ministri tandem evaserunt, non quod in sacris mysteriis dispensandis ab Episcopis non pendeant, sed quod semel cum universa animarum cura liberam dandi baptismi accipiunt potestatem. Sensim post institutas Parœcias hæc disciplina invaluit, & initio quidem in villis, inde ad Ecclesias civitatum extensa est. Et certe quarto sæculo in villis & remotioribus à civitate locis Presbyteri & Diaconi, veluti ordinarii Ministri, baptismum conferebant; quæ disciplina in Hispania & in Palæstina & aliis Orientalibus Ecclesiis obtinebat (*e*). Sed Synodus Vernensis octavo sæculo omnes Parœciæ Presbyteros sub Episcopi potestate esse jubet, nec eorum quenquam sine jussione Episcopi baptizare vel Missas celebrare permittit. Itaque noni sæculi initio generalis videtur cœpisse disciplina, ut sine Episcopi jussione Parœci baptizarent etiamsi Episcopus adesset, quod constat ex Theodulpho Aurelianensi (*f*). Quo etiam tempore Episcopi baptizare desierunt: & hoc grande mysterium ad secundi ordinis Sacerdotes transiit. Id factum nonnulli putant, quod jam adultorum baptismus fere desierat, & ita res non magni momenti videbatur infantes baptizare. Sed magis est, Episcopos baptizare desiisse, quod jam negotiis temporalibus impliciti spiritualia negligebant. Itaque ex præsenti disciplina Parœci jure proprio, Diaconi vero de Episcopi vel Parochorum venia baptizant, quamvis, si con-

(*a*) Dial. cum Lucifer. cap. 4.
(*b*) Can. apost. XXIV. & seq. & Can. XLIX. & seq. Const. apost. lib. 3. cap. 11.
(*c*) Chrysost. de Sacerd. lib. 3. cap. 5.
(*d*) Confer. Bingham. Hist. eccles. bapt. laic. part. 1. cap. 1. §. 5.
(*e*) Conc. Illiberit. Can. LXXVII. Cyrill. Hierosolym. catech. 17., Hieron. dial. cum Lucifer. cap. 4.
(*f*) Lib. de Ordine bapt. cap. 17.

contingat, ut adultus aliquis ad Christum transeat, ab Episcopis soleat baptizari.

Instante necessitate etiam laici baptizant.

§. IV. Atque hæc omnia locum habent in casibus ordinariis, nam instante necessitate quilibet christianus dandi baptismi habet potestatem: in quo summa Dei elucet misericordia, qui eo ipso neminem sine baptismo in regnum cælorum ingredi decrevit, omnes christianos, ubi necessitas urgeat, baptismi Ministros constituit. Certe Tertullianus affirmat (*a*), ex æquo christianos omnes baptizandi accepisse potestatem, sed ad ordinem servandum & schismata tollenda plebis jus in necessitatibus restringi, *sufficit scilicet in necessitatibus ut utaris:* quamvis in eo quod dicit, jus dandi baptismi ex æquo christianos omnes habere, rem alioquin veram exagerasse videatur. Et Hieronymus: Baptizare *si necessitas cogat, scimus etiam licere laicis* (*b*). Et in hoc præcipue consistebat laicorum sacerdotium, quod in baptismo per chrismatis unctionem accipere credebantur, ut nempe quem acceperant, baptismum aliquando dare possent. Ex laicis tamen præsentibus eum tantum instante necessitate Illiberitani Patres baptizare permittunt (*c*), *qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus*, hoc est qui post acceptum baptismum peccato gravi seipsum non maculavit, nec plures uxores acceperat, ut ita is ad baptismum præferretur, qui magis ad sacerdotalem disciplinam accedebat. Sed non omnes Ecclesiæ præsertim apud Græcos olim ratum videntur habuisse à laicis christianis, dum instaret necessitas, collatum baptismum: quod scite Tillemontius observavit (*d*). Et quî quæso in naufragii præsenti periculo constitutus Gregorius Nazianzenus adhuc catechumenus de salute æterna omnino desperasset, si laici dare baptismum potuissent? Præsentes laici una cum eo Christum invocabant, ac proinde saltem eorum aliqui christiani erant, & tamen nec Nazianzenus ab eis baptismum petiit, nec illi ad eum baptizandum se obtulerunt. Basilius quoque baptismum laicorum ejusdem potestatis habuit ac baptismum ab hæreticis datum, invalidum nempe (*e*). Sed temporis lapsu catholica sententia magis se explicuit, certumque apud omnes esse cœpit, in necessitatis casibus christianos omnes tingendi jus habere.

Sen-

(*a*) Tertull. de Bapt. XVII.
(*b*) Hieronym. dial. cum Lucif. cap. 4.
(*c*) Conc. Illiber. Can. XXXVIII.
(*d*) Tillemont. Memoires pour servir à l' histoire éccles. tom. 9. part. 326. & seq.
(*e*) Basil. ep. ad Amphil. Can. I.

Sententiæ de baptismo hæreticorum.

§. V. Jam vero utrum hæretici & schismatici vero baptismo utantur, acriter olim in Ecclesia disputatum est. In Africa primus Agrippinus Episcopus Carthaginensis secundo exeunte sæculo coacta Episcoporum Synodo vanum & omnino nullum baptisma ab hæreticis datum pronunciavit (*a*): quam sententiam hac ipsa ætate Tertullianus proposuit (*b*). Inde cum ea de re in Africa aliqui dubitarent, Cyprianus & Africani Episcopi tribus celebratis Conciliis baptisma hæreticorum rejecerunt. Vigebat quoque ea doctrina in Asia minore aliisque frequentissimis orientalibus Ecclesiis, eamque Concilia apud Iconium & Synnada confirmaverant (*c*): unde Canones apostolici, qui hæreticorum baptisma rejiciunt, desumpti videntur (*d*). Ergo Cypriano adhæserunt multæ orientales Ecclesiæ, in primis Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, qui contra vim baptismi hæreticorum pugnat etiam antiqua consuetudine, quam à Christo & Apostolis derivat (*e*). Contra Stephanus Papa audita Africanorum sententia excanduit, & cum multis aliis Coepiscopis ab hæreticis datum baptisma valere professus est: quam sententiam antiquæ consuetudinis auctoritate sustinebat. *Si quis*, inquiebat (*f*), *à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Ex quibus verbis non recte Vossius, Blondellus, Pearsonius, & ex catholicis Launojus & Dupinius opinantur, Stephanum æstu disputationis abreptum in contrarium errorem abiisse, ac omnium hæreticorum baptismos, qua demum cumque formula datos probasse; constat enim ex Firmiliano, Pontificem pro eo tantum hæreticorum baptismo decertasse, *qui invocata Trinitate nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti* dabatur (*g*). Ac ita Stephani locutiones quæ plus continere videntur ex Firmiliano ad rectam sententiam sunt flectendæ, quod vel ipse Binghamus agnoscit (*h*). Salva fide, qua Christiani sumus, ea de re Cyprianus disputari posse sentiebat, quasi de disciplina potius, quam de fide tractaretur (*i*). Sed Stephanus majoris momenti causam esse ratus, & Cypriani legatos excepit aspere, & Afros ab Ecclesiæ unitate separare comminatus est. Ergo Cyprianus excandescere, Stephano tyrannicum dominatum objicere, imperitiam & contumaciam imputare: in quo vir magnus modum excessit, vereque observavit Au-

(*a*) Cypr. ep. LXXIII. ad Jubajan.
(*b*) Tertull. de Bapt. cap. 15.
(*c*) Dionys. Alexandrin. ap. Euseb. lib. 7. cap. 7.
(*d*) Can. apost. XLV. & seq.
(*e*) Firmilian. ep. LXXV. inter Cyprian.
(*f*) Steph. ap. Cypr. ep. LXXIV. ad Pompejum.
(*g*) Firmil. ep. LXXV. inter Cypr. Confer. Pagius critic in Baron. an. 256. n. 4. & N. Alexander diss. XIV. in 3. sæcul.
(*h*) Bingh. Hist. schol. de Bapt. laic. part. 1. cap. 1. §. 20.
(*i*) N. Alexander diss. XII. in 3. sæcul. art. 4.

Augustinus, Cyprianum humanæ infirmitatis erratum charitatis ubertate & martyrii sanguine lavasse (*a*). Eliquata veritas tunc non eluxit, sed Patres in sua sententia videntur perstitisse (*b*). Paulo post Donatistæ Cyprianicam doctrinam renovarunt, eamque latius produxerunt; generatim enim Sacramenta à malis Ministris administrata nulla esse docebant & inania: qua in re gloriabantur quidem se B. Cypriano consentire, sed tamen ab ejus charitate longissime distabant.

Baptisma hæreticorum recte datum Ecclesia recepit.

§. VI. Sed temporis lapsu ab hæreticis & schismaticis in legitima forma datum baptisma universa Ecclesia recepit, postquam in pluribus Conciliis ea de re tractatum est, & veritas eluxit. Et primum quidem Arelatense totius Occidentis plenarium Concilium ann. CCCXIV. celebratum decrevit, ut à Donatistis baptizati verbis evangelicis ad Ecclesiam venientes per solam manus impositionem accipiantur (*c*). Inde magna Synodus Nicæna duos in eandem rem Canones edidit, quorum primo (*d*), Novatianos Clericos ad Ecclesiam catholicam venientes in proprio gradu sola manus impositione; altero (*e*) Paulianistas novo baptismo recipiendos edixit. Itaque Nicæni Patres in Novatianis baptismum schismaticorum probarunt: & dum ex hæreticis solos Paulianistas per baptismum recipiendos statuunt, reliquorum hæreticorum in legitima forma datos baptismos admiserunt. Quodnam vero ex his duobus Conciliis Arelatensi & Nicæno Augustinus nomine *plenarii Concilii* intelligat, quo causam rebaptizationis asserit definitam (*f*), inter eruditos non convenit. Magis tamen est, ut Nicænum intellexerit: illud enim *plenarium totius orbis* (*g*), & cui ipse Cyprianus cederet (*h*), Augustinus appellat: quæ duo Concilio Nicæno potius conveniunt (*i*). Interim etiam post Concilium Nicænum multi Patres præsertim in Oriente baptismos hæreticorum & schismaticorum reprobarunt. Equidem Athanasius Arianorum baptisma omnino rejecit (*k*), quod crederet necessarium, ut Ministri baptizantes, plenam & adunatam Trinitatem invocarent, & de Trinitate recte sentirent. Sed Basilius (*l*) & Cyrillus Hierosolymitanus (*m*) generatim omnium hæreticorum baptisma rejecerunt &

(*a*) Aug. de Bapt. lib. I. cap. 18.
(*b*) Juenin. de Sacr. diss. II. q. 6. cap. 2. art. 3. §. 2.
(*c*) Conc. Arelat. I. Can. VIII.
(*d*) Conc. Nic. Can. VIII.
(*e*) Conc. Nic. Can. XIX.
(*f*) Lib. 2. de Bapt. cap. 4.
(*g*) Aug. lib. I. de Bapt. cap. 7.
(*h*) Aug. lib. 2. de Bapt. cap. 4.
(*i*) Conf. N. Alexand. diss. XXIV. in 3. sæcul. Juenin. de Sacr. diss. II. q. 6. cap. 2. art. 2. §. 5.
(*k*) Athanas. orat. 3 cont. Arian.
(*l*) Basil. ep. ad Amphil. Can. I.
(*m*) Cyril. præf. ad catech.

& pro schismaticis Basilius mores provinciarum servandos proponit: schismaticos autem esse ait, qui propter ecclesiasticas, sed medicabiles causas dissident. Similiter Optatus schismaticorum baptismum ratum habet, non hæreticorum, quorum baptismos tanquam nullos traducit (*a*). Hujus autem rei causa videtur fuisse, quod decreta Nicæna peculiaria fuerunt, & præterea quod Paulianistæ multis, in primis Athanasio, cui Canones Nicæni & eorum sententia ignoti esse non poterant, potius damnati credebantur, quod doctrinam de Trinitate respuebant, quam quod evangelicis verbis non tingebant. Quidquid vero de hac re sit, post Nicænum Concilia omnia, & cæteri fere Patres generatim baptisma omnium hæreticorum legitima forma datum probarunt, quæcunque demum essent fidei capita, de quibus non recte sentirent. Et hæc est sententia Concilii Laodiceni, Constantinopolitani, Capuani, Trullani aliorumque (*b*): quam demum Tridentini Patres confirmarunt.

Argumenta Cyprianica proponuntur, & solvuntur.

§. VII. Jam vero Cyprianus ejusque sectatores & majorum auctoritate & rationum pondere rebaptizationes tuebantur. Et quod spectat ad rationes, tres præcipuæ videntur fuisse, unde reliquæ dependent. Prima, Baptismus unus est, quemadmodum unus Deus, una Fides, una Ecclesia: hæretici autem sunt extra Ecclesiam; itaque verum, quod dare possint, baptisma non habent (*c*). Altera, baptizati Christum induunt, & Spiritu sancto replentur: apud hæreticos vero tincti nec Christum induunt, multo minus Spiritum sanctum, quem Christus misit, accipiunt: ergo nec ipsum Baptismum recipere videntur (*d*). Tertia, martyrium in hæresi toleratum ad salutem nullam vim habet: cumque Baptismi virtus martyrio major non sit; nec hæreticorum baptisma alicujus efficaciæ esse potest. Tempore Cypriani nullus, quod sciamus, has aliasque inde pendentes rationes dissolvit. Sed inde occasione hæresis Donatistarum aliorumque hæreticorum, qui Sacramenta ab impiis Ministris data nulla esse contendebant, in vim Sacramentorum ab impiis Ministris collatorum, Patres, in primis Augustinus, inquisiverunt, & ita observatum rationes Cyprianicas minime concludere, præsertim quando catholica Ecclesia baptisma hæreticorum verbis evangelicis consecratum admiserat. Verissimum quidem est, unum esse Christi baptisma, unam Ecclesiam, hæreticos extra domum esse; at non propterea unum & verum Christi baptisma hæretici non habent. Scilicet Chris-

(*a*) Optat. contra Parmen. lib. I.
(*b*) Conf. Bingh. Hist. scholast. bapt. laic. part. I. cap. I. §. 20. & N. Alex. diss. XXIII. in 3. sæc.
(*c*) Tertull. de Bapt. cap. 15. Cypr. ep. LXXIV. ad Pompejum.
(*d*) Cyprian. cit. ep. LXXIV.

Christi baptisma in manibus hæreticorum non profanatur; Ministri enim in dandis Sacramentis manus tantum & linguam præstant, atque adeo quamvis hæretici sint extra Ecclesiam, verum tamen baptismum possunt procurare (*a*). Deinde non ex eo quod ab hæreticis tincti non sanctificantur, omnino nullus est baptismus; nam si acceptum Sacramentum tum non prodest ad animæ sanctificationem, prodest tamen ad eam obsignandam. Etiam in Ecclesia qui simulato animo baptizantur, Spiritu sancto non replentur, & nihilominus verum Sacramentum accipere extra dubium est (*b*). Nec Sacramenta administrata ab hæreticis gratia sanctificante destituuntur, quod in manibus impiorum profanantur; sed potius quod suscipientes perversitate sua recipiendis divinis beneficiis indigni sunt: quod adeo verum est, ut infantes ab hæreticis baptizati, & adulti, qui fide bona, aut in necessitate Sacramentis extra unitatem Ecclesiæ donantur, & Sacramentum & rem Sacramenti accipiant. Vere itaque observatum Augustino, Cypriani errorem inde manasse, quod *Sacramentum ab effectu vel usu Sacramenti* beatus martyr non distingueret (*c*). Et demum non recte à martyrio ad baptismum concluditur. Martyrii enim opus totum charitate constat: & hinc etiam qui charitate destituti in Ecclesia sanguinem fundunt, non coronantur. Contra Baptismus vim omnem habet à Christo, atque ideo etiam extra Ecclesiam accipi potest, modo forma evangelica administretur.

Apud hæreticos baptizati à Canone alieni.

§. VIII. Verum enimvero quamvis Ecclesia baptisma verbis evangelicis ab hæreticis consecratum tanquam validum admiserit; non tamen in hæresi baptizatos ad fidem vel Ecclesiæ unitatem venientes ad clerum promovit, quin potius in præteritum ordinatos deposuit (*d*). Indignum videbatur, ut qui falsam doctrinam professi erant, honoribus ecclesiasticis donarentur. Interim non adeo stricte huic regulæ adhæsit Ecclesia, ut eam aliquando non relaxarit. Sane Patres Africani Donatistas, Nicæna Synodus Novatianos, & septima Synodus Monothelitas in suis gradibus receperunt. Ea vero cum hæreticis & schismaticis indulgentia subinde usa est Ecclesia ob utilitatem, quæ inde redundabat: ita nempe hæreses infringebantur, & pax Ecclesiæ restituebatur. Salus Ecclesiæ est summa lex ecclesiastica. *Hoc non fieret*, hoc est Donatistæ in suis gradibus non reciperentur, inquit Augustinus (*e*), *quoniam revera fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur.* Moribus præsentibus hujus

(*a*) Aug. de Bapt. lib. 3. cap. 15.
(*b*) Aug. ibid. lib. 1 cap. 12. & lib. 7. cap. 53.
(*c*) Aug. ibid. lib 6. cap. 1.
(*d*) Conc. Illiber. Can. LI. Innoc. I. ep. XXII.
(*e*) Aug. ep. L.

jus irregularitatis vis latius extenditur; nam etiam beneficiis censentur incapaces, quorum pater vel mater avusque in hæresi mortui sunt.

Etiam infideles possunt baptizare.

§. IX. Nec tantum hæretici, verum etiam infideles sub legitima forma recte baptizant (*a*): quod inde à multis sæculis tenet Ecclesia Latina, quamvis olim in utraque Ecclesia contrarium receptum fuisse videtur. Equidem Tertullianus & Illiberitani Patres eos tantum baptismos validos reputabant, quos christiani administrassent (*b*). Et Hieronymus *novam rem* à Luciferiano quodam se audire professus est, ut christianus fieret ab eo, qui christianus non esset (*c*). Videbatur omnino alienum, qui baptismum non habebat, illum dare posset. Primus Augustinus ea de re dubitavit, nec tamen quidquam ausus est pronunciare sine tanti Concilii auctoritate, quantum intricatæ rei sufficeret (*d*): in quo vir magnus à nostrorum casuistarum facilitate longe aberat, qui in rebus moralibus definiendis omnino faciles sunt, nec alias curant ex legibus suas proferre sententias. Summa modestia ab Augustino propositam doctrinam non statim Ecclesia Occidentalis recepit; etenim sequentibus sæculis ab infidelibus tinctos iterum baptizandos plerique docuerunt (*e*). Nono sæculo loco Concilii, quod Augustinus desiderabat, Ecclesia Romana suam auctoritatem interposuit. Ad Bulgaros nempe rescripsit Nicolaus I. valere baptisma à Judæo vel pagano sub invocatione Christi, vel Trinitatis administratum (*f*). Et sane Christi Sacramenta à profanis administrata non polluuntur, quippe quæ à Christo, non à Ministris vim mutuantur suam. Itaque post Nicolaum Ecclesia omnis Occidentalis baptismum etiam ab infidelibus datum veluti verum Sacramentum agnovit, modo in plena & adunata Trinitate conferatur. Nam quod addit Nicolaus, baptismum in nomine Christi datum valere, veluti ab apostolica veritate alienum, & à Nicolao incidenter dictum, Ecclesia Latina nunquam probavit. Sed Ecclesia Orientalis adhuc in antiqua sententia perseverat, & tanquam nullum rejicit à paganis datum baptismum, in Canonibus enim Nicephori Patriarchæ apud Leunclavium (*g*) statuitur, eum non posse baptizare, qui ipse baptismi sacris initiatus non est.

CA-

(*a*) Cap. 15. de Hæret. in 6. Confer. Juenin. diss XII. de Censur. q. 6. cap. 2. art. 1.
(*b*) Tertull. de Bapt. cap. 17. Conc. Illiber. Can. XXXVIII.
(*c*) Hieronym. dial advers. Lucif. cap. 5.
(*d*) Aug. lib. 2 contra Parmenian. cap. 13.
(*e*) Can. LII. de Consec. D. 4. Capitul. reg. Franc. lib. 7. cap. 401.
(*f*) Can. XXIV. eod.
(*g*) Ad Leunclav. Jur. Gr. Rom. lib. 3. p. 169.

CAPUT IV.

De suscipientibus Baptismum.

Mortui non baptizantur.

§. I. Suscipiendo Baptismo apti sunt homines omnes nati & in carne adhuc positi: qui enim è vivis excesserunt, non recte baptizantur. Tantum vivis, actu ea suscipientibus, prosunt Christi Sacramenta. Et tamen ut mittam Cataphryges, qui mortuos tingebant, teste Philastrio (*a*), in Africa nonnulli simplices christiani baptismum etiam mortuis dare consueverant, quam perversam praxim Africani Patres prudenter emendari voluerunt. *Cavendum*, inquit Synodus III. Carthaginensis (*b*), *ne mortuos baptizari posse fratrum simplicitas credat.* Similiter in Oriente etiam mortui videntur baptizati: quo spectat Gregorius Nazianzenus, dum senes Baptismum differentes ita castigat (*c*): *An tu etiam expectas, dum mortuus abluaris, non eam misericordiam tui magis, quam odium movens?* Summa Baptismi ad salutem necessitas videtur effecisse, ut qui vivi baptizati non erant, saltem mortui tingerentur.

Baptismus pro mortuis.

§. II. Parum à baptismo mortuis dato distat baptismus pro mortuis à vivis in eorum nomen susceptus, quam baptismi speciem *Baptisma vicarium* Tertullianus appellavit (*d*). Ipsa Apostolorum ætate vicarium baptisma à quibusdam hæreticis invectum multi affirmant, in primis Suicerus & Pfaffius (*e*): eoque spectasse Apostolum ajunt, non quidem probando, sed referendo, quando etiam hoc argumentum contra eos usurpat, qui mortuos resurgere negabant (*f*), *si non est resurrectio, cur baptizaris pro mortuis?* Certe vero iisdem Apostoli verbis abusi Marcionitæ, baptismum pro mortuis usurpabant, & hinc sub mortui lecto vivum abscondebant, mortuumque rogabant, an vellet baptizari, quo non respondente, vivus, qui sub lecto erat, respondebat, & ejus nomine tingebatur: quod Chrysostomus tradit (*g*). Sed exploratum omnino est vicarium baptisma œconomiæ christianæ religionis repugnare, & potius ex male intellectis Pauli verbis cœpisse, quam ad eam scenicam consuetudinem

(*a*) Philastr. de Hæres. cap. 2.
(*b*) Cod. eccles. Afric. Can. XVIII.
(*c*) Nazianz. orat. XL. de Bapt.
(*d*) Tertull. de Resur. carnis cap. 48.
(*e*) Pfaffius Origin. eccles. cap. 2. ad art. 2.
(*f*) 1. Cor. XV. 29.
(*g*) Chrysost. hom. XL. in 1. Cor.

nem Apostolum spectasse. Sane inutilis esset lex de necessitate Baptismi, si pro mortuis vivi possent baptizari, nam si non proprio saltem vicario baptismo quilibet vitam æternam consequeretur: & deinde si pro mortuis baptismus esset, opus certe non foret fide & assensu ejus, qui baptizatur, quod Baptismi adversatur institutioni, quæ duo Marcionitis Chrysostomus merito objecit. Sensus ergo verborum Apostoli est, si non est resurrectio, frustra in fidem resurrectionis mortuorum baptizamur, ut recte Chrysostomus interpretatur, *si non est*, inquiens, *resurrectio, cur baptizaris pro mortuis? Propter hoc enim baptizaris, mortui corporis credens resurrectionem, nempe quod non maneat mortuum.* (*a*). Scilicet Apostoli ætate catechumeni inter reliqua fidei capita ante baptismum professi fuisse videntur mortuorum resurrectionem, ex qua fidei professione carnis resurrectionem Apostolus confirmat. Ut adeo baptizari pro mortuis locutio elliptica esse videatur, pro baptizari in fidem resurrectionis mortuorum. Quem sensum plerique Patres, & ex recentioribus Patricius & Hammondus (*b*), tanquam nativum & genuinum verbis Apostoli tribuerunt.

Adulti sponte baptizantur.

§. III. Jam vero dum adhuc vivunt homines sive mares, sive feminæ, sive adulti, sive infantes recte baptismo donantur. Et quod spectat ad adultos, certi juris est, eos recte baptizari. Sed ante omnia sponte sua debent baptismum petere: per baptismum enim in christianam religionem consecrantur; religio autem ab animi interna persuasione pendet, & coactioni non subjacet. *Non est*, inquit Tertullianus, *religionis cogere religionem.* Et hinc recte Patres Concilii Toletani IV. tractantes de Judæis, qui tempore regis Sisebuti baptismum coacti receperant, statuerunt, *nemini deinceps ad credendum vim inferri* (*c*). Et lex Visigotorum, quæ Judæos, ad se suosque filios & servos baptizandos, flagellorum, exilii & publicationis bonorum pœna cogebat, ingenio christianæ religionis adversatur, mirumque profecto est, talem coactionem Patres Concilii Toletani XII. & XIII. probare potuisse (*d*), nisi quod utile Episcopi Hispani duxerint, ad Regum suorum leges inflectere disciplinam. Animadvertit etiam Justinianus publicationis bonorum pœna in gentiles, qui baptismum quidem suscipiebant, sed interim de filiis, uxore & servis illuminandis non curabant (*e*); sed lex ista potius tendit ad fraudes evitandas, quam ad baptismum invitis obtrudendum. Equidem sæpe gentiles baptizari simulabant, quo civiles dignitates obtinerent,

(*a*) Chrys. loc. cit.
(*b*) Patric. Aqua genitalis, Hammond. in 1. Cor. XV. 29.
(*c*) Conc. Tolet. IV. Can. LVI.
(*d*) Conc. Tolet. XII. Can. IX. Conc. Tolet. XIII. Can. IX.
(*e*) L. 10. C. de Paganis.

rent, non sincero in veritatem amore: quo casu filios, uxorem & servos in erroribus relinquebant. Sed si contra religionis ingenium aliqui ad baptismum cogantur, & metu tormentorum consentiant, suscipiunt quidem Sacramentum (*a*), voluntas enim coacta voluntas est; sed eo non sanctificantur: contra vero si omnino inviti baptizantur, nec Sacramentum recipiunt (*b*).

Adulti ante baptismum credere debent.

§. IV. Una cum spontanea baptismi voluntate necessaria est in adultis baptizandis fides, quam quatenus possunt, per se ante baptismum debent profiteri. Non aliis quam credentibus Christus edixit baptismum administrari (*c*). Deinde ad Deum accedentes ante omnia credere oportet, quando fieri non potest, ut ei sine fide placeamus (*d*). Et sane convenit naturali rationi, ut antequam sacris alicujus religionis initiemur, ejus imbuamur institutis, eaque ex recepto more profiteamur. Itaque recte Ecclesia instituit catechesim, qua adulti baptizandi in fide & bonis operibus instituebantur; nec ante admittebantur ad baptismum, quam solemni ratione fidem redderent, & vitam secundum Christi præcepta instituendam promitterent. Ad rem Synodus Laodicena (*e*): *Baptizandos oportet symbolum discere, & quinta feria ultimæ septimanæ vel Episcopo vel Presbyteris reddere.* Et B. Prosper Aquitanus in sententiis ex Augustino delibatis, seu quisquis sub eo nomine latet: *Verus baptismus constat non tam ablutione corporis, quam fide cordis: quemadmodum apostolica doctrina tradidit, dicens, fide mundans corda eorum* (*f*). Quod si quis non recte credens baptizetur, Sacramentum, non gratiam Sacramenti suscipit: quod Augustinus & passim theologi omnes docent (*g*). Christiana nempe Sacramenta per se operantur, atque adeo eos effectus producunt, quibus suscipientes apti & idonei sunt. Et hinc sæpe baptismus suscipientes tantum obsignat, non vero sanctificat. Nempe ad animæ obsignationem tantum requiritur qualiscunque voluntas, sed Spiritus sancti gratia non effunditur, nisi obices omnes removeantur.

Et pœnitentiam agere & peccata detestari.

§. V. Ad Baptismum quoque accedentes adulti & peccatorum præteritorum pœnitentiam agere & serium mutandæ in melius vitæ pro-

(*a*) Conc. Tolet. IV. Can. LVI.
(*b*) Cap. 3. ext. de Bapt.
(*c*) Marc. XVI. 16.
(*d*) Ad Hebr. XI. 6. Confer. N. Alexander Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. II. cap. 7. propos. 7.
(*e*) Conc. Laodic. Can. XLVI.
(*f*) Can. CL. D. 4. de Consec.
(*g*) Aug. de Bapt. lib. 3. cap. 14. & Can. XLVIII. eod. S. Thom. part. 3. q. 68. art. 8.

positum fovere debent. Certe Princeps Apostolorum Petrus ad hominum turbam, qui corde dolentes quid sibi faciendum esse, quæsiverant, respondit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum* (*a*). Et alio loco (*b*): *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Ex qua doctrina profluxit Ecclesiæ praxis, quæ catechumenos christianis moribus instituebat, eosque peccatorum admissorum pœnitere præcipiebat: non quod per Baptismum peccata omnia non delerentur, sed quod ante constare, num qui baptizari cupiebant, ex animo Christum induerent. Et sane quum baptizati novam vitam à mundi illecebris alienam docere debeant, profecto novæ vitæ initium à vera pœnitentia & solemni peccatorum detestatione esse oportet. Quî enim serio novam vitam potest exordiri, qui adhuc in peccatis perseverat, nec ea detestatur? Et merito auctoritate Scripturarum & Ecclesiæ praxi eos confutavit Augustinus, qui tantum fidem ad baptismum reputabant necessariam, atque adeo præposterum esse dictitabant, prius docere quemadmodum vivere debeat christianus, & deinde baptizari: qua occasione scripsit excellens opus *de fide & operibus*, ubi disertissime demonstrat, peccatis prius adultos debere renunciare, quam ad baptismum admitti. Quæ quum ita sint, semper Ecclesia à baptismo exclusit peccatores, qui in peccatis perseverant, eosque omnes, qui artem christiano nomine indignam & aliquid idolatriæ sapiens exercebant, veluti idolorum confectores, comœdos, gladiatores, astrologos aliosque hujus furfuris homines, quos auctor constitutionum apostolicarum recenset (*c*): nec hodie ad baptismum admittuntur adulti, nisi prius peccatis renuncient (*b*).

Variæ species de baptismo adultorum.

§. VI. Interim ex adultis etiam eos baptizandos Ecclesia decrevit, qui quovis modo baptismum petiissent: qua de re antiqui Patres, frequenti tum adultorum baptismo, multas species tractarunt & definierunt. Et in primis (I) affirmant Patres, gratia baptismi donari catechumenos, qui ante impletum institutionis tempus subita infirmitate obmutescunt & sensu carent (*e*): sufficit eis semel Baptismum petiisse. Quin (II) iis catechumenis dandus baptismus videtur Augustino (*f*), qui sceleratam vitam duxerant, inde subito morbo correpti novum baptismi desiderium & perditæ vitæ detestationem edere non valent, quod præsumatur sine viatico necessario nolle dis-

(*a*) Act. II. 38.
(*b*) Act. III. 19.
(*c*) Const. apostol. lib. 8. cap. 32. Confer. Bingh. Orig. eccles. lib. 11. cap. 5. §. 6. & seqq.
(*d*) Trid. sess. VI. cap. 6. Confer. S. Thomas part. 3. q. 67. art. 4.
(*e*) Cypr. ep. XIII. Aug. de Adult. conjugiis ad Pollentium lib. 1. cap. 26.
(*f*) Aug. loc. cit.

discedere (quod idem Illiberitanis Patribus (*a*) ante videtur placuisse), quamvis Augustinus hac sua opinione nihil aliis detractum voluit, qui in hac specie non adeo humaniter sentientes, baptismum denegabant. Porro (III) etiam ethnicos homines, qui in mortis lecto decumbentes vel per se, vel aliorum testimonio baptismum petebant, Ecclesia baptizandos statuit (*b*). Sed in eo à catechumenis distabant gentiles, quod ii etiamsi propter morbum in morte nullum ederent baptismi desiderium, solebant baptizari; isti vero tum demum abluebantur, quum de eorum Sacramenti suscipiendi desiderio constabat. Quamvis si non adeo periculoso morbo ethnici laborarent, non statim baptismum suscipiebant, sed impositis manibus inter catechumenos redigebantur, quod ex sententia Valesii Synodus Illiberitana & Arelatensis I. statuerunt (*c*). Et demum (IV) energumeni, quo usque durabat vexatio, docebantur quidem pietatem, sed non admittebantur ad baptismum, extra quam si in mortis periculo essent constituti (*d*): quamvis in aliquibus Ecclesiis in infirmitatis remissione baptizabantur (*e*).

Infantes recte baptizari demonstratur ex Scripturis.

§. VII. Alterum genus hominum, quibus recte baptismus datur, sunt infantes; quod est fidei dogma in Ecclesia semper receptum, & in Concilio Milevitano & novissime in Tridentino confirmatum (*f*). Et sane (I) generali illa Christi sententia, qua Apostolis præcepit, ut omnes gentes docerent & baptizarent (*g*), etiam infantes comprehenduntur: Deus enim vult omnes homines, etiam infantes, salvos fieri (*h*), & nisi per aquam nemo salvatur (*i*). Nec aliter Christi sententiam capere poterant Apostoli, quam ex usu gentis judaicæ, in qua proselyti omnes adulti & infantes baptizabantur. Verbum *docete*, quo versio vulgata utitur, excludere videtur infantes: sed textus habet μαθητεύσατε, quod verbum rectius transfunditur *discipulos facite*, atque ideo infantes etiam comprehendit, qui per solum baptismum discipuli fiunt. Porro (II) Baptismus in locum circumcisionis successit (*k*): cumque apud Judæos pueri octavo à nativitatis die inciderentur, nulla profecto ratio est, quæ pueros lavari vetat. Operabatur vero circumcisio etiam justitiam & mysticam re-

(*a*) Conc. Illib. Can. XLV.
(*b*) Conc. Carthag. III. Can. XXXIV. in Cod. Afric. Can. XLV. Siricius Papa ep. I. ad Himer. Tarrac.
(*c*) Conc. Illib. Can. XXXIX. Conc. Arelat. I. Can. VI. Vales. not. in Euseb. de vita Constant. lib. 4. cap. 61.
(*d*) Conc. Illib. Can. XXXVII. Const. apost. lib. 8. cap. 32.
(*e*) Conc. Arausic. I. Can. XV.
(*f*) Trid. sess. VII. de Bapt. Can. XIII.
(*g*) Matth. XXVIII 19.
(*h*) 1. ad Timoth. XI. 4.
(*i*) Joan III. 5.
(*k*) Ad Colos. II. 11. & seq.

regenerationem; ut hinc pateat, non recte Antonium van Dale (*a*) negare, Baptismum, qui in novam creaturam regenerat, in locum circumcisionis successisse. Pueros quoque (III) ad se adlatos Christus ulnis excipiebat, eisque impositis manibus benedicebat, addens eorum, qui tanquam parvuli efficiuntur, esse regnum cælorum (*b*). Quis ergo credat, Christum qui adeo bene affectus adversus teneram ætatem erat, infantes à Baptismo, atque adeo à regno cælorum exclusisse? Integras demum (IV) familias Apostoli baptizarunt (*c*), in quibus infantes fuisse non videtur posse negari.

Et Patrum auctoritate.

§. VIII. Sed esto hæc omnia nihil concludant, certe totius christianæ antiquitatis consensus pædobaptismum ita asserit, ut mirum sit ea de re unquam dubitari potuisse. Amplissimus hic campus est, in quo ingenia sua magno eruditionis apparatu exercuerunt viri doctissimi, Vossius, Hammondus, Walkerus, Binghamus, in primis vero Wallus (*d*), qui loca omnia veterum de pædobaptismo excitavit, & integris commentariis illustravit. Instituti nostri ratio non permittit, ea de re fuse commentari, sed pauca tantum observamus, quæ pædobaptismum inde usque ab initio christianismi receptum demonstrant. Principio (I) ætate ipsa Apostolorum infantes baptizari consuevisse Justini martyris testimonium extra dubium ponit. *Permulti*, sunt Justini verba, *sexus utriusque sexaginta & septuaginta nati annos* (apud nos), *qui à pueris disciplinam Christi sunt adsectati*, (οἱ ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ Χριστῷ, *qui à pueris Christi discipuli facti sunt*) *incorrupti & cælibes perdurant.* Scripsit Justinus apologiam secundam, ubi hæc verba habentur, medio sæculo secundo: adeoque ii, qui ante sexaginta aut septuaginta annos ab infantia Baptismo donati erant, adhuc quibusdam Apostolis viventibus baptizati sunt. Porro (II) primorum sæculorum scriptores in primis Clemens Romanus, Hermas, Justinus martyr, auctor recognitionum sub nomine Clementis Romani, Irenæus, Tertullianus, Origenes & Cyprianus, quorum verba Binghamus refert (*e*), omnes etiam infantes in peccatis nasci affirmant, & Baptismum ad ea expianda faciunt necessarium: atque adeo una opera vel diserte vel per necessariam consequentiam docent, infantes, ut à peccato originis liberentur, debere baptizari. Et demum (III) ex Patribus primorum sæculorum aliqui diserte docent, pædobaptismum ab apostolica traditione derivare. *Ecclesia*, inquit Origenes (*f*), *ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis Baptismum dare.*

Præ-

(*a*) Ant. van Dale Hist. bapttsmor. mor. dissert. super Aristea addita.
(*b*) Matth. XIX. 13 & seq. Marc. X. 13. & seq. Luc. XVIII. 15. & seq.
(*c*) Actor. XVI. 15 33. & XVIII 8., . ad Cor. I. 16.
(*d*) Wallus Hist. bapt. infant. Anglic. script.
(*e*) Bingh. orig. Eccles lib. 11. cap. 4. §. 6. & seqq.
(*f*) Origen. ad Rom. lib. 5. cap. 6.

Præcipuum Anabaptistarum argumentum diluitur.

§. IX. Interim hæc omnia parum curantes Waldenses, Anabaptistæ & Sociniani pueris dari posse Baptismum pernegarunt, atque adeo infantes à christianis tinctos iterunt baptizant, unde factum *Anabaptistæ* nomen. Ex recentioribus eruditis plures aperte & magnis in speciem argumentis stant adversus pædobaptismum, in primis Antonius van Dale; alii vero Anabaptistis suffuderunt frigidam, dum docent, pædobaptismum non quidem à Christo & Apostolis præceptum, sed exemplo circumcisionis & Baptismi apud Judæos usurpati, sive primo, sive secundo Ecclesiæ sæculo, sive tardius introductum, quod Ludovicus Vives, Salmasius, Jac. Basnagius, Thomasius, Curcellæus aliique opinantur. Fundus autem præcipuus Anabaptistarum est, quod ex Christi edictis Baptismo fidem præcedere oportet, *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit* (*a*): infantes autem credere nequeunt; atque adeo ipsius Christi præcepto à Baptismo excluduntur. Argumentum hoc adeo magni ponderis visum est Augustino, ut consuetudinem baptizandi infantes minime credendam scripserit, *nisi apostolica esset traditio* (*b*). Verum quamvis re ipsa infantes ante Baptismum fidem profiteri nequeant; credunt tamen opera Ecclesiæ & susceptorum, qui eis fidem accommodant suam, quod alienum à ratione non est; *nam decet, ut ad aliena verba sanentur, qui ad factum alienum vulnerantur*, inquit graviter Augustinus (*c*). Et certe Christi edictum de fide baptismo præmittenda adultos tantum spectare potest, qui fidei capaces sunt, non infantes, nisi dicas in summa Baptismi necessitate Christum à regno cælorum infantes excludere voluisse. Successit quoque Baptismus circumcisioni; cumque apud Judæos infantes ex fide parentum inciderentur, & ea fides ad salutem eorum proficeret, mirum videri non debet, si in nova œconomia etiam aliena fides infantibus baptizandis accommodetur.

Nondum nati non recte baptizantur.

§. X. Quo vero baptismo infantium sua vis constet, necesse est, ut ii secundum carnem nati sint, hoc est ex utero matris in lucem editi, quæ est carnalis nativitas, quam baptismus supponit. Scilicet Baptismus regeneratio est (*d*); atque adeo qui nati non sunt, non possunt regenerari. Itaque qui adhuc utero matris involvuntur, Baptismo non donantur: quæ est Augustini, Isidori, D. Thomæ & saniorum theologorum doctrina (*e*) sacris eloquiis, quin & ipsius

(*a*) Marc. XVI. 16.
(*b*) Aug. lib. 10. de Gen. cap. 23.
(*c*) Serm. 14. de Verbis Apost. cap. 7.
(*d*) Ad Tit. III. 5.
(*e*) Aug. ep. CLXXXVII. ad Dardanum, Can. CXV. de Consec. D. 4. D. Thom. part. 3. quæst. 64. art. 11.

sius Baptismi naturæ conformis: equidem qui adhuc materno corpore omnino conteguntur, aquis perfundi nequeunt, nec materni corporis ablutio infanti in ventre posito imputatur (*a*). Et pie potius, quam vere aliqui tenent, adhuc utero contectos posse baptizari saltem sub conditione *si capax es*, quo casu in uterum matris aqua sic injici possit, ut ad fœtum usque pertingat. In utero quidem concepti aliquando *nati* in Scripturis dicuntur; at, quod recte observat Augustinus, nativitas, quam Christi Baptismus supponit, est, *quæ fit matre pariente, non concipiente, neque prægnante; quæ fit ex ea, non quæ in ea* (*b*). Id tamen verum est, ad regenerationem quamcunque navitatem sufficere, adeo ut recte baptizentur cæsones, qui instituta matris mortuæ sectione in lucem educuntur. Immo pertinet ad christianorum officium celeri prægnantis mortuæ sectione fœtus extrahere, eosque, si vivi reperiantur, baptizare. Sane si ob *spem animantis* ante prægnantis mortuæ humationem partus excindi Romanæ leges voluerunt (*c*), id potiori jure postulat christiana religio, ut infelices illi homunculi spiritu serventur, si corpore nequeant. Et recte ad officium Parochorum præsertim ruralium spectare Espenius affirmat, ut uteri aperiendi & extrahendi infantis discant rationem, qua ubi desint chirurgi, subinde utantur (*d*). Quin postquam à sæculo XVII. ars medica docuit, vivis, & salvis prægnantibus, quæ maturum edere partum desperaverint, partus excindi, theologi recentiores tenent (*e*), debere prægnantes sectionem ventris perferre sibi & proli profuturam, quo casu nec speculo matricis adhibito parere possint; contra quam sentiebant S. Thomas & reliqui antiquiores theologi, quibus ignotæ erant sectiones, quæ & matribus & fœtibus salutem procurabant. Quanquam in tanta mentis trepidatione, ancipiti sectionis periculo, natura mulierum imbecilli & non semper probata medicorum peritia quis damnare audeat prægnantem, quæ sectionem pati detrectet? Quod si adhuc plene infans ex utero editus non sit, sed tantum caput emerserit, mortis periculo instante, in capite baptizabitur, nec postea si totus emerserit, videtur rebaptizandus, quod pars hominis princeps abluta est. Sed si manus, vel pes emersit, qui vitalem motum indicet, etiam in edito membro Baptismus datur, qui tamen inde vivo edito infante, sub conditione *si non es baptizatus* iteratur (*f*).

In-

(*a*) Aug. contra Julian. lib. 6. cap. 5.
(*b*) Aug. cit. ep. CLXXXVII.
(*c*) Lib. 2. de Mortuo inferendo.
(*d*) Espen. Jur. Eccles part. 2. tit. 2. cap. 4. num. 25.
(*e*) Theoph. Raynaud. tit. 1. de Ortu infant. per section. cæsar. cap. 6. n. 22. & seq. Gobat. append. 3. ad tract. 2. de Bapt. n. 24. Caugiamila de Embriologia sacra.
(*f*) Rit. Roman. de Sacramento Baptismi rite administrando.

Infantes infidelium utrum baptizandi?

§ XI. Non tamen nati omnes infantes debent baptizari, sed ii quorum spes est, fore, ut adulta ætate in suscepta fide perseverent, cujus generis infantes dubio procul sunt filii christianorum, qui à parentibus in sancta religione instituuntur. Sed filii infidelium parentibus invitis non debent baptizari, etiamsi civili christianorum Principum imperio parentes subsint, quæ constans semper fuit Ecclesiæ disciplina; injuria enim parentibus fieret, quibus ipsa natura filios usu rationis carentes commisit, si ipsis invitis infantes ad Baptismum rapiantur: & fides in discrimen veniret, si post Baptismum parentibus relinquantur (*a*). Christianæ enim religionis odio baptizatos infirma ætate filios ita parentes instituerent, ut vel ante ipsam adultam rationem Christum derelinquerent. Quod si infidelium infantes in potestatem & dominium christianorum quocunque modo veniant, eos consuevit Ecclesia baptizare, quod jam possessio christianorum facti sint, nec fides in periculum veniet. *Aliquando filiis infidelium*, inquit Augustinus (*b*), *præstatur hæc gratia, ut baptizentur, quum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocumque perveniunt.* Quin si parentum alter esset Christianus, alter Judæus, sive ethnicus (inter variæ religionis homines olim consistebat matrimonium), filius infans jure partis christianæ ad Baptismum admittebatur, quod Concilii Toletani IV. Patres decreverunt (*c*). Quod si contingat, infidelium infantes parentibus invitis baptizari, valet quidem Baptismus; sed à parentibus debent separari & tradi monasteriis, aut christianis hominibus, ut in recta fide instituantur (*d*); quæ separatio & traditio auctoritate Principum christianorum omnino facienda est, qua in re christiani Principes quatenus Principes prout debent, Deo serviunt.

CAPUT V.

De catechumenis eorumque institutione.

Catechumeni qui, catechesis origo & tempus.

§. I. Qui in Christi fide instituuntur, & paulatim ad Baptismum præparantur, *catechumeni* in christianis monumentis audiunt, à vocibus Græcis κατηχέω & κατήχησις, quæ institutionem in elementis artium & scientiarum significant. Et hinc etiam *novitioli* à Tertulliano (*e*) & *tirones Dei* ab Augustino (*f*) dicti sunt: quandoque etiam, quod

(*a*) Confer. S. Thom. quæst. 10. art. 12.
(*b*) Aug. de Gratia & libero arbitrio cap. 22.
(*c*) Conc. Tolet. IV. Can. LXIII.
(*d*) Conc. Tolet. IV. Can LX.
(*b*) Tertull. de Pœnit. cap. 53.
(*f*) Aug. de Symb. fid. ad Catech. lib. 2. cap. 1.

quod fidei doctrinam audirent, *audientes* nuncupantur (*a*), quamvis hoc nomine plerumque infimus catechumenorum ordo veniat, quibus tantum sermones audire, non vero alicujus generis precibus licebat interesse. Institutionis Baptismo præmittendæ origo est à fide, quæ Baptismum præcedere debet. Scilicet credentibus administrandi Baptismum Christus edixit (*b*): quod sane justum & naturale erat: qui enim mysteriis alicujus religionis initiantur, ejus dogmata prius tenere debent. Et hinc apud gentes mysteriorum initiationes nonnisi præmissa institutione & magno cæremoniarum apparatu fiebant. Non tamen initio apud christianos catechesis adeo solemnis fuit, nec longo tempore duravit, sed statim ac quis credere profitebatur, Baptismum suscipiebat, quod infans Ecclesiæ ætas & conversorum zelus postulabat. Sed tum aucto christianorum numero, quod experientia constabat, multos tanti nominis mensuram non implere, alios vero Christum tempore persecutionis abnegasse, varia experimenta institutioni abjecit Ecclesia, eamque longo tempore prorogavit. Ita Patres Illiberitani (*c*) catechumenos *si bonæ fuerint conversationis, intra biennium ad Baptismi gratiam* admittunt; constitutiones apostolicæ institutionis terminum ad tres annos producunt (*d*): & in Ecclesiis Gallicanis octo menses Judæis ad fidem instituendis erant præstituti (*e*). Quodcunque vero tempus catechumenis instituendis Canones dixerant, Episcopi spectatis personarum qualitatibus illud pro prudentia sua contrahebant, vel producebant.

Catechumenorum gradus.

§. II. Quo vero rectius catecheses procederent, in varios gradus Ecclesia catechumenos partita est. Non convenit inter eruditos, quot catechumenorum gradus fuerint: interim majoris distinctionis gratia post Morinum, Chardonium aliosque (*f*) in tres ordines, seu gradus catechumenos distinguemus ἀκροωμένους, γονυκλίνοντας, & συναιτοῦντας, *audientes* nempe, *genuflectentes*, seu *substratos*, & *competentes*, seu *electos*. *Audientes* in specie sic dicti erant, qui religionem christianam amplecti velle præ se ferebant, atque ideo synaxes frequentabant, Scripturas & prædicationes audiebant, quibus finitis clamante Diacono, *ne quis audientium, ne quis infidelium*, Ecclesia exibant. *Genuflectentes* post egressos audientes in Ecclesia remanebant, ubi in genua provoluti manuum impositionem sub certis precibus ab Episcopo accipiebant: & inde clamante Diacono, *quicunque catechumeni discedite*, Ecclesia egrediebantur. Atque hi in antiquis monu-

(*a*) Confer. Hugo Menard. not. in Sacram. S. Grea
(*b*) Marc. ult. 16.
(*c*) Conc. Illib. Can. XLII.
(*d*) Const. Ap. lib. 8. cap. 32.
(*e*) Conc. Agath. Can. XXXIV.
(*f*) Morin. de Administr. pœnit. lib. 6. cap. 1. num. 15. Chardon, Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 1. chap. 2.

numentis, generali nomine in peculiarem notionem restricto, appellantur *catechumeni* (*a*). *Competentes* solemni Baptismi die appropinquante, baptizari petebant, & prævio examine ad Baptismum proxime accipiendum eligebantur. Quo circa vario respectu *competentes* & *electi* dicti sunt: nec recte Cardinalis Bona, Thiersius & Martene ex competentibus & electis duos catechumenorum gradus effecerunt (*b*): antiqui enim Patres indiscriminatim competentium & electorum nomine eos dicunt, qui impleto tempore, quo substrati esse debebant, ad Baptismum proxime suscipiendum præparabantur. Non tamen omnes hos gradus catechumeni semper percurrebant, sed sæpe omissa auditione, catechesis à secundo gradu exordiebatur, prout personarum status postulabat, & pro prudentia sua Episcopi in Ecclesiæ utilitatem id cedere videbant.

Quo ritu catechumeni recipiebantur.

§. III. Jam vero qui conversionis suæ edebant desiderium, nullis adhibitis cæremoniis inter audientes recepti videntur: & ita gentilium loco erant, nullis christianorum prærogativis donati, quod recte Caveus opinatur (*c*). Sed catechumeni in specie sic dicti manibus impositis, signo crucis in fronte impresso & precibus in rem præsentem accommodatis creabantur, quod non obscure Augustinus tradit (*d*). Nec recte sentire videtur Binghamus (*e*), qui in ipso primo ingressu audientes solemni manuum impositione admissos affirmat. Hac autem solemni admissione suo modo sanctificabantur catechumeni, & generale *christiani* nomen consequebantur, adeo ut in antiquis monumentis *facere christianum* tantundem sonet ac facere *catechumenum* (*f*). Ex qua observatione recte Valesius & Basnagius (*g*) interpretati sunt Canonem quendam Concilii Illiberitani (*h*), quo placuit, gentilibus, qui in infirmitate desiderant sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, *manum imponi & fieri christianos*, hoc est, per manus impositionem fieri catechumenos: idque constat ex eo quod Patres de gentilibus loquuntur, qui infirmi quidem erant, sed præsenti mortis periculo non urgebantur. Eadem est sententia Concilii Arelatensis I. ubi *de his*, *qui in infirmitate credere volunt*, *placuit debere eis manum imponi* (*i*). Ethnici autem infirmi hac manus impositione inter substratos catechu-

(*a*) Conc. Nicæn. Can. XIV.
(*b*) Bona de Reb. liturg. lib. 1. cap. 16. n. 4. Thiersius de l' Exposition du Sacrement chap. 8. Marten. de Antiq. Eccles. ritib. tom. 1. cap. 6.
(*c*) Cave, Primit. christ. lib. 1. cap. 8.
(*d*) Aug. de Peccat. merit. lib. 2. cap. 26. & lib. de Catechiz. rudib. cap. 26.
(*e*) Bingh. Orig. Eccles. lib. 10. cap. 1. § 2.
(*f*) Sulpit. Severus vit. Martin. dial. 2. cap. 5.
(*g*) Vales. not. in Euseb. de Vit. Constant. lib. 4. cap. 61. Basnag. Critica in Baron. an. 44.
(*h*) Conc. Illib. Can. XXXIX.
(*i*) Conc. Arelat. I. Can. VI.

chumenos relati videntur; in hac enim specie justa videbatur esse causa, ut catechesis ab altero gradu inciperet, præsertim quando cognitum erat, petentium ex parte honestam fuisse vitam. Itaque ab impositis manibus catechumeni ad Ecclesiæ corpus quodammodo pertinebant, hactenus ut Eusebius & Hieronymus (*a*) inter christianorum ordines catechumenos recenseant. Non tamen adhuc erant *fideles* & *illuminati*, quod demum salutari lavacro consequebantur. Quocirca olim duo fuerunt christianorum genera, alii nempe *christiani ac fideles*, alii *christiani & catechumeni tantum*, ut eos Theodosius magnus distinguit (*b*).

Catechistæ *in privatis scholis catechumenos docebant.*

§. IV. Statim ac inter audientes catechumeni relati erant, incipiebant catecheses, quibus in fide & bonis moribus instituebantur: quod munus in primis ad Episcopos spectabat; sed in multis Ecclesiis ad instituendos catechumenos proprii Ministri deputabantur, qui passim *catechistæ*, & à Cypriano *audientium doctores* dicuntur (*c*). Pro arbitrio Episcopi catechesis Clerico sive majori, sive minori mandabatur (*d*). Et aliquando ex ipsis laicis seligebantur catechistæ; ut exemplo esse possunt Pantænus & Origenes, qui adhuc laici Alexandriæ doctores audientium fuisse videntur (*e*). Quoniam vero catechistæ cum viris profanæ litteraturæ peritissimis tractare debebant, optimos quosque Clericos, & aliquando etiam laicos ad habendas catecheses Episcopi deputabant. Quin in Ecclesia Alexandrina peculiaris erat *schola catechetica*, quam à Marco Evangelista institutam Hieronymus tradit (*f*). Docuerunt in ea schola viri eruditione celeberrimi, in primis Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Heraclas, Dionysius aliique. Præsertim vero schola Alexandrina floruit sub Origene, cujus viri summa eruditione adeo inclaruit, ut eo è longinquis regionibus homines concurrerent. Docebant vero catechistæ non tempore sacri conventus in Ecclesia, sed in privatis auditoriis, quæ in multis locis propria erant ædificia Ecclesiis conjuncta, quæque Græci κατηχούμενα dicere solebant (*g*). Interim in aliquibus Ecclesiis non fuerunt catechistæ, sed omnes fideles pro pietate & prudentia sua, in primis vero susceptores, privatim videntur catechumenos docuisse, quod Chardonius observat (*h*).

Ar-

(*a*) Euseb. Demonst. evang. lib. 7. cap. 2. Hieronym. in sess. 19.
(*b*) L. 2 C. Theod. de Apost.
(*c*) Cyprian. ep. XXIV. al. XXIX.
(*d*) Bingh. Orig. Eccles. lib. 3 cap. 10. §. 1. & seq.
(*e*) Thomass. part 2. lib. 1. cap. 92. n. 12.
(*f*) Hieron. de Script. eccles. cap. 36.
(*g*) Novell. LXXIII. Imperat. Leonis.
(*h*) Chardon, Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 1. chap. 3.

Arcani disciplina.

§. V. Summa vero prudentia & judicio catechumeni instituebantur, quasi qui primum lacte, tum solidiori cibo indigerent. Ante omnia inquirebantur, num sincero affectu ad Christum transirent: tum usque ad nominum dationem veritates practicas & simplices, ac vitæ christianæ officia edocebantur, de mysteriis vero religionis & ritibus sacramentalibus vix quidquam audiebant: quare catechumeni pares erant cæteris profanis, quibus mysteria nostra celabantur. Atque hæc celebris est *arcani disciplina* apud christianos olim receptissima; quam peculiari dissertatione Schelestratus illustravit. Et male profecto Samuel Basnagius (*a*), & Joannes Clericus (*b*) eam ad quosdam ritus restringunt, quando etiam religionis mysteria celabantur, quod etiam Boehmerus (*c*) animadvertit. Sane sui temporis hæreticos Tertullianus insectatur, quod nullam reticentiæ mysteriorum rationem haberent, nec initiatos à catechumenis & ethnicis discernerent. *Quis catechumenus*, inquit, (*d*) *quis fidelis incertum est: pariter audiunt, pariter orant. Etiam ethnici si supervenerint, sanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, jactabunt.* Ex quibus verbis constat, Ecclesiam discrimen inter fideles & catechumenos fecisse, nec catechumenis mysteria revelasse. Et alio loco idem Tertullianus (*e*): *Omnibus mysteriis silentii fides adhibetur.* Passim quoque testantur Patres, in primis Cyrillus Hierosolymitanus & Theodoretus (*f*), praxim christianorum fuisse obtecte loqui de mysteriis apud catechumenos, ita nempe ut qui rem tenebant, intelligerent, cæteri vero non læderentur. Itaque in publicis Patrum sermonibus frequentes occurrunt aposiopeses, ubi potissimum de Sacramentis tractant, & subinde addunt formulam, qua reticentiæ initiatos admonerent: *ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, norunt initiati*, seu *norunt fideles, quod dicitur.* Quam formulam ad minus quinquagies apud Chrysostomum occurrere Casaubonus observat (*g*). Tenebantur vero reticentiæ lege non tantum altaris Ministri & catechistæ, sed etiam fideles omnes (*h*), non secus ac apud gentes quotquot mysteriis deorum erant initiati, silentio obstringebantur. Tanto autem silentio mysteriis reverentia conciliabatur, ad properandum incitabantur catechumeni, simplicitas rituum nostrorum ab ethnicorum irrisionibus tuta erat. Toto quinto sæculo & aliquando post ste-

(*a*) Basnag. dissert. de Catechum. tom. 2. Annal. § 7.
(*b*) Cleric. Inst. Eccles. duor. primor. sæcul. ad an. 118.
(*c*) Boehm. Jur. Eccles. lib. 3. tit. 42. § 14.
(*d*) Tertull. de Præscrip. cap. 41.
(*e*) Tertull. Apologet. cap. 7.
(*f*) Cyril. Hieros. catech. 6. n. 16. Theodoret. quæst. 15. in Numer.
(*g*) Casaub. exercit. 15. in Baron.
(*h*) Nazianz. orat 40. de Bapt.

stetit arcani disciplina; sed inde quum fere integræ gentes Christo nomen dedissent, & rarior esset adultorum baptismus, veluti sponte sua desiit: jamque sæculo sexto nulla erat apud christianos mysteriorum reticentia, quod Pagius (*a*) observavit.

Quo tempore arcani disciplina invaluit.

§. VI. Quo tempore invaluerit inter christianos arcani disciplina, non una est omnium sententia. Dallæus, Tentzelius, Clericus, Binghamus (*b*) aliique, quibus ex nostris prævit Albaspinæus (*c*), tenent initio christianos res suas omnes libenter evulgasse, tum post secundi sæculi medium, aut etiam tardius reticentiam induxisse: idque præsertim probant ex Justini martyris, Tatiani & Athenagoræ apologiis, in quibus abdita quædam religionis exponuntur. Contra Schelestratus & Pagius verius ab ipso Christo & Apostolis reticentiam contendunt derivatam. Sane Christus in parabolis Judæos adloquebatur, nec ante Spiritus sancti illapsum Apostolis aperuit omnia quod nondum tenere poterant. Apostolos quoque Christi exemplo mysteriis silentii fidem adhibuisse probant eorum ad populum conciones, in quibus de mysteriis altum silentium. Ex Patribus Clemens Alexandrinus observat (*d*), Paulum reticentiæ rationem habuisse, idque ex ejus dictis adstruit, *ut aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis*, &, *sapientiam Dei loquimur inter perfectos*: idem generatim de omnibus Apostolis Basilius (*e*) affirmat: *Qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem.* Quod vero præcipue probat initio christianismi arcani fidem cœpisse, sunt cœnæ Thyesteæ & concubitus incerti, quorum nomine christiani conventus apud gentes ipso primo sæculo diffamabantur: non enim tam falsæ calumniæ incrustari potuissent, si christiani conventus suos palam haberent, & de Eucharistia aperte loquerentur. Et miror profecto Boehmerum, eas criminationes inde natas opinari, quod christiani ad agapas suas omnes admitterent (*f*). Quod vero Justinus martyr aliique christiani nominis apologistæ abdita quædam religionis recludunt, id factum est præter legem, quod ita salus religionis, quæ suprema lex est, postulare videbatur: id scilicet fecerunt, ut calumnias de atheismo, cœnis Thyestæis & vago concubitu retunderent: non enim melius injectæ criminationes refellebantur,

(*a*) Pagius Crit. in Baron. ad cap. 118. n. 9.
(*b*) Dallæus de Script. Ignatii lib. 1. cap. 22., Tentzelius de Disciplina arcani, Clericus Histor. eccles. duor. primor. sæculor. ad an. 118. n. 3., Bingh. Orig. eccles. lib. 10. cap. 5. §. 3.
(*c*) Albaspin. lib. 1. Observ. cap. 13.
(*d*) Clemens Alexandr. Stromat. lib. 5.
(*e*) Basil. de Spir. sanct. cap. 27.
(*f*) Boehm. diss. IV. ad Plinium & Tertull. §. 2.

tur, quam doctrina, & ritibus christianæ religionis simpliciter expositis.

Arcani disciplina apud gentes.

§. VII. In ac autem arcanorum reticentia nihil novum invexerunt christiani, quando solemnis & antiquus apud gentes mos fuit, non tantum mysteria deorum, verum etiam sublimes philosophiæ doctrinas reticeri. Et sane vulgatum est, mysteria religionem tantum initiatis patuisse. *Samothracia & Eleusinia reticentur*, inquit Tertullianus (*a*). Quo circa viri religionum sciendarum cupidi variis deorum sodalitiis se adscribebant, ut exemplo esse potest Apulejus, qui ad internoscendas religionum praxes, sacris Isidis, Æsculapii & Osiridis se initiandum curavit. Et quoniam *sancta silentii fide*, ut idem Apulejus loquitur (*b*), mysteriis initiati adstringebantur, non omnes promiscue, sed qui diu probati erant, recipiebantur inter sodales, qui ipsa initiatione videntur signa quædam & monumenta deorum, sancte deinceps servanda, accepisse. Summum vero nefas erat, silentii fidem frangere, & mysteria evulgare, hactenus ut profani mysteriorum violatores ab aliorum commercio excluderentur. Ad rem Horatius lib. 3. oda II.

Est & fideli tuta silentio
Merces. Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum.

Nempe commercia cum profanis evitabant gentes, quod crederent, deos iratos etiam innocentes cum sacrilegis communicantes punire (*c*). Nec minus philosophi arcani legem servarunt, qui non cum omnibus de iisdem rebus eodem modo loquebantur, sed sublimes doctrinas tantum suæ sectæ addictis aperiebant. Sane Pythagoras mystico sermone etiam practicas veritates inculcavit. Et Plato stilo obscuro & enigmatico scribit ad Dionysium, ne si litteræ in aliorum manus inciderent, vulgarentur. Commentationes quoque philosophorum duplicis erant generis *acroamaticæ*, quæ paucis & occulto stilo pro amicis & discipulis scribebantur: & *exotericæ*, quæ omnibus innotescebant: cujus duplicis generis Aristotelis libros fuisse Gellius adnotavit (*d*).

Ex-

(*a*) Apolog. cap. 8.
(*b*) Apul. lib. 3. Metamorph.
(*c*) Confer. Dacier. not. in Horat. verba Sæpe Diespiter loc. cit.
(*d*) Gell. lib. 20. cap. 4.

Exactior catechumenorum institutio.

§. VIII. Postquam satis inter substratos catechumeni probati erant, baptismum petebant, & inter competentes relati, exactiorem subibant disciplinam, qua in multis abstrusioribus fidei capitibus instituebantur, & variis exercitiis ad baptismum reddebantur aptiores. Baptismum vero petebant datis nominibus, quæ una cum nominibus susceptorum libris Ecclesiæ, quos *diptycha viventium* dicebant, inserebantur (*a*). In plerisque Ecclesiis præsertim Hierosolymitana, Romana tempore Siricii, & Africana initio quadragesimæ nomina dabantur. Quo spectare videtur Cyrillus Hierosolymitanus (*b*), non ad integrum catechesis tempus, quod ab auditione incipiebat, & in baptismo habebat finem: *tot annorum circulos transegisti, mundo frustra operam navans & quadraginta diebus non vacabis pro animæ tua?* Ergo quadraginta dierum spatio durabat exactior catechumenorum institutio, in qua varia scrutinia ad perscrutandos eorum mores, eosque ad baptismum præparandos Ecclesia non sine solemnitate celebrabat. Erant vero scrutinia sacri conventus, in quibus Ecclesia catechumenos purgabat, & eorum corda scrutabatur, videbatque *quanta vigilantia convenirent, quo studio ferverent, qua cura penderent*, quos Augustinus affirmat (*c*).

Competentibus symbolum & oratio dominica tradebatur.

§. IX. In primis durante tempore diligentioris examinis in multis abstrusioribus fidei capitibus competentes instituebantur, ut credentibus baptismus dari posset. Ergo verba symboli non sine adjecta explicatione accipiebant, id quod *symbolum tradere* dicebatur. Ipsi Antistites symbolum tradebant, nec nisi ex gravibus causis tantam provinciam Presbyteris demandabant. *Dimissis catechumenis*, inquit Ambrosius (*d*), *symbolum aliquibus competentibus tradebam in baptisteriis basilicæ*. Nec aliud quam symboli traditionem Hieronymus videtur intelligere nomine *sanctæ, & adorandæ Trinitatis*, quam in Ecclesia Bethlemitica per quadraginta dies baptizandis publice tradi consuevisse affirmat (*e*). Voce autem symbolum tradebatur, nec permittebatur à catechumenis adjuvandæ memoriæ causa describi (*f*). Simul cum symboli verbis orationem dominicam competentes accipiebant, quam mox suscepto baptismo recitabant; non enim iis, qui nondum christiani erant, Deum Patrem appellare permittebatur. In Ec-

(*a*) Auctor. Eccles. hierarch. cap. 2.
(*b*) Cyrill. catech. I. n. 5.
(*c*) Aug. de Fide & oper. cap. 6.
(*d*) Ambros. ep XXXIII. ad Marcellin. soror.
(*e*) Hieronym. ep. LXI. ad Pamach. cap. 4.
(*f*) Hieronym. ep. cit. Confer. Christ. Lupus diss. de Symbolo Nicæno, cap. 2. tom. I. oper. E. V.

Ecclesia Hierosolymitana omnibus diebus quadragesimæ symbolum tradebatur, in Ecclesia Romana feria quarta hebdomadis quartæ quadragesimæ, in Ecclesia Mediolanensi & Gallicana dominica palmarum. Sed fortasse quæ monumenta uno tantum die symbolum traditum affirmant, intelligi debent dè publica traditione in Ecclesiis vel baptisteriis facta, quæ non excludit privatam institutionem in scholis catecheticis; vix enim una sola traditione symbolum & orationem dominicam ita memoriæ mandare poterant competentes, ut inde ex formula ea publice reddere valerent. Quo spectat Synodus Agathensis (*a*), dum statuit, ut symbolum dominica palmarum *publice in Ecclesia competentibus* tradatur. Ut vero ad doctrinam evangelicam & veram sapientiam intelligendam catechumeni essent aptiores, cæremonia aperiendarum aurium præmitti solebat (*b*), iisque *epheta*, quos est *aperire* dicebatur. Et ita remittebatur arcani disciplina, non tamen per omnia, nam in Sacramentorum ritibus demum post baptismum fideles instituebantur. Tradita symboli verba memoriæ mandabant catechumeni, ut inde ante baptismum recitarent: quod *fidei restitutio* dicebatur.

Catechumeni agebant pœnitentiam.

§. X. A datis quoque nominibus duriora exercitia subibant catechumeni, quæ eos à contractis sordibus expiabant, & paratiores ad baptismi gratiam recipiendam reddebant. Ergo catechumeni agebant pœnitentiam, qua usque ad baptismum orationibus, abstinentia vini & carnium usuque conjugii, aliisque pœnitentiis corpus macerabant (*c*). *Baptizandi nomen suum dent*, inquit Concilium Carthaginense IV. (*d*), *& diu sub abstinentia vini & carnium ac manuum impositione crebro examinati baptismum recipiunt.* Una cum ipso baptismo cœpit catechumenorum pœnitentia; quo enim adulti justificentur, necesse est, ut de peccatis admissis doleant, & ad divinam gratiam suscipiendam per bona opera se disponant. Atque hæc erat *prima* in Ecclesia *pœnitentia*, ut vocant antiqui Patres, quæ in eo distabat à secunda post baptismum peccatoribus necessaria, quod nec auctoritate clavium imponebatur, nec adeo longa erat (ad summum enim durabat quadraginta dies), nec solemni tot stationum numero peragebatur, quo sensu occulta, non publica erat, ut Albaspinæus (*e*) animadvertit. Non tamen absolute exteriorem pœnitentiæ apparatum subire catechumenos oportebat; ad gratiam enim in baptismo suscipiendam satis erat interna peccatorum

(*a*) Conc. Agath. Can. XIII.
(*b*) Petrus Chrysolog. serm. LII.
(*c*) Aug. de Fide & operib. cap. 6.
(*d*) Conc. Carthag. IV. Can. LXXXIV.
(*e*) Albaspinæus Observat. lib. 2. cap. 1.

rum detestatio & sincera ad Christum conversio sine externis afflictionibus. Et hinc Ambrosius & Cyrillus Hierosolymitanus ad baptismum non gemitus & pœnitentiam requiri affirmant; non quod pœnitentiam baptismo præmitti ignorarent, sed quod sufficere credebant internam conversionem. Sua simul peccata durante pœnitentia catechumeni confitebantur, quod Tertullianus & Nazianzenus (*a*) affirmant. Confessio autem ista non erat sacramentalis, nec soli Deo, sed baptismi Ministris secreto fiebat (*b*): quo distabant nostri catechumeni, auctore Tertulliano, à baptizatis à Joanne, qui palam sua peccata aperiebant. Quo vero conscientiam suam melius catechumeni agnoscerent pœnitentiæ & confessioni præmittebatur cæremonia luto eorum oculos illiniendi exemplo cæci nati, quem Servator sanavit luto, quem ex sputo fecit, ejus oculos inungens (*c*).

Exorcismis catechumeni expiabantur.

§. XI. Porro ad expiandos catechumenos exorcismi adhibebantur, hoc est certæ preces ex Scripturis collectæ, quibus rogabatur Deus, ut Satanæ potestatem frangeret, eosque ab animi sordibus purgaret. Exorcismi antea in baptismo ignoti ætate Cypriani inter baptismi ritus jam recepti erant (*d*). Opinatur Antonius van Dale (*e*), exorcismum baptismo præmissum propter perversam veterum christianorum sententiam, qua nullum pene hominem dæmonio carere sentiebant: quæ doctrina, quamvis ethnica, tempore saltem Tertulliani inter multos christianos jam recepta erat. Et re ipsa Patres exorcismis inimicum dæmonem à catechumenis fugari subinde affirmant. Sed magis est, exorcismos baptismo præmissos, quod homines nascuntur natura *filii iræ* (*f*), adeoque potestati diaboli obnoxii, qui vim suam in iis, qui non credunt, magis demonstrat. Ergo adhibiti fuerunt exorcismi ante baptismum ad Satanæ potestatem frangendam, & ad animas à contractis sordibus expiandas. Tanta vero vis exorcismorum credebatur, ut veteres eos ignem appellent (*g*), quo animæ à contractis sordibus purgantur, non secus ac aurum in igne impuras commistiones deponit. Exorcismi igne ardente catechumenis exorcistæ manus imponebant, exsufflabant, eosque signo crucis signabant (*h*): quibus omnibus ignis exorcismi excitabatur, & fortius agebat. Et quoniam etiam infantes in peccatis nascuntur, hinc etiam ii exorcismis percellebantur (*i*). Facie velati, pedibus nudi, & unica veste co-

(*a*) Tertull. de Bapt. cap. 20. Nazianz. orat. 40. de Bapt.
(*b*) Albaspin. loc. cit.
(*c*) Ambros. de Sacram. lib. 3. cap. 27.
(*d*) Conc. Carthag. ad Cyprian.
(*e*) Ant. van Dale diss. de Divinationibus idolatr. sub veter. Testam. cap. 7.
(*f*) Ad Eph. II. 3.
(*g*) Aug. in Psalm. LXV.
(*h*) Confer. Bingh. Orig. eccles. lib. 10. cap. 2. §. 8.
(*i*) Gennad. de Dogm. eccles. cap. 31.

cooperti adulti catechumeni ad exorcismum accedebant, ut attentiores essent, & animi humilitatem indicarent (a). Durante exactioris exercitii tempore exorcismi sæpe repetebantur: quo spectant Patres Concilii Carthaginensis IV., dum asserunt, baptizandos datis nominibus diu abstinentia vini & carnium & *manuum impositione crebra* examinari.

Catechumenis sal degustandum dabatur.

§. XII. Parum quoque salis benedicti catechumenis dabatur degustandum, quod Concilium III. Carthaginense, Augustinus & Isidorus (b) testantur. Atque hunc salem alibi Augustinus (c) appellat *Sacramentum catechumenorum*, lata notione accepta voce Sacramenti, quatenus aliquid mystici significat, quod Cardinalis Bona, Basnagius (d) aliique recte intelligunt, & non obscure subindicant Patres Concilii III. Carthaginensis (e), cui ipse Augustinus interfuit, quando statuunt, *ut per solemnissimos paschales dies Sacramentum catechumenis non detur, nisi solum sal.* Quo circa minus recte Baronius, Albaspinæus, Petavius, Beveregius nomine *Sacramenti Catechumenorum* Augustinum eulogias seu panem benedictum intellexisse scribunt, eumque catechumenis loco Sacramentorum datum opinantur. Salis autem degustatione significabatur puritatis & veræ sapientiæ participes fieri catechumenos; vel potius sapientiæ sale catechumenos condiri, ut fetore careant iniquitatis, neque à vermibus peccatorum ultra putrescant, ut Rabanus opinatur (f).

Quî vindicata peccata catechumenorum.

§. XIII. Si durante adhuc catechesi graviter peccarent catechumeni, non ordinariis pœnitentiæ legibus (quod non adhuc erant Ecclesiæ membra) puniebantur, sed de superiore gradu in inferiorem recidebant, in quo inferiore gradu positi diu probabantur, quam disciplinam Nicæni & Neocæsareenses Canones proponunt (g). Ita si genuflectentes peccarent, audiebant; si audientes, Ecclesia expellebantur, eaque communionis ecclesiasticæ specie, qua propter admissam catechesim utebantur, excidebant. Sed Synodus Illiberitana (h) nulla facta degradationis mentione pro scelerum varietate baptismum catechumenorum ad tres, aut quinque annos, & aliquando etiam per totam vitam differt. Quodcumque vero crimen catechesis tempore admissum esset,

(a) Conf. Chardon. Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 1. chap. 7.
(b) Concil. Carthag. III. Can. V. Aug. Confes. lib. 1. cap. 2. Isidor. lib. 2. de Eccles. offic. cap. 20.
(c) Aug. de Peccat. merit. lib. 2. cap. 26.
(d) Bona de Reb. liturg. lib. 1. cap. 16. n. 3. Basnag. exercit. crit. in Baron.
(e) Conc. Carthag. III. Can. V.
(f) Can. LXIV. D. 4. de Consecr.
(g) Conc. Nicæn. Can. XIV. Neocæsar. Can. V.
(h) Conc. Illib. Can. IV. X. XI. & LXVIII.

set, nunquam in fine vitæ baptismus negatus fuit: in quo baptismus à pœnitentia distabat: etenim ob quædam crimina etiam in fine vitæ christianis denegabatur absolutio. Quin Patres Illiberitani, qui in causa absolutionis severissimi sunt, de catechumeno, qui per infinita tempora ad Ecclesiam nunquam accessit, statuunt, ut in ipsa mortis hora, si non prius, baptizetur, si de Clero quisquam, aut aliqui fideles cognoverint, eum esse christianum, hoc est catechumenum, eo quod in veterem hominem deliquisse videatur (a).

Catechesis etiam hodie baptismo præmittenda.

§. XIV. Atque hi ferme fuerunt ritus in catechumenorum institutione ab Ecclesia adhibiti, quorum plerique veluti manus impositio, preces, traditio symboli, exorcismi, exufflationes sæpe repetebantur. Sed lapsu temporis solemnis catechesis cessavit, & qui ritus vario tempore adhibebantur, ipso baptismi tempore usurpantur omnes. Cœpit mutatio disciplinæ sæculo sexto, quo adultorum baptismus rarior esse cœpit; infantes enim quamvis scrutinio indigerent, non videbantur exactiori disciplina ab baptismum perducendi, atque adeo sensim invaluit, ut sine præcedentibus scrutiniis infantes statim à nativitate baptizarentur, quæ disciplina sæculi XII. initio in pluribus Ecclesiis obtinebat, quamvis, observante Chardonio (b), etiam hoc tempore alicubi aliquis est usus scrutiniorum. Verum etsi à multis sæculis desiit solemnis baptizandorum catechesis, non tamen nulla præmissa institutione, & in moribus probatione, adulti hac ætate ad baptismum admitti debent. Etiam hodie verum est, quod habent Nicæni Patres, *Catechumenis tempore opus esse* (c), ut scilicet audiant, quæ fides & qualis vita debeat esse christianis, *ut cum se ipsos* probaverint, *tunc de mensa Domini manducent, & de calice bibant*, inquit Augustinus (d). Nempe fides, peccatorum omnium detestatio, & novæ vitæ secundum Christi præcepta instituendæ propositum jure divino baptismo præmitti debent. Ex experientia docuit male nomini christiano consuluisse, qui posteriori ætate Christum apud gentes annuntiarunt, dum magis de multiplicanda gente, quam de ejus institutione fuerunt solliciti (e). Nec inutile etiam erit in baptizandis adultis ritus baptismo præmitti solitos separatis diebus adhibere, ut ita baptizandi intelligant tanti mysterii celsitudinem, & magis in fide & studio pietatis confirmentur.

CA-

(a) Conc. Illib. Can. XLV.
(b) Chardon. Hist. des Sacrem. lib. 1. sect. 1. chap. 7.
(c) Conc. Nicæn. Can. II.
(d) Aug. de Fide & operib. cap. 6.
(e) Confer. Drouven. de Re Sacr. lib. 2. q. 5. cap. 4. §. un.

CAPUT VI.

De tempore & loco dandi baptismi.

Dandi baptismi tempora in Occidente Pascha & Pentecoste.

§. I. Initio christianæ religionis nulla fuerunt stata tempora baptismo dando dicta, sed prout res & occasio postulabat, Apostoli baptizarunt. Ardens primorum christianorum studium baptismi dilationem non admittebat (*a*). Sed inde solemni & longa instituta catechesi, etiam certi dies baptismo conferendo statuti sunt, extra quam si instans necessitas ad tempus legitimum dilationem baptismi non pateretur. Ecclesiæ occidentales duobus fere diebus Paschate nempe & Pentecoste solemnem baptismum dabant: quæ disciplina secundo sæculo exeunte jam erat inducta. *Diem baptismo solemniorem Pascha præstat*, inquit Tertullianus (*b*), *quum & passio Domini, in qua tingimur, jam impleta est .... Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est.* Nec alia tempora tanto mysterio celebrando erant aptiora: etenim Baptismus mortem & resurrectionem Christi, quæ in Paschate recoluntur, refert; & Pentecoste propter Spiritus sancti illapsum mysteria Baptismi uberiora facere videbatur. Sæculo quarto & sequentibus plures Ecclesiæ occidentales novitia usurpatione etiam in natalitiis seu apparitione Christi, festivitatibus Apostolorum & martyrum, nativitate Joannis Baptistæ solemnia baptismi tribuerunt; sed Summi Pontifices Siricius (*c*), Leo M. (*d*) & Gelasius (*e*), & Concilia Matisconense II. in Gallia, & Gerundense in Hispania (*f*) novitios mores castigarunt, & antiquam restituerunt disciplinam. Interim Concila Matisconense II. & Antissiodorense (*g*) tantum in Paschate baptismum dari permittunt: atque ideo nova ista decreta aut antiquam disciplinam mutarunt, aut quod verius puto, Paschæ nomine integrum paschale tempus usque ad Pentecostem intelligunt (*h*).

In Oriente etiam epiphania.

§. II. Sed in Ecclesiis orientalibus præter Pascha & Pentecosten etiam dies epiphaniæ baptismo sacra erat. Id aperte supponit Nazian-

(*a*) Bingh. Orig. eccles. lib. 11. cap. 6. §. 9.
(*b*) Tertull. de Bapt. cap. 19.
(*c*) Siric. ep. ad Himer. Tarracon. cap. 2.
(*d*) Leo M. ep. II. ad Episc. Siculos, & ep. LXXX. ad Episc. Camp.
(*e*) Gelas. ep. IX. ad Episc. Lucan.
(*f*) Conc. Matiscon. II. Can. VI. Conc. Gerund. Can. IV.
(*g*) Conc. Antissiod. Can. XVIII.
(*h*) Habert. Archierat. part. 8. observ. 4.

zianz. (*a*), qui ita loquentes homines, qui Baptismum differebant, inducit: *Luminum diem*, id est epiphaniam, *expecto, Paschatis festum pluris facio, Pentecosten expectabo.* Præsertim in epiphania Baptismum dabat Ecclesia Hierosolymitana, quod eo die ibi Christus in Jordane tinctus erat. Scribit Chrysostomus, Christum in epiphania aquas sanctificasse, & omnes sub media ejus nocte aquas haustas accipere, easque domum delatas biennio aut triennio incorruptas servari (*b*). Hierosolymis quoque dabatur solemnis Baptismus in anniversariis encæniis Ecclesiæ S. Anastasiæ, quam Constantinus M. super servatoris sepulchrum ædificavit (*c*): quæ solemnitas die XIII. Septembris recurrebat, ut Valesius demonstrat (*d*). Interim stati dies Baptismo conferendo apud orientales dicti eos videntur spectasse, qui adhuc institutione indigebant: nam qui satis erant instituti quolibet festo die poterant baptizari. Sane Basilius omne tempus ad Baptismum suscipiendum opportunum inculcat (*e*): & Chrysostomus recte præparatos prima quadam opportunitate ad lavacrum suscipiendum adhortatur, nec patitur diem Paschæ expectari (*f*). Veri speciem habet, Græcos Patres quovis die festo baptizasse, ut dilationem Baptismi sæculis quarto & quinto frequentissimam abolerent, & rationem differendi ad statas solemnitates, qua multi à suscipiendo baptismo se excusabant, prorsus excluderent.

Baptismus solemnis nocte dabatur.

§. III. Jam vero in ipsis legitimis Baptismi temporibus noctis potius tempore, quam claro die Baptismus dabatur, incipiebatque sancta cæremonia à vespera sabbati, & ad multam noctem producebatur. Sane auctor apostolicarum constitutionum à vespera sabbati sancti usque ad galli cantum Baptismum jubet celebrari (*g*): conjuratque Chrysostomus (*h*), qui Baptismi cæremoniam ad vesperam sabbati magni cœpisse significat. Similiter Latini passim tradunt, intempestæ noctis silentio Baptismum dari consuevisse. Et Paschasinus Lylibætanus ad Leonem M. scribit, Ecclesiam quandam in præruptis montibus esse, ubi Paschatis nocte sponte sua sacri fontes aquis implerentur quamvis eo loci nec canales, nec aquæ existant ullæ, aquas vero evanescere postquam pauci illi, qui adsunt, consecrati sunt (*i*). Fortasse nocte Paschatis Baptismus collatus est, ut baptizati cum Christo in novam vitam resurgerent. Jejuni quoque Baptis-

(*a*) Gregor. Nazianz. orat. 11. de Bap.
(*b*) Chrysost. orat. de Bapt. Christi.
(*c*) Sozom. lib. 2. cap. 26.
(*d*) Vales. diss. de Anastas. ad calcem Eusebii.
(*e*) Bassil. hom. 13. exhort. ad Bapt.
(*f*) Chrysost. hom. 1. in act.
(*g*) Constit. apost. lib. 5. cap. 19.
(*h*) Chrysost. ep. I ad Innocent.
(*i*) Epist. Paschas. inter ep. S. Leonis post II. E. Q.

tistæ jejunis dare Baptismum debebant: & hinc veri speciem habet, nocte sabbatum sequente datum fuisse Baptisma, ne jejunii continuatio dantes, & accipientes Baptismum summopere defatigaret. Etenim jejunium vespera ad vesperam incipiebat: atque ideo à vespera feriæ sextæ jejúnos baptistas & baptizandos esse oportebat: quin à feria quinta majoris hebdomadis sacerrimum jejunium incipiebat, quod Christiani ad usque dominicæ mane prorogabant. Sed deinceps mutata est disciplina; apud Græcos enim Petrus Gnapheus Antiochenus Patriarcha *aquarum in theophaniis orationem vespere fieri constituit*, quod Theodorus Lector testatur: & in Ecclesia latina sæculo octavo hora nona sabbati sancti mysteria Baptismi, Alcuino teste, dabantur. Sed moribus præsentibus in Ecclesia latina totum noctis Paschatis officium mane sabbati sancti celebratur, eoque mane aquæ consecrantur.

Infantes fere baptizati in solemnibus Baptismi diebus.

§. IV. Ubi integra stetit disciplina, quæ certis tantum diebus Baptisma dari præcipiebat, nemo extra legitima tempora baptizabatur, præter quam si necessitas urgeret, quo casu nulla dierum habita ratione Baptismus statim ministrabatur (*a*). Hinc olim statis Baptismi solemnitatibus recurrentibus copiosus erat baptizandorum numerus, præsertim ubi in sola Ecclesia cathedrali erat baptisterium. Etenim non tantum adultorum, verum etiam infantium Baptismus ad legitimos dies differebatur. Quamvis enim Ecclesia Romana sæculo quarto infantes tingebat, quocunque die eos parentes obtulissent (*b*) (quæ eadem tum temporis videtur fuisse aliarum Ecclesiarum latinarum disciplina): tamen paulo post in universo Occidente pædobaptismus ad solemnes dies dilatus est, quod ex Ambrosio, Augustino, Concilio Antissiodorensi & Bracarensi constat (*c*). Verum ad solemnes dies dilato puerorum Baptismo, nunquam probavit Ecclesia Tertulliani & Gregorii Nazianzeni sententias (*d*), quorum ille ad ætatem, qua pueri recta à pravis discernere valerent, hic ad tertium ætatis annum, quo aliquod mystici audire & respondere possent, pædobaptismum censuit differendum. Quin parentes filiorum Baptismum differentes cogunt Capitularia Regum Francorum, ut infra annum à nativitate eos Baptismo offerant, quod Chardonius (*e*) observat.

Bap-

(*a*) Siric. epist. ad Himer. Tarrac. cap. 2. Conc. Antissiod. Can. XVIII. Conc. Matiscon. II. Can. III.
(*b*) Siric. ep. cit.
(*c*) Ambros. de mysterio Paschæ cap. 5. Aug. serm. 160. de Temp. Conc. Antissiod. Can. XXIII. Conc Bracar II al. III Can IX.
(*d*) Tertull. de Bapt. cap. XVIII. Gregor. Nazianz. orat. 40. de Bapt.
(*e*) Chardon, Histoire des Sacraments lib. 1. sect. I. part. 2. chap. 6.

Baptismi dilationes olim frequentes.

§. V. Statas Baptismi solemnitates etiam finita catechesi multi olim elabi sinebant, & Baptismum in aliud tempus, aut ad mortem usque differebant, idque ex variis rationibus, quas Walkerus (*a*) recenset. Multi nempe paratiores ad Baptismum accedere cupiebant, & hinc non contenti consueta catechesi, in aliud tempus regenerari statuebant. Contra alii diutius hujus sæculi voluptatibus, quibus in Baptismo solemniter oportebat renuntiare, frui volebant (*b*): nec Baptismi dilationem veluti præposteram reputabant, quando in vinea Domini æqua conditione excepti sunt etiam, qui postremi ad laborandum pervenissent. Alii principiis Novatianis imbuti, veniam peccatis, quæ post Baptismum admittere poterant, desperabant. Multos à Baptismo deterrebant longæ & severæ pœnitentiæ, quibus fidelium peccata Ecclesia expiabat. Nec deerant, qui à Ministro extraordinariis donis ornato volebant baptizari, quasi Baptismi gratia à Ministri sanctitate penderet (*c*). Exemplum Christi alios commovebat, & hinc nisi anno ætatis suæ tricesimo (*d*), vel in Jordane nolebant baptizari. His aliisque rationibus ingens fuit eorum numerus qui in aliud tempus, vel ad finem vitæ Baptismum differebant, eorumque multos pudebat veras rationes effari, quorum numero fuisse videtur Constantinus M. qui Baptismum ad mortem usque distulerat, & tamen se in Jordane tingi velle simulabat: nec interim quoad vixit, ad illas aquas ire cogitavit. Frequens itaque fuit olim Baptismus clinicorum; sed multos sera capiebat pœnitentia, quod ubi copia Baptismi non esset, sibi mori contingeret, ut exemplo esse possunt Gregorius Nazianzenus & Saturus Ambrosii frater, qui in summa maris tempestate tantum non obruti, vicem indolebant suam, quod sine Baptismo morerentur. Interim Patres solidissimis rationibus dilationis Baptismi prætextus exagitabant, quo nomine celebres sunt Basilius, ambo Gregorii Nazianzenus, & Nyssenus, Augustinus & Chrysostomus, sed quousque adulta ætate homines baptizati sunt, non defuerunt, qui Baptismum in aliud tempus differrent, quamvis interim pietatem edocerentur.

Ex nova disciplina Baptismus quovis die datur.

§. VI. Per plura sæcula stetit disciplina, quæ certis tantum solemnibus diebus Baptismum dari præcipiebat; sed tandem & apud Græcos & apud Latinos desuevit. Sæculo XI. Concilium Rothoma-

(*a*) Walker. lib. de pædobaptismo in præfat.
(*b*) Gregor. Nazianz. orat. 40. de Bapt. Basil. homil. 13. exhort. ad Bapt.
(*c*) Gregor. Nazianz. loc. cit.
(*d*) Idem loc. cit.

magense generalem Baptismum in sabbatis Paschæ & Pentecostes statuit celebrandum, exceptis tamen infantibus, quibus quocumque die Baptismum dari voluit propter periculum, cui obnoxii continue censebantur (*a*). Et ita magis adultorum Baptismo facto rariore, veluti sponte sua desierunt Baptismi in Paschate & Pentecoste administrari: quæ disciplina sæculo XII. jam recepta erat, ut ejus ætatis scriptor Rupertus Abbas testatur (*b*). Quin sæculo XIII. alicubi in Anglia opinio invaluerat, rem periculi plenam & ominosam esse sabbatis Paschæ & Pentecostes baptizari. Interim Ecclesia antiquos ritus non omnino deletos supponit. Etenim adhuc hodie in Paschate & Pentecoste pro recens natis preces fundit: & rituale Romanum, quatenus fieri possit, nec periculum urgeat, in iis festis diebus adultos baptizandos admonet, præsertim in metropolitanis & cathedralibus Ecclesiis. In Anglia pristini ritus desiderio Patres Concilii Redingensis an. CIϽCCLXXIX. voluerunt, ut infantes octo diebus ante Pascha & Pentecostes nati ad eas solemnitates baptizandi reservarentur. Utinam vero Episcopi & Parochi ita cogitarent! Solemnior esset in Ecclesiis fontium consecratio, & frustraneæ non viderentur preces, quas etiam hodie in hebdomadis Paschali & Pentecostali pro recens natis fundit Ecclesia. Itaque hodie in Ecclesia apud Latinos uno aut altero à nativitate die, apud Græcos vero octavo die infantes baptizantur.

Baptisteria erant ab Ecclesiis separata.

§. VII. Venio nunc ad locum, ubi Baptismus conferri debet. Primis duobus ferme Ecclesiæ sæculis nulla fuerunt certa loca dando Baptismo addicta, sed vel domi quisque suæ, vel in fluminibus & stagnis, vel alio quovis loco, prout ferebat occasio, baptizabatur (*c*). Verum deinceps, præsertim ubi Ecclesia sub Imperatoribus christianis pro libertate sua ad sacros conventus loca augustiora cœpit ædificare, etiam certa loca ad dandum Baptismum constituit, nec extra ea, nisi urgeret necessitas, baptizare permissum fuit (*d*). Loca ista ad dandum Baptismum destinata dicta sunt *baptisteria*, & à Græcis φωτιςήρια, *loca illuminationis* (*e*), hoc est Baptismi, qui ab antiquis scriptoribus sæpe *illuminatio* dicitur. Erant vero baptisteria ædificia ab Ecclesiis distincta eisque contigua, unumque inter exedras ædificium constituebant. Quoniam vero stata Baptismi tempora raro recurrebant, ac propterea magnus erat baptizandorum numerus, olim baptisteria satis ampla erant, adeo ut in iis Concilia fuerint celebra-

(*a*) Conc. Rothomag. an. 1072. Can. XXIV.
(*b*) Rupert. de Div. offic. lib. 4. cap. 18.
(*c*) Tertull. de Bapt. cap. 4. Clemens Romanus recognit. lib. 4. cap. 33.
(*d*) Novell. Justin. LVIII. Conc. Trull. Can. LIX.
(*e*) Confer. Bingh. Orig. Eccles. lib. VIII. cap. 7. §. 3.

brata (*a*). Fortasse in aliquibus baptisteriis duo erant conclavia, in quorum uno mares, altero feminæ baptizabantur: quo spectare videtur Ambrosius, quando affirmat, se aliquibus competentibus *in baptisteriis basilicæ* symbolum tradidisse (*b*). In medio baptisterio fons erat, seu aquarum receptaculum figuræ plerumque rotundæ, in quo baptizandi mergebantur. Fontem Latini *piscinam* sæpe dicunt, Græci vero κολυμβήθραν. Aqua in piscinam per canales deducebatur; & in aliquibus baptisteriis cervi aut leones ex solida materia erant, qui aquam effunderent. Diu extra Ecclesiam steterunt baptisteria, at inde à sæculo sexto in Ecclesia cœperunt collocari (*c*). Et desuescente deinceps ritu immersionis novam formam à veteri multum diversam induerunt. Quin in multis locis antiqua baptisteria ad latus Ecclesiarum cathedralium extructa in Ecclesias parochiales abierunt, quæ S. Joannis Baptistæ nomine plerumque donantur (*d*).

Etiam Parochiæ habent baptisteria.

§. VIII. Quemadmodum vero primis sæculis Baptismi administratio episcopalis officii ministerium censebatur ita etiam ea ætate unum in integra diœcesi plerumque erat baptisterium secus Ecclesiam cathedralem constitutum, in quo statis solemnitatibus Episcopus dabat Baptismum (*e*). Et hæc causa fuit quamobrem olim in Paschate & Pentecoste homines magno numero ad Baptismum suscipiendum ex universa Parœcia in civitatem confluerent. Inde etiam Ecclesiæ cathedrales olim Ecclesiæ *matres* & *matrices* dictæ sunt, quasi quæ totius Parœciæ filios per Baptismum generarent. Verum lapsu temporis fere omnibus Parœciis in diœcesi constitutis baptisteria communicata sunt: nec enim ad Baptismum accipiendum ad Ecclesiam cathedralem confluere facile omnes poterant, præsertim in amplis diœcesibus, & ubi adultorum Baptismus rarior evaserat: quæ disciplina sensim invaluit. In Hispania initio quarti sæculi aliquæ Ecclesiæ inferiores videntur habuisse baptisteria: Illiberitani enim Patres de Diaconis, qui regebant plebes, & sine Episcopo & Presbytero baptizabant, Canonem habent (*f*). Hieronymus quoque loquitur de Presbyteris & Diaconis, qui in oppidis & villis baptizabant (*g*). Sed quo tempore hæc disciplina invalescebat, non passim omnes Parœciæ baptisteriis donabantur, sed una veluti major Ecclesia constituebatur, in qua erat baptisterium, quæque à se pendentes multas habebat Ecclesias inferiores. Ecclesiæ, quæ baptiste-

(*a*) Conf. Du Fresn. in Paul. Silentiar. & Suicer. Thesaur. eccles. v. φωτιστήριον.
(*b*) Ambros. ep. XXXIII.
(*c*) Confer. Bingh Orig. Eccles. lib. VIII. c. 7. §. 6.
(*d*) Chardon, Histoire des Sacraments lib. 1. sect. I. part. 2. chap. 2.
(*e*) Bingh. loc. cit. §. 1.
(*f*) Conc. Illiber. Can. LXXVII.
(*g*) Hieronym. dial. advers. Lucifer.

teriis donabantur, *baptismales* & *plebes* à populo multitudine ad Baptismum confluente, & *matrices* : quæ vero baptisteriis carebant, *tituli minores* & *capellæ* dicebantur (*a*). Plebibus præficiebantur rurales Archipresbyteri, alias *Decani* dicti, qui etiam Præsbyterorum minorum titulorum habere debebant curam. Ubi constituebantur baptisteria, id episcopali auctoritate fiebat : & fideles minorum titulorum ter in anno ad Ecclesiam matrem confluere debebant. Sed adhuc in multis Italiæ civitatibus antiquæ disciplinæ vestigia supersunt ; Bononiæ enim, Pisis, Parmæ, Florentiæ quamvis multæ existant Ecclesiæ parochiales, unicum tamen est baptisterium, in quo cives omnes baptizantur (*b*). Quando igitur Parochiæ ferme omnes proprio donantur baptisterio, ibi parochiani omnes in Christo regenerari debent, præterquamquod si urgens necessitas cogat alibi Baptismum accipere. Et vetant profecto Canones in privatis sacellis, aut minoribus titulis, ubi non sunt fontes, aut in privatis domibus Baptismum administrari, ibique data baptismata sub appellatione παραβαπτισμάτων improbant & traducunt (*c*).

CAPUT VII.

De Baptismi collatione, ubi de susceptoribus.

Renuntiatio Satanæ.

§. I. Tempore Baptismi adveniente, recte institutos & probatos catechumenos Ecclesia baptizavit. Sed ante baptismum tria catechumeni solemniter præstabant, renuntiabant nempe diabolo, Christo se deinceps deservire promittebant, & fidem profitebantur : quæ tria susceptorum vicaria opera infantes præstabant. Sic fortius intelligebant illuminandi novæ vitæ obligationem & disertis promissionibus se in christianam societatem fœderabant. Nec nostra hac ætate diversa obtinet disciplina : tantum non adeo solemni ritu, qui adulti baptizantur, diabolo & mundo renuntiant, & fidem profitentur. Ut à primo exordiamur, aquam additurі catechumeni in baptisteriis vestibulo Satanæ mundo ejusque pompis conceptis verbis & coram Ecclesia ex antiquissima disciplina renuntiabant. *Aquam adituri*, inquit Tertullianus (*d*), *ibidem, sed aliquanto prius in Ecclesia, sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus*. Renuntiabunt autem stantes, nudi, calceis etiam detractis, &

(*a*) Confer. Chardon. loc. cit.
(*b*) Durant. de Ritib. eccles. lib. 1. cap. 19. n. 3. Vicecomes de Ritib. Bapt. lib. 1. cap. 8.
(*c*) Conc. Constantinop. sub Menna. act. I. Novell. Justin. XLII. c. 3.
(*d*) Tertull. de Coron. milit. cap. 3. Confer. Ambros. de Initial. cap. 11. & Hieronym. com. in Matth. cap. XXV. 26.

& in Occidentem versi, terque renuntiationem repetebant. (*a*). Occidentem versus fiebat renuntiatio, quod solis occasus, utpote apparentium tenebrarum locus, symbolum Satanæ, qui princeps dicitur tenebrarum, referebat (*b*). Verba renuntiationis gestus & habitus indignantis comitebantur : nam dum Satanæ catechumeni renuntiabant, manus in Occidentem extendebant, sæpe etiam collidebant, & in Satanam veluti præsentem exsufflabant, exspuebant, aliaque adversantis animi edebant signa (*c*). Ter vero Satanæ renuntiatum crederem, non ob aliquod sacramentum, quod arbitratur Vicecomes (*d*), sed ut fortius renuntiatio animis adhæreret, & melius de seria baptizandorum voluntate constaret. Illud vero in compertis est, in Satanæ renuntiatione catechumenos peccatis omnibus, theatris, spectaculis mundique illecebris renuntiasse, quod ex renuntiandi formulis constat, & Patres agnoscunt.

Promissio observantiæ mandatorum Christi.

§. II. Peracta renuntiatione, illuminandi se vertebant ad Orientem, & mandatorum Christi promittebant observantiam : id quod Græci συντάσσεσθαι Χριστῷ, *Christo adscribi*. Latini vero *pactum*, *promissum*, *votum* dicunt. Et consequens omnino erat, ut qui diabolo & mundo renuntiaverant, deinceps se victuros secundum Christi præcepta promitterent. Qui diabolo & mundo renuntiaverant, necessario novam vitam instituere debebant. Et profecto Christi Baptismo indigni erant, qui ætate Augustini parati quidem erant ad fidem profitendam, sed legis observantiam promittere detrectabant, & nihilo secius Baptismum petere non erubescebant. Quos pro merito confutavit Augustinus edito excellenti libro *de Fide & operibus* : fides enim ab operibus sejuncta nihil quidquam operatur, nec verum christianum efficit. Læti & ad Orientem versi illuminandi Christo se adscribebant, quia Oriens symbolum erat solis justitiæ, ad quem Satanæ rejectis operibus, se convertebant. Præclare Hieronymus (*e*), *in mysteriis primum renuntiamus ei, qui in Occidente est, & sic versi in Orientem, pactum inimus cum sole justitiæ, & ei servituros nos esse promittimus*. Sed Cyrillus Hierosolymitanus ideo ad Orientem pactum initum affirmat, quod in Oriente situs erat paradisus, unde propter mandati violationem primus homo ejectus fuit, eumque recisis cum diabolo pactionibus aperiri affirmat (*f*). Una cum Satanæ abrenuntiatione cœpit obedientiæ pactum ; tradit enim Justinus martyr, tum demum homines baptizari, quum crediderint ve-

(*a*) Cyril. Hierosolym. Catech. mystag. I. n. 2. Auctor. eccles. hier. cap. 3.
(*b*) Cyril. loc. cit.
(*c*) Auctor eccles. hierarch. loc. cit.
(*d*) De Ritib. Bapt. lib. 2. cap. 20.
(*e*) Hieronym. com. in Amos VI. 14.
(*f*) Cyril. Catech. mystag. I. n. 6.

vera esse, quæ Ecclesia docebat, *ac vivere se ita posse receperint* (*a*).

Fidei professio.

§. III. Porro proxime ante Baptismum catechumeni fidem solemniter profitebantur, cui usui composuit Ecclesia certam formulam, quæ *symbolum fidei* dicta, potiora nostræ doctrinæ capita comprehendit, secundum quam se credere illuminandi testabantur. In scrutiniis symbolum competentes accipiebant, illudque memoriæ mandabant, & in scrutiniis reddebant; sed solemnis fidei professio instante baptismo fieri solebat, apud Græcos nempe feria quinta majoris hebdomadis (*b*), in Ecclesia Romana & Africana ipso sabbato magno (*c*), alibi vero momento ipso Baptismi post Satanæ abrenuntiationem: idque faciebant coram multis testibus, vel continua oratione, vel ad singula fidei capita interrogati respondentes, prout Ecclesiarum ferebat disciplina: quin Romæ locum ascendebant eminentiorem, nisi profitentis obstaret verecundia, quod tradit Augustinus (*d*). Quo vero ipsi actioni corporis habitus responderet, electi fidem profitentes, manus in cælum attollebant, quasi ad Christum avolaturi (*e*). Et quemadmodum ter Satanæ abrenuntiabant, ita in multis Ecclesiis ter fidem profitebantur (*f*). Editam fidem multæ Ecclesiæ in tabulas videntur retulisse, quibus ipsi profitentes manu sua, si scribere nossent, subscribebant, ut si qui à suscepta religione deficere cogitasset, pudore datæ fidei & suæ confessionis testimonio impediretur (*g*).

Baptizandi ante Baptismum oleo inuncti.

§. IV. Antequam vero aquis lustralibus illuminandi abluantur, oleo sub certa verborum formula & signo crucis inunguntur. Oleum illud *mysticum* ab antiquis dictum, hodie *oleum catechumenorum* dicitur: & solemni benedictione ab Episcopo, non secus ac chrisma & oleum infirmorum, ex antiqua disciplina consecratur: qua consecratione supernaturalem efficaciam adquirere veteres Patres tenebant (*h*). Totum corpus ante immersionem apud Græcos inunctum est (*i*), sed non adeo certum est, num in Ecclesia latina idem obtinuerit, certe vero posteriori ætate tantum pectus & scapulæ inuncta sunt. Unctio hæc olei consecrati Baptismum antecedens quarto

(*a*) Justin. martyr. apol. 2.
(*b*) Conc. Laodic. Can. XLVI.
(*c*) August. hom. XLII. inter quinquaginta.
(*d*) Lib. 8. Confess. cap. 2.
(*e*) Auctor de ecclesiast. hier. cap. 2.
(*f*) Cyril. Alexandr. lib. 12. in Joann. XXI. Ambros. de Spiritu sancto lib. 2. cap. XI.
(*g*) Conf. Vicecomes de Ritib. Bapt. lib. 2. cap. 27.
(*h*) Const. apost. lib. 7. cap. 42.
(*i*) Auctor eccles. hierarch. cap. 2.

to sæculo videtur inducta, nulla enim in antiquioribus monumentis unctionis Baptismo antegressæ mentio occurrit. Interim olei unctione ad Baptismum illuminandos præparari Ambrosius, seu quisquis sit auctor libri *de Sacramentis*, & Chrysostomus affirmant, ut tanquam veri athletæ deinceps christiani cum diaboli & mundi pompis fortiter luctari possent (*a*). At contra Cyrillus Hierosolymitanus (*b*) olei unctionem symbolum esse dicit pinguedinis Christi catechumenis communicatæ, & quod vestigium omne diabolicæ operationis in iis deletum est. Alii alias. Sed notum est, ex Ecclesiæ cæremoniis pro vario ingenio scriptores ecclesiasticos varia exsculpere Sacramenta.

Baptismus olim per immersionem datus.

§. V. Jam vero triplici ritu potest aqua ad Baptismum adhiberi; immersione nempe, effusione & adspersione. In veteri disciplina, quæ ab Apostolis profecta est, per universam Ecclesiam in casibus ordinariis per immersionem Baptismus collatus est (*c*): qua baptizandi omnes masculi, feminæ, adulti, pueri vestibus exuti & omnino nudi in aquam mergebantur (*d*), & inde educebantur. Repræsentabat autem in aquam immersio & subsequens eductio Christi sepulturam & resurrectionem, nec non mortem baptizatorum, qua peccatis moriuntur, & eorundem in novam vitam resurrectionem. Hanc baptizandi consuetudinem certe spectat multis in locis Apostolus, quibus asserit, fideles consepultos esse Christo per Baptismum in mortem, & ejus resurrectionis virtute in novam vitam resurgere (*e*). Quo vero honestati & pudicitiæ consuleretur, viri & mulieres diverso baptisterii conclavi, vel si unum esset aquarum receptaculum, diverso tempore baptizabantur (*f*). Consulebant quoque Baptismo feminarum diaconissæ quæ earum Baptismo præsentes curabant, ut universus actus cum decentia tanto mysterio debita celebraretur. Quare feminas spoliabant, oleo ungebant, ab aquis exeuntes suscipiebant, abstergebant, vestiebant. Ipsi hæretici, qui Baptismum retinuerunt, fere etiam per immersionem baptizarunt: nec enim alias mortis & resurrectionis Christi Sacramentum poterat exhiberi. Soli Eunomiani, Arianorum propago, mutatæ immersionis ab antiquis accusantur: quod enim partes humani corporis infra pectus tanquam execrabiles haberent, aqua caput & pectus, non vero reliquas partes abluebant (*g*): & hinc capi-

(*a*) Ambros. de Sacram. lib. I. cap. 2. Chrysost. hom. VI. in Coloss.
(*b*) Catech. mystag. 2. n. 3.
(*c*) Tertull. de Bapt. cap. 2. Cyril. catech. 17. Confer. Bingh. Orig. eccles lib. XI. cap. XI.
(*d*) Ambros. serm. XX. Cyril. catech. mystag. 2. Chrys. ep. I. ad Innoc.
(*e*) Ad Rom. VI. ad Coloss. II. 12.
(*f*) Confer. Bingh. loc. cit. §. 3. Vossius de Bapt. disp. I.
(*g*) Theodoret. Hæret. fabul. lib. 4. cap. 3.

pite demerso & pedibus in altum suspensis baptizabant, ut Epiphanius testatur (*a*): quod genus homines *histopedes*, hoc est *pederecti* vocantur. Hinc eleganti conjectura in lege quadam Theodosii M. (*b*), ubi legitur *Eunomiani spadones*, Jac. Gothofredus *Eunomiani histopedes* legendum censet (*c*).

Immersio trina erat.

§. VI. In aquam autem semel, iterum atque tertio immergi toto corpore oportebat baptizandos, quot nempe personæ erant sanctæ Trinitatis cujus invocatione Baptismus consecratur. *Non semel*, inquit Tertullianus (*d*), *sed ter, ad singula nomina, in personas singulas tingimur*. Quod idem Basilius, Hieronymus, aliique veteres testantur, in primis Ambrosius, seu quisquis auctor est libri *de Sacramentis* (*e*), qui trinæ immersionis ritum accurate describit. Trina autem hæc immersio Sacramentum erat triduanæ Christi sepulturæ (*f*), aut fidei professionem in sacrosanctam Trinitatem indicabant (*g*). Una cum immersione ab ipsis christianismi initiis cœpit ter immergendi consuetudo, & reipsa eam veluti ab Apostolis traditam Tertullianus, Basilius & Hieronymus repræsentant. Ex hæreticis Eunomius unica mersione cœpit baptizare: quod non in sanctam Trinitatem, sed in Christi mortem tingebat (*h*). Propterea videtur prodiisse Canon apostolicus, quo deponuntur Episcopi & Presbyteri, qui unica mersione in Christi mortem baptizabant (*i*). Sub finem sæculi sexti in Hispania trina mersio in unam mutari cœpit: quidam enim Episcopi, quo se opponerent Arianis, ex triplici mersione triplicem in Trinitate substantiam arguentibus, unica mersione uti è re ecclesiastica esse duxerunt: quam mutationem Gregorius M. probavit, *quod in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa*, præsertim quando unica mersione Sacramentum unius divinitatis exprimatur (*k*). Sed nec consensum cum Arianis, nec Gregorii auctoritatem morati multi Hispani Episcopi triplicem immersionem retinuerunt, donec Concilium Toletanum IV. ut pacem & ritus unitatem per omnes Hispaniæ Ecclesias induceret, unam mersionem adhibendam decrevit, quod unica mersione & unitas divinitatis & mors & resurrectio Christi designaretur (*l*). Nec erat, cur Strabo Pa-

(*a*) Epiph. hær. 76.
(*b*) L. 17. C. Th. de Hæreticis.
(*c*) Gothofr. not. in cit. leg.
(*d*) Tertull. contra Prax. cap. 25.
(*e*) Ambros. de Sacr. lib. 2. c. 7.
(*f*) Greg. Nyssen. de Bapt. Christi, Cyril. Hierosolym. catech. mystag. 2.
(*g*) Can. LXVIII. de Consec. D. 4.
(*h*) Theodoret. loc. cit.
(*i*) Can. apost. XLIX al. L.
(*k*) Greg. M. lib. 1. ep. XLI. ad Leandrum.
(*l*) Conc. Tolet. IV. Can. V.

Patribus Toletanis crimini verteret (*a*), quod ex tam levi argumento immergendi consuetudinem deseruerint; quando ter mergendi ritus, quamvis apostolicus, ad vim Baptismi non pertinet, & pro Ecclesiæ auctoritate mutari potest.

Validus fuit Baptismus per effusionem, aut adspersionem.

§. VII. Generalis quidem olim mos obtinuit dandi Baptismi per immersionem; at non propterea tanquam vanos & nullos Baptismos effusione aut adspersione datos Ecclesia rejecit. Ut enim recte observat Cyprianus (*b*), non *sic in Sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali & sæculari sordes cutis & corporis abluuntur*. Quapropter modo corpus abluatur, quo ritu lotio fiat, parum referre videtur. Repræsentat quidem immersio Christi mortem & sepulturam; at Sacramentum hoc profecto tantum non est, ut, nisi eo expresso, Baptismus nullus habeatur, præsertim quando effusio aut adspersio ῥαντισμὸν sanguinis Christi demonstrat. Et re ipsa in casibus extraordinariis, ubi immersio non poterat usurpari, Ecclesia Baptismum effusione datum semper admisit. Ita carcere detentus Laurentius martyr, aqua in caput effusa, militem quendam Romanum & Lucillum, quos Christo lucratus fuerat, baptizavit (*c*). Et in mortis lecto decumbentes per effusionem Christo initiabantur, qui erat *Baptismus clinicorum*, à loco ubi dabatur, ita dictus; nec unquam Ecclesia de vi Baptismi in lecto dati dubitavit. Sane Synodus Laodicena in morbo baptizatos, si convaluerint, fidem ediscere jubet, at rebaptizandos non decernit (*d*). Et quamvis medio sæculo tertio Magnus Episcopus de vi Baptismi ægrotis dati dubitarit, eo quod ii *aqua salutari non loti sint, sed perfusi*; Cyprianus tamen multis probavit valere Baptismum in lecto collatum, & præsertim ex eo quod non eodem modo corporis & animi sordes abluantur. Illud interim verum est, clinicos, quod potius ex necessitate, quam ex fide tingebantur, à Canone alienos fuisse, nisi in hominum raritate eorum eximia virtus esset (*e*).

Baptismus hodie apud Latinos datur per effusionem.

§. VIII. Jam vero disciplina dandi Baptismi per immersionem tandem mutata est, & effusio ordinaria baptizandi methodus evasit. Sæculo XIII. adhuc assiduo usu stabat immersio, quamvis nonnulli effusione uti inciperent, quod testatur S. Thomas, qui tamen *tutius esse*, ait, *baptizare per modum immersionis; quia hoc habet*

(*a*) Strabo de Offic. eccles. cap. 26.
(*b*) Cypr. ep. LXXVI. ad Magnum.
(*c*) Acta Laurentii ap. Surium tom. 4.
(*d*) Conc. Laodic. Can. XLVII.
(*e*) Conc. Neocæsar. Can. XII.

bet communior usus (*a*). Inde in Occidente sensim immersio desuevit, & sub finem sæculi XIV. in assiduam consuetudinem abierat effusio: qui enim ea ætate prodierunt rituales, effusionem plerumque præscribunt, quod Jueninus testatur (*b*). Sed Græci adhuc tingunt per immersionem: eorumque aliqui post Synodum Florentinam vitio verterunt Latinis, quod effusione baptizarent: quo eodem immersionis ritu baptizant Æthiopes, teste Ludolpho (*c*). Et quamvis Græci sæpe etiam adhibeant effusionem: eam tamen tanta aquarum copia celebrant, ut immersionem imitetur, quod Goarius observat (*d*). Tantæ autem mutationis causam apud Latinos passim repetunt à periculo, cui infantes in aquam immersi, objiciebantur: quum enim à multis retro sæculis raro contingeret, adultos baptizari, vixque alii præter infantes ad sacrum fontem deducerentur: visum est Ecclesiæ Latinæ non immersione, sed effusione pueros Christo initiari, ut ita etiam eorum corporali saluti consuleretur (*e*). Interim quæcunque fuerit mutationis causa, ut ratum per effusionem Baptisma sit, tanta aquarum copia debet effundi, ut baptizatus ex communi hominum sensu vere lotus dici possit: quod tum fieri intelligitur, quum notabili aquæ copia pars corporis etiam notabilis abluitur. Et quemadmodum immersionis adhuc vigente ritu in singulas Trinitatis personas homines plerumque mergebantur, ita hodie dum Ministri baptizant, ter aquam effundant, oportet, semel nempe in singulas Trinitatis personas.

Nomina christianis quando imposita.

§. IX. Jam vero ex receptis à pluribus sæculis Ecclesiæ Latinæ moribus in Baptismo nomen baptizando datur à parentibus & aliquando à baptista, vel sponsoribus electum, quo baptizandus, an velit baptizari interrogatur. Romanorum mos fuit, nono à nativitate die maribus, femellis vero octavo nomen imponere (*f*), quod idem, Hesychio teste, decimo à nativitate die, septimo secundum Aristotelem Græci faciebant. Et veteres Franci nono die infantibus nomina dare consueverant. Receptum inter gentes de dandis stato die nominibus morem etiam christiani servasse videntur, præsertim ubi non statim à nativitate Baptismo infantes offerrent (*g*). Inditum vero infantibus apud ethnicos stato die nomen, qui adulti ad Christum transibant, in Baptismo pro arbitrio mutasse, vel retinuisse videntur: Ecclesiasticæ enim antiquitates & marmora exhi-

(*a*) S. Thomas part. 3. q. 66. art. 7.
(*b*) Juenin. de Sacram. diss. II. q. 3. cap. 2. art. 2. §. 1.
(*c*) Histor. Æthiop. lib. 3. cap. 6. n. 33.
(*d*) Goar. Not. ad rit. Græcor.
(*e*) Confer Drouvenus de Re Sacram. lib. 2. q. 2. cap. 2. §. 3.
(*f*) Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 16.
(*g*) Conf. Chardon, Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 1. part. 2. c. 6.

hibent multa eorum exempla, qui in christiana religione profanis nominibus, etiam à diis sumptis, nominabantur. Itaque in veteri disciplina qui competentium numero inseri cupiebat, sibi ante inditum, aut quod de novo sumebat, nomen dabat, albo ecclesiastico inscribendum. Nomina vero, quæ filiis suis infantibus dabant christiani, aut quæ adulti ad fidem conversi de novo accipiebant, vel ab Apostolis & illustribus christianis, vel à brutis animantibus, vel à virtutibus, vel à mysteriis, quæ in natali infantis Ecclesia celebrabat, desumebantur. Sed nomina gentium, quæ in Occidente nova regna constituerunt, barbara omnino sunt, quæ licet in Baptismo sæpe deponerentur, de novo tamen sumpta etiam barbariem sonabant. Sub exitum sæculi XII. generatim nomina Sanctorum in Baptismo, qui tum statim à nativitate dabatur, imponi cœperunt, quod Chardonius observat (*a*). Monent interim recentiores Canones Sanctorum nomina christianis dari, ut quivis exempli similitudine ad sanctitatis & virtutis imitationem excitetur. Non desunt tamen qui adhuc nominibus profanis delectantur. Sed Græci hodie nomen infantibus non imponunt, nisi octavo ab eorum nativitate die, ut ex euchologio constat.

Qui susceptores & eorum origo.

§. X. Præter baptistam tempore Baptismi adsunt *patrini*, qui baptizandos Ministris offerunt, eosque ex sacro fonte suscipiunt, & in pietate & bonis moribus instituunt. In antiquis monumentis sæpe dicuntur *susceptores*, quod ex aqua prodeuntes susciperent: & *sponsores* & *fidejussores*, quod pro iis, quos Baptismo offerebant, suam interponerent fidem, sponderentque, se eorum curam suscepturos: quamvis infantium susceptores speciatim *sponsores* dicti sint. Quæ prima fuerit in Baptismo susceptorum origo, & qua causa primum inducti sint, inter doctos nihil convenit: nec enim in Evangelio præcipitur, ut illuminandi ad baptismum ab aliis offerantur. Espenius sponsores derivat à catechistis, quasi qui illuminandos in fide instituerent, eosdem ad Baptismum offerrent, & ab aquis susciperent (*b*): Boehmerus vero à testibus quos exemplo Judæorum christianos in Baptismo adhibuisse opinatur (*c*). Nec desunt (*d*), qui ab Hygino Papa Baptismi susceptores institutos affirmant, decepti decretali (*e*), quam ei Isidorus Mercator supposuit. Sed magis est, in Baptismo infantium primum adhibitos sponsores, ut eos ad Baptismum offerrent, eorum nomine fidem profiterentur & Satanæ abrenun-

(*a*) Chardon. Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 1. part. 2. cap. 6.
(*b*) Espen. part. 2. tit. 2. cap. 4.
(*c*) Boehmer. Jur. eccles. lib. 3. tit. 42. §. 35.
(*d*) Polydor. Virgil. de invent. rer. lib. 4. cap. 4.
(*e*) Can. C. D. 4. de Consec.

nuntiarent; id quod ætate Tertulliani jam receptum erat (*a*). Semel recepti sponsores in Baptismo infantium, statim admissi videntur ad suscipiendos adultos: nec enim probo quod Gerhardus von Mastricht (*b*) asserit, demum quarto sæculo adultorum Baptismo sponsores accessisse. Natura enim Baptismi, tum per immersionem collati, videtur postulasse, ut essent, qui prodeuntes ex aqua susciperent, abstergerent, vestirent. Quo spectare videtur Tertullianus (*c*), qui de christianis tum baptizatis inquit, *inde*, hoc est, ex aquis, *suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus*. Et præterea tempore persecutionum non videtur Ecclesia ad Baptismum admisisse, nisi essent, qui bonum testimonium de illuminandis ferrent, & eorum curam specialem susciperent.

Susceptorum officia.

§. XI. Jam vero susceptorum officia multa sunt. In primis (I) baptizandos Ministris offerunt, eosque de sacro fonte levant. Susceptores autem quo tempore Baptismus per immersionem dabatur, ex aqua prodeuntes baptizatos linteis excipiebant, quæ *sabana* vocabantur, quod docet Suicerus (*d*). In Baptismo (II) quoque infantium & eorum, qui infantium loco sunt, quales muti & qui subita infirmitate obmutescunt, sponsores eorum vice ad omnes baptistæ interrogationes respondent, fidem profitentur, & Satanæ abrenuntiant (*e*): sed in Baptismo adultorum sponsores baptistæ interroganti non respondent, quod congruum est, ut qui possunt, à se loquantur, fidem reddant, & Satanæ renuntient (*f*). Tantum adultos à se Baptismo offerendos susceptores docere debebant, quatenus ad baptistæ interrogationes oportebat respondere (*g*). Præcipuum vero (III) susceptorum officium est, à se ad Baptismum oblatorum spiritualem curam habere, eosque propterea dum adolescunt, vel statim post Baptismum erudire, quatenus in Christo vivere debent (*h*), à qua spirituali cura susceptores etiam *compatres*, *patres spirituales & patrini* in antiquis monumentis appellantur. Sane eo ipso quo illuminandos ad Baptismum offerrent, se eorum fidei fidejussores constituebant. Facientes autem sponsores id, quod facere possunt, ad rectam fidem & bonos mores instillandos, fidem suam liberant, nec quod proventu malæ indolis eorum cura nihil proficiat, id sponsori-

(*a*) Tertull. de Bapt. cap. 18.
(*b*) Mastricht Schediasm. de susceptorib.
(*c*) Tertull. de Coron. mil cap. 2.
(*d*) Suicer. Thesaur. ecclesias. v. Σάβανος. Cangius, in glossar. v. *Sabanum*.
(*e*) Tertull. de Bapt. cap. 18. Aug. ep. XXIII. ad Bonif. Cyril. Alexand. comm in Joan. XI. 26
(*f*) Aug. de Bapt. lib. 4. cap 24.
(*g*) Conc. Carthag. IV. Can. XII.
(*h*) Can. CV. D. 4. de Consec. Auctor Eccles. hierarch. cap. 2. & 7. Conc. Paris. VI. Can. XIX.

ribus imputabitur. Sponsores enim potius curare, quam facere intelliguntur. Præsertim vero vigere debet sponsorum ad instituendos baptizatos vigilantia, ubi imminet persecutio, vel si infantes parentibus destituuntur, vel ubi Parochi parum curant de christianis in fide & bonis moribus instituendis.

Qui sponsores in baptismo esse vetantur.

§. XII. Quoniam vero præcipuum sponsorum officium in spirituali filiorum suorum cura consistit, hinc non passim omnes tanto officio fungi possunt, sed ii tantum, de quibus spes affulget, recte filios suos in religione instituturos. Ergo seligi debet homo bene moratus, qui in dogmata & morum præcepta christianæ religionis calleat. Ex veteri disciplina aliquando sacræ Ecclesiæ virgines (*a*), præcipue vero Diaconi & Diaconissæ susceptoris officio fungebantur. *Verum*, inquiunt apostolicæ constitutiones (*b*), *suscipiat Diaconus, mulierem vero Diaconissa*. Et auctor Ecclesiasticæ hierarchiæ veluti ab Apostolis institutum tradit, ut parentes naturales pueros suos cuidam docto in divinis pædagogo tradant, à quo ad Baptismum offerantur & reliquum tempus sub ipso veluti divino patre & salvationis sanctæ susceptore agant (*c*). Quin mediis sæculis ipsi baptistæ à se baptizatos inde ex sancto fonte susceperunt, quod pluribus Grancolasius adstruit (*d*). Ergo susceptoris officio prohibentur hæretici, excommunicati, publici criminis rei, infames, pœnitentes, peregrini, non confirmati & ætate minores (*e*). Vetant quoque Synodus Antissiodorensis & Regum Francorum capitularia, monachos esse susceptores (*f*), idque quia solitudini addicti debitam susceptorum curam habere nequeunt. Et Synodus Aquensis anni CIↃDLXXXIII. & Remensis an. CIↃDLXXXIII. & S. Carolus etiam vetant, Clericos sacris ordinibus initiatos vel beneficium ecclesiasticum habentes, susceptoris officio fungi.

Parentes hodie vetantur filios suos Baptismo offerre.

§. XIII. Porro veteri stante disciplina ordinarii filiorum infantium susceptores in Occidente erant parentes ipsi. Et cui melius quam parentibus spiritualis filiorum cura poterat demandari? *Quid est illud*, inquit Augustinus (*g*), *quod quando ad Baptismum offeruntur parvuli, parentes pro eis tanquam fidedictores respondent*. Et Cæsarius Arelatensis (*h*): *Quod quia infantes per se minime profiteri possunt, paren-*

(*a*) Aug. ep. XXXIII. ad Bonif.
(*b*) Const. apost. lib. 3. cap. 16.
(*c*) Dionys. de Eccles. hierarch. cap. 7.
(*d*) Grancolas. tom. 3. pag. 21.
(*e*) Conf. Nat. Alexander Theol dogm. & mor. lib. 2. tract. II. cap. 6.
(*f*) Can. CIII. & seq. de Consec. D. 4.
(*g*) Aug. ep. XXIII. ad Bonif.
(*h*) S. Cæsarius hom. XII.

rentes ipsorum pro eis fidejussores existunt. Tantum in casibus extraordinariis ab extraneis infantes baptismo offerebantur, veluti si parentes mortui essent, vel ignorarentur, aut quando servuli à dominis susciperentur, quod idem Augustinus testatur. Contraria tamen in Oriente videtur obtinuisse disciplina; tradit enim auctor ecclesiasticæ hierarchiæ, parentes consuevisse pueros suos docto cuidam in divinis pædagogo tradere, à quo ad Baptismum offerantur, & in pietate instituantur (*a*). Sed lapsu temporis in Occidente vetiti sunt parentes filios suos de baptismo suscipere: quæ disciplina sæculo octavo jam erat inducta. *Nullus*, inquit Concilium Moguntinum an. IↃCCCXIII. (*b*), *proprium filium, aut filiam de fonte baptismatis suscipiat.* Interdictionis causa videtur fuisse cognatio spiritualis, quæ ex Baptismo orta, sæculo septimo nuptiis etiam inter suscipientem & suscepti parentes cœperat obstare (*c*): nec recte Vicecomes affirmat (*d*), vetitos fuisse parentes à filiis suis è sacro fonte lavandis, vel ut fideles temporalem à spirituali educatione distare intelligerent, vel ut mysteriorum rei christianæ peritioribus spiritualis filiorum institutio mandaretur.

Susceptorum numerus.

§. XIV. Veteri stante disciplina unus tantum sponsor in cujusque Baptismo admittebatur (*e*). Unus ad fidem pro infante profitendam, & generatim ad suscipiendum ex aqua prodeuntem sufficiebat. Sponsor autem pro infantibus promiscue sive mas, sive femina esse poterat; sed in Baptismo adultorum mas marem, femina feminam, quod decori ratio (tum Baptismus per immersionem celebrabatur) postulabat (*f*). Verum temporis lapsu plures sponsores unius baptismo accesserunt, & promiscue mares & feminæ ad lavandos adultos admissi sunt; postquam enim baptismus per immersionem desuevit, decori ratio impedimento non fuit, ut viri feminas, feminæ viros susciperent. Sæculo decimo in unius Baptismo sex sponsores aliquando adhibiti, tres nempe mares & totidem feminæ, quod Martenius observat. Et hinc multorum locorum Canones sæculo XII. & sequenti ad tres sponsorum numerum redegerunt, ita nempe ut marem duo mares & una femina, feminam vero duæ feminæ & unus mas de sacro fonte levarent (*g*). Sed Tridentini Patres ex forma antiquorum Canonum decreverunt, ut unus tantum sive vir, sive mulier, aut ad summum unus & una

(*a*) Dionys. Hierarch. eccles cap. 7.
(*b*) Conc. Mogunt. Can. LV.
(*c*) Espen. part 1 tit. 2. cap. 4. n. 18.
(*d*) Vicecomes de Ritib. lib 1. cap. 33.
(*e*) Auctor Eccles. hierarch. cap. 2. & 7., Can. CI. D. 4. de Consecr.
(*f*) Const. apost. lib 3. cap. 16.
(*g*) Conc. Eboracense an. CIↃCXCV. Can. IV. Coloniense an. CIↃCCLXXX. Can. IV.

una baptizatum de sacro fonte suscipiant (*a*), idque ne inter plures cognatio spiritualis, quæ nuptias impediebat, spargerunt.

Munera & convivia baptismalia.

§. XV. Jam vero solemnis & antiquus mos est, ut susceptores filiis suis munera mittant: quæ consuetudo à moribus gentium videtur repetenda. Scilicet obtinuit apud gentes, præsertim Romanos, ut in diebus solemnibus & lætis, quos inter natales dies & lustrici censebantur, amici sibi mutuo solemnia munera mitterent (*b*). Hinc quando dies illuminationis hilares & solemnes recens natis erant, apud christianos invaluit, ut susceptores, qui tanquam patres habebantur, solemnia munera neophytis darent. Mediis sæculis munera ista, *filiolatus*, *filiolagium* & *filiaticum* dicebantur, quod pluribus Cangius demonstrat. Contra neophyti convivia celebrarunt, iisque baptistam & susceptores excipiebant. Quarto sæculo in oriente adeo solemnia & usitata erant baptismalia convivia, ut multi inde differendi Baptismi sumerent occasionem, quod unde initiatores suos procurarent, non habebant. *Ubi ea*, inquit Gregorius Nazianzenus ex sententia eorum, qui Baptismum prolatabant (*c*), *quæ ad initiatores meos excipiendos requiruntur, ut in his quoque rebus nominis celebritatem consequar?* Initio convivia ista admodum sobria videntur fuisse (*d*) & agapas repræsentasse: sed inde in magnum abusum, quem Stuckius depingit (*e*), degenerarunt. Quo factum, ut in desuetudinem abierint, præsertim postquam fere desiit Baptismus adultorum. Interim etiam hodie in plerisque locis mos viget, ut susceptores filiis suis spiritualibus statim Baptismo munera mittant, & invicem accipiant. Certe vero consultius facerent parentes, si eos in sponsores filiis seligant, qui spirituali potius saluti, quam corpori esse possint adjumento. Nullum autem jus esse patri censent Carpzovius & Stryk (*f*) in munera filiis à susceptoribus data, quod ea videtur fuisse mens dantium, ut plenissimo jure filiis cederent.

CA-

(*a*) Trid. sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 2.
(*b*) Conf. Bohem. jur.. eccles. lib. 3. tit. 42. §. 44.
(*c*) Nazianz. orat XL. de Bapt.
(*d*) Conc. Carthag. IV. Can. LXXXVI.
(*e*) Stuckius in antiq. conviv. lib. 1. cap. 16.
(*f*) Carpzov. lib. 2. jurispr. def. 272. n. 3. Stryk not. in Brunnem. jur. eccles. lib. 2. cap. 1.

CAPUT VIII.

De effectibus & necessitate Baptismi.

Status hominis post peccatum.

§. I. Quanquam primi homines in statu integritatis & perfectionis creati sint, atque ideo omnino justi & Deo amici, intellectu & voluntate perfecti, & omnium malorum & dolorum corporis expertes; tamen in hoc statu non diu perstiterunt; per peccatum enim sibi & humano generi ruinam quæsiverunt. Ergo nascimur natura filii iræ, & servi peccato facti, integritatis prærogativas & amicitiam cum Deo amisimus, dum in Adam peccavimus omnes. Inde mors corporalis, morborum & calamitatum integra cohors, rationis obscuratio, concupiscentiæ dominium, summa hominum ad mala quævis propensio & totius humanæ naturæ depravatio. Ipsi gentium philosophi tantam humanæ naturæ labem agnoverunt, sed ejus causam non sunt adsecuti. Videbant in homine divinæ particulam auræ, qua præsentia cernit, præteritorum recordatur, futura prænoscit: quod tamen cum summa miseria, qua eum assidue agitari experiebantur, non bene convenire judicabant. Hinc alii, in primis Tullius (*a*), naturam veluti novercam accusarunt: alii ad inepta quævis & impia de malorum origine prolapsi, Deum malum, unde mala omnia dimanarent, commenti sunt. Et alii hominem insontem esse non judicarunt, quem tot ærumnis videbant obnoxium: atque hinc porro collegerunt, animas ante peccasse, quam corpora subirent. Idcirco tam longe lateque propagata est opinio de animarum προϋπάρζοι, stolidumque illud transmigrationis animarum dogma passim obtinuit, quod Huetius (*b*) observavit.

Baptismus gratiam confert.

§. II. A tot tantisque malis, quibus homines propter primi parentis labem nascuntur obnoxii, beneficio Baptismi sublevantur, & amissas prærogativas ex parte recuperant. Sane in Baptismo Spiritus sancti gratia homines implentur, per quam sanctificantur, & amicitiam cum Deo iterum adquirunt. Nempe quando Deo placuit, per aquam salutem nostram operari, tanta vi Baptismum dominavit, ut eo baptizati sancti & justi redderentur (*c*). Spiritus vero sanctus, qui per aquam effunditur, hominum cordibus inhæret & in eis inhabitat:

(*a*) Ap. Aug. lib. 4. contra Julian. cap. 12.
(*b*) Huetius in Alnet. lib. 2. cap. 9.
(*c*) 1. ad Cor. IV. 11.

tat: quo fit, ut baptizati Christum induant (*a*), & viva Dei templa censeantur (*b*). Nec tantum adulti, verum etiam infantes in Baptismo Spiritus sancti gratia replentur; non enim ex meritis nostris, sed divina virtute Sacramenta gratiam effundunt. Et hinc Augustinus scribit, Christum dare fidelibus *occultissimam Spiritus sancti gratiam, quam latenter infundit & parvulis* (*c*). Ex qua persuasione Origenis filii adhuc infantis pectus pater exosculari consueverat, utpote quod Spiritus sancti templum illud reputaret.

Et novam vitam & regenerationem tribuit.

§. III. Sed Spiritus sancti gratia modo prorsus mirabili per Baptismum operatur: etenim eo ipso quo hominem sanctificat, eum in novam & spiritualem vitam regenerat. Per peccatum nempe primi parentis homines carnales evaserant, nec propterea ad amissam beatitudinem poterant contendere: quo circa summa sapientia Deus Baptismum tanta vi donavit, quæ posset homines regenerare & luteam partem abstergere. Sic vero per Baptismum regenerati, quamvis provecta ætate, habentur veluti *modo geniti infantes* (*d*): quo factum, ut Ecclesia ad infantiæ significationem olim recens baptizatis lactis & mellis particulam daret degustandam (*e*). Et summa profecto ratione veteres Baptismum ipsum παλιγγενεσίαν ψυχῆς, *animæ regenerationem* appellarunt (*f*). Cunque regeneratio ista per immersionem in aquam fieret, eleganter Tertullianus christianos *pisciculos* appellat, quasi qui per aquam in Christo renascantur: *Nos pisciculi secundum* Ἰχθὺν *nostrum Jesum Christum in aqua nascimur* (*g*). Nomen ἰχθὺς compositum est ex initialibus litteris Græcorum Christi Ἰησοῦς, Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς, σωτήρ, significatque piscem. Et ita elegantissimo dicendi genere Tertullianus significat, christianos veluti pisciculos in Christo ex aquis oriri. Regenerati autem in aquis homines statim in adoptionem filiorum Dei recipiuntur, ejusque fiunt hæredes, cohæredes autem Christi, & jus beatitatis recuperant (*h*). Eleganter Optatus (*i*): *Dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat sæculo, renascitur spiritualiter Deo: sic fit hominum pater Deus, sancta sic fit mater Ecclesia.* Porro in Baptismo regenerati admirabilis Dei luminis participes efficiuntur, quo deinceps divina intelligant, & quæ recta sunt, sapiant. Et hinc neophyti *illuminati*, & Baptismus φώτισμα *illuminatio* in anti-

(*a*) Ad Galat. III. 27.
(*b*) 1. ad Cor. II. 16.
(*c*) Aug. de peccat. merit. cap. 9.
(*d*) 1. Petri II. 2.
(*e*) Conf. Bingh. orig. eccles. lib. 12. cap. 4. §. 6.
(*f*) Cyril. Hierosolym. catech. præfat. n. 10.
(*g*) Tertull. de Bapt. cap. 1.
(*h*) Ad Rom. VIII. 16. & seq.
(*i*) Optat. lib. 11.

tiquis monumentis sæpe appellantur (*a*): quibus verbis Patres supernaturale lumen, quo mentes in Baptismo illustrantur, aut potius antecedentem Baptismo institutionem & sequentem totius religionis cognitionem videntur intellexisse.

Gentium, & Judæorum regeneratio.

§. IV. Jam vero regeneratio per aquam etiam gentibus & Judæis nota erat, eamque magni faciebant. Et gentes quidem in ludis Apollinaribus & Eleusinis *in regenerationem & impunitatem perjuriorum* tingebantur, quod Tertullianus testatur. Imo credebant ethnici, crimina omnia aquis elui, adeo ut parricidia Œdipi, Alcemæonis, Orestis, aquis purgata poetæ canant (*b*). Præsertim vero nova vita receptissima erat per Judæos, qui proselytos suos per Baptismum & circumcisionem iterum nasci credebant, quod Seldenus (*c*) observat. Sane proselyti juribus Hebræorum donabantur, & in fœdus cum Deo transibant: quo fiebat, ut tum veluti denuo nascerentur. Et hinc Hebræi à parentibus Hebræis & simplicis Hebræi distinctio invaluit (*d*). Adeo vero regenerationem istam extendebant Judæi, ut proselyti tum primum è matris utero nasci censerentur; nec ulla eis supererat pristina cognatio, adeo ut nec patrem, nec matrem, nec filios ante genitos cognatos judicarent. Ipso Christi tempore regeneratio ista, quamvis fortasse non omnibus prærogativis instructa, apud Judæos jam recepta erat: nec audiendus Calmetus (*e*) affirmans, plura ea de re Hebræos ex novi testamenti libris suffuratos. Sane admiranti Nicodemo, quî Christus dixisset, neminem nisi denuo natum ingredi in regnum cælorum, Christus reposuit: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* (*f*). Quæ verba manifesto demonstrant, regenerationem proselytorum tum temporis apud Hebræos obtinuisse, utpote quæ jam nota magistris esse debebat. Interim verissimum est, Hebræorum regenerationem (ut nihil dicam de vanis & mentitis gentium regenerationibus) à christianorum regeneratione longe distare; non secus ac circumcisio & proselytorum baptismus à Christi Baptismo longe distabant. Christianorum enim regeneratio tota spiritualis est, nec civitatem, multo minus cognationem aufert. Et si apud Judæos proselyti in baptismo cognationem & civitatem amittebant, id potius ex odio, quo adversus alias gentes Judæi erant affecti, quam ex veritate videtur inductum.

Bap-

(*a*) Clemens Alexand. pædagog. lib. 1. cap. 6. Nazianz. orat. XL. de Bapt., Chrisost. hom. XIII. in Hebræos.
(*b*) Conf. Huetius in Alnet. lib. 2. cap. 20.
(*c*) Selden. de jur. nat. & gent. secund. discipl. Hebræor. lib. 2. cap. 4.
(*d*) Ad Philip. III. 5.
(*e*) Calmet. diss. de circumcis. effect. præmissa ad ep. ad Rom.
(*f*) Joan. III. 10.

Baptismus omnia peccata remittit.

§. V. Porro Spiritus sancti gratia, quæ in Baptismo homines in novam creaturam regenerat, una opera peccata omnia originale & actualia eluit, & omnino dimittit. Et quî alias christiani vere regenerati per aquas dici possent? Sane Princeps Apostolorum Petrus diserte affirmat, Baptismum *in remissionem peccatorum* dari (*a*). Et Apostolus docet (*b*), Christum aquæ lavacro sibi in verbo vitæ Ecclesiam mundare. Cui apostolicæ doctrinæ adhærentes Patres, in primis Hieronymus, Augustinus & Gregorius M. conceptis verbis inculcant, per Baptismum peccata omnia remitti (*c*). Erat autem hæc doctrina adeo primis sæculis pervulgata, ut ethnici dicitarent, apud christianos impia scelera foveri, quod balneum proprium haberent & jactarent, quo omnia omnino flagitia abolerentur. Quocirca factum est, ut veteres passim *indulgentiam*, sive *absolutionem* & *remissionem peccatorum* Baptismum dicant (*d*). In aquis autem radicitus peccata & eorum maculæ absterguntur, quod Apostolus apertissime docet (*e*). Et jure meritoque Tridentini Patres eos veluti hæreticos damnarunt, qui dono Baptismi reatum peccati originalis remitti negant; aut docent, peccatum non tolli, sed tantum abradi, seu non imputari (*f*). Quin aquis salutaribus non tantum peccatorum culpa, verum iis debitæ pœnæ remittuntur, adeo ut baptizatis ad delictorum expiationem nullæ injungantur pœnitentiæ; & si continuo post lavacrum moriantur, statim regni cælorum participes fiant (*g*). Quod si à datis nominibus rigidam pœnitentiam subirent competentes, id potius rectam ad Baptismum præparationem, quam peccatorum vindictam spectabat: abutiturque profecto Tertullianus verbo *satisfactionis*, dum pœnalia catechumenorum opera recenset (*h*).

Sed non omnes pœnas.

§. VI. Verum enimvero remissio pœnarum peccatis tam originali quam actualibus debitarum tantum judicium futurum & alteram vitam spectat. Et magis ita tendit ad spem futurorum, quam ad præsentium bonorum adquisitionem (*i*). Quapropter non omnes pœnas, quibus propter peccata homines cruciantur, Baptismus dimittit; sed tantum eas, quæ alioquin culpa dimissa, peccatis in altera vi-

(*a*) Actor. II. 38
(*b*) Ad Ephes. V. 26.
(*c*) Conf. Juvenin de Sacram. dissert. 2. quæst. 8. cap. 1.
(*d*) Conf. Bingh. orig. eccles. lib 11. cap. 1. §. 2.
(*e*) 2. ad Cor VI. 11. ad Colos. 2. 11. & seqq.
(*f*) Trid. sess. V. Can V.
(*g*) Confer Juvenin. loc. cit. art. 2. & Chardon. Histoire des Sacraments lib. 1. sect. 1. part 2. chap. 7.
(*h*) Tertull. de Bapt. cap. 20.
(*i*) Aug. in enchirid. cap. 66.

vita deberentur. Post Baptismum ergo remanent mors, morbi, corporis infirmitas, concupiscentia aliaque mala, quæ originale peccatum in humanum genus effudit (*a*). Minus utile hominibus pro sapientia sua Deus esse prævidit, ut regenerati originalem primævi hominis integritatem per omnia recuperarent. Id autem tribus rationibus à Deo factum Augustinus arbitratur (*b*): noluit nempe Deus, restituta hominibus primæva integritate, fidem evacuari, quæ tum est fides, quando expectatur in spe, quod in re nondum habetur. Et deinde, ne ad Christum homines currerent, potius pro obtinenda vitæ præsentis integritate, quam ipsius Dei amore. Demum, ut homines in vitæ calamitatibus virtutis exercendæ occasionem haberent. Itaque quousque homines hanc vitam vivunt, in vitam perfectam non restituuntur, quæ tum demum virtute Baptismi olim recepti feliciter advenit, quum mortale hoc corpus induet immortalitatem, & mors inimica destruetur.

Baptismus etiam imprimit characterem.

§. VII. Præter peccatorum remissionem & gratiam, qua homines regenerantur, Baptismus peculiari nota & charactere animam obsignat, qui perpetuus & indelebilis est: quam Ecclesiæ catholicæ doctrinam Florentini & Tridentini Patres confirmarunt. Sane veteres Patres sæpe ejusmodi notæ, qua in Baptismo christiani obsignantur, meminerunt, eamque veluti animæ adhærentem describunt. Cyrillus Hierosolymitanus affirmat (*c*), Spiritum sanctum in Baptismo *obsignare animam, & dare signaculum, quod dæmones tremore perfusi perhorrescunt, cæleste quoddam & divinum.* Et Basilius asserit (*d*), *mysticis signis* christianos in Baptismo obsignari, quibus à profanis discernuntur. Chrysostomus (*e*) quoque docet, fidelibus notam spiritus imponi, quemadmodum militibus nota corporalis: eaque fieri, ut si ordinem deseramus, omnibus perspicui simus. Multis quoque locis affirmat Augustinus, in Baptismo fideles nota quadam obsignari, eamque *characterem dominicum* & *characterem regium* appellat, comparatque signis in monetis insculptis & notis, quæ militibus inscribi solebant (*f*). Qui hæc & similia Patrum loca recte expendit, facile animadvertit agnovisse veteres, aquis Baptismi fideles interius obsignari, quo interiori sigillo suscepto eos ad Christum pertinere indicabatur. Et quamvis sæpe veteres, dum de Baptismo verba faciunt, nomine *signi, sigilli* τοῦ σφραγῖδος ipsam externam Sacramenti administrationem intelligant; tamen dum notas veluti in anima insculptas eique adhærentes describunt, sigilla interna dubio procul agnoscunt.

(*a*) Conf. N. Alexander theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. 2. cap. 8. prop. 3.
(*b*) Aug. de civ. Dei lib. 13. cap. 4.
(*c*) Cyril catech. 17.
(*d*) Basil. Hom XIII. de exhort. ad Bapt.
(*e*) Chrysost. Hom. III. in 2. ad Cor.
(*f*) Aug. lib. 2. contra epist. Parmenian. cap. 13.

Baptismus tantum recte dispositos sanctificat.

§. VIII. Quo vero Baptismus hominem regeneret, & peccata dimittat, necesse est, ut baptizandi sponte accedant, in Christum credant, & cordis conversionem profiteantur. Ad gratiam enim & peccatorum remissionem in Baptismo recipiendam necesse est, ut suscipientes ex forma divinorum mandatorum se disponant. Et quamvis gratia ipsius Sacramenti virtute, non ex operibus nostris conferatur; tamen ubi subjecta ad eam recipiendam apta non sunt, vis Sacramenti non operatur (*). Et quî quæso gratia conferri & peccata remitti possunt, ubi charitas non est? Itaque si Baptismus suscipiatur, nec ad peccatorum remissionem, nec ad regenerationem prodest (*a*). Fictionis nomine in hac causa intelligunt fidei & pœnitentiæ simulationem, quamvis exterius suscipiens rite & recte accedere videatur. Hinc docet Augustinus (*b*), Baptismum extra Ecclesiam datum, vel in Ecclesia quidem, sed fidem & pœnitentiam simulanti, mortem potius quam salutem operari. Interim ficte susceptus Baptismus valet, & notam spiritus suscipienti imponit; ad characterem enim suscipiendum tantum necesse est, ut suscipientes omnino inviti non sint. Itaque gratia & regeneratione destitutus Baptismus obicibus remotis & accedente charitate reviviscit virtute sigilli, in anima adhærentis, & veluti ad tempus susceptionis retrahitur. Quo fit, ut tantum peccata ante susceptionem admissa remittat, non vero quæ postea admissa sunt. Nec enim reviviscens Baptismus post tempus susceptionis operatur (*c*).

Baptismi effectus etiam cognatio spiritualis.

§. IX. Porro inter Baptismi effectus censetur etiam spiritualis cognatio, quæ in præsenti disciplina inter baptizantem & baptizatum ejusque patrem & matrem, & inter suscipientem & susceptum ejusque patrem & matrem contrahitur (*d*). Inde usque à primis sæculis ex spirituali cura, quam baptistas & susceptores à se tinctorum susceptorum habere oportebat, paterna quædam cognatio & affectio nasci visa est, quod qui ab aliquo in Christo regeneratur, vel in pietate instituitur, ab eo quodammodo figuratur, & in novam vitam deducitur. *Verissimus pater est*, inquit Basilius (*e*), *primus quidem, qui communi omnium pater est; secundus vero post illum, penes quem*

(*) *Vide tamen quæ noster auctor mutata sententia tradidit cap. 21. §. 10.*
(*a*) Aug. de Bapt. lib. 1. cap. 12.
(*b*) Aug. loc. cit. cap. 11.
(*c*) Juvenin, de Sacram. diss. II. q. 8. cap. 5.
(*d*) Trid. sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 2.
(*e*) Const. monast. cap. 20.

quem moderatio spiritualis videndi rationis. Ipsi Apostoli filios nominarunt, quos ad fidem christianam nova veluti generatione deduxerant (*a*). Sæculo secundo inter baptistam & baptizatum cognatio quædam jam recepta erat, quæ major certe erat cognatione illa, qua christiani omnes fratres sumus (*b*). Et hinc in antiquis monumentis susceptores sæpe *patres spirituales*, suscepti vero *filii spirituales* appellantur. Non tamen per Baptismum parta cognatio tanta erat, ut nuptias impediret: quod adeo verum est, ut ipsi parentes sine conjugii detrimento filios infantes in Baptismo susciperent (*c*). Sed temporis lapsu per Baptismum contracta cognatio, nuptias cœpit impedire, quod impedimentum à Justiniano primum inductum (*d*), inde latius extensum est, qua de re in tractatu de matrimonio. Quo vero spiritualis cognatio contrahatur, susceptores baptizatum de sacro fonte levare debent, vel ipsum ad Baptismum tenere. Sed jam receptior est sententia, eum etiam spiritualem contrahere cognationem, qui vicaria alterius opera susceptorem agit, quamvis ipse vere non suscipiat (*e*). Et in hac specie olim susceptoribus absentibus linteum, quo baptizatus ex aquis exceptus erat, transmitti solebat, ut præsentes eum suscepisse viderentur.

Christianorum fœderata disciplina.

§. X. Sic itaque per Baptismum in novam vitam christiani regenerati membra Ecclesiæ fiunt, ejusque leges servare tenentur. Et hinc ante Baptismum, quo magis ad Christi præcepta servanda se obligatos agnoscerent, Satanæ ejusque pompis solemniter renuntiabant, & cum sole justitiæ de recte vita instituenda pactum inibant. Quo olim spectabat *confœderata disciplina*, hoc est mutua conventio ad legem christianam rite sancteque servandam. Nempe in tot tantisque tempestatibus, quæ in christianos primis sæculis irruebant, necessarium fore duxit Ecclesia, ut illi mutuo sanctoque fœdere ad justitiam & virtutes exercendas se adligarent. Et hinc non alii ad Baptismum admittebantur, quam qui expresse christianæ pietatis observantiam promittebant, quod Justinus martyr, Tertullianus (*f*) aliique veteres Patres passim testantur. Tempore Trajani jam recepta erat hæc inter christianos fœderata disciplina; etenim Plinius II. inquisitione de christianis facta ad Trajanum refert (*g*) christianos in antelucanis cœtibus *se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnarent.* Nec ultra

(*a*) 1. ad Cor. IV. 15.
(*b*) Origen. ad Rom. XVI. 21.
(*c*) Aug. ep. XXIII. ad Bonif.
(*d*) L. 26. C. de nuptiis.
(*e*) Espen. part. 2. tit. 13. cap. 6. n. 20.
(*f*) Justin. martyr. apol. 2. Tertull. de coron. cap. 3.
(*g*) Plinius II. lib. 10. ep. XCVII.

tra se extendebat fœderata christianorum disciplina, quam ad expressam promissionem observantiæ mandatorum, quæ alioquin à christianis propter admissam fidem observari debebant. Et certe odio potius Ecclesiæ Romanæ, quam ex veritatis amore Boehmerus (*a*) sic confœderatam exornavit disciplinam, ut hierarchiam ecclesiasticam & potiora juris canonici capita conculcarit: inde enim pœnitentiam, excommunicationem & peccatorum absolutionem repetit, nec divinam auctoritatem in his omnibus agnoscit.

Baptismi necessitas.

§. XI. Venio nunc ad Baptismi necessitatem, quæ profecto tanta est, ut sine eo nemo vitam æternam consequatur: atque hoc est, quod scholæ dicunt, Baptismum *medii necessitate* ad salutem requiri. Sane Christus aperte edixit, neminem nisi ex aqua & Spiritu sancto renatum in Dei regnum introire: idque *quod natum ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est* (*b*). Scilicet homines propter primigeniam labem carnales evaserunt, ac natura filii iræ, & propterea extra spem regni cælorum projecti. Quocirca Deus humanum genus miseratus, tandem Baptismum sanctificavit, quo veluti medio carnis sordes deponentes, in novam vitam renascantur, & jus ad beatitudinem recuperent. Ita fit, ut omnibus etiam infantibus Baptismus ad salutem sit necessarius: non minus enim infantes, quam adulti ex carne sunt, ac natura filii iræ. Hæc est catholicæ Ecclesiæ fides, quam inde usque ab Apostolis semper Patres prædicarunt. Equidem Hermas, Justinus martyr, auctor recognitionum, Origenes, Tertullianus & deinceps alii ex verbis Christi omnibus, etiam infantibus, Baptismum asserunt necessarium; idque quia omnes in peccatis nascuntur (*c*). Quapropter ignorantiam antiquitatis præ se ferunt, qui opinionem de necessitate Baptismi demum post secundum sæculum inductam asserunt, præsertim vero auctoritate Augustini, qui disputans contra Pelagianos Baptismi necessitatem invexit.

Baptismi defectus martyrio suppletur.

§. XII. Quæcunque vero sit Baptismi in aqua necessitas, dantur quidam extraordinarii casus, in quibus invisibili Spiritus sancti gratia Baptismus in aqua non susceptus suppletur, veluti si quis non baptizatus martyrium pro Christo patiatur, vel in discrimine vitæ positus, ubi Baptismi copia non est, de peccatis doleat & Baptismum desideret. Et ad primum quod spectat, constans est catholicæ Ecclesiæ sententia, sanguine pro Christi nomine effuso Baptis-

(*a*) Boehmer. diss. III. ad Plinium II.
(*b*) Joann. III. 5. & seq.
(*c*) Ad Bingh. Orig. eccles, lib. 6. cap. 4.

tismi vicem suppleri (*a*). Ille ipse, qui ad regnum cœlorum, nisi per aquam, aditum parere noluit, expresse etiam iis salutem promisit, qui pro se sanguinem effunderent (*b*). Et hinc veteres Patres martyrium appellant *Baptismum sanguinis* (*c*), quod qui illud pro Christo patiuntur, per invisibilem Spiritus sancti gratiam sine aquæ elemento, regni cœlorum participes fiant. Adeo vero vel ipso secundo sæculo communis erat de efficacia martyrii doctrina apud christianos, ut ethnici, quos alioquin mysteria nostra latebant, ejus notitiam habuerint: quod constat ex actis martyrii SS. Perpetuæ & Felicitatis, ubi de Saturo quodam catechumeno, qui leopardo projectus fuerat, refertur, *quod uno morsu tanto perfusus fuit sanguine, ut populus revertenti illi secundi Baptismi testimonium reclamaverit: salvum lotum! salvum lotum!* Quod profecto ethnici ad deridendam christianorum de Baptismo doctrinam dixerunt, ut ipse actorum scriptor his verbis adnotavit: *Plane utique salvus erat, qui hoc modo laverat* (*d*). Et si Baptismus aquæ repræsentat Christi mortem, sanguis pro Christo effusus erit sincerior Baptismus, nam qui pro Christo sanguinem fundunt, re vera cum eo commoriuntur, in aqua vero baptizati tantum figura, quod auctor constitutionum (*e*) recte observat. Interim non omnes, qui pro Christo sanguinem effundunt, salvantur, sed tantum qui sunt in Ecclesiæ unitate: hæretici enim & schismatici, utpote charitate destituti, per martyrium non coronantur, sed eis potius sanguis effusus in perfidiæ pœnam imputabitur: quæ est Cypriani doctrina.

Et Baptismi desiderio.

§. XIII. Porro sine aqua homines salvari possunt per fidem Sacramenti & cordis contritionem, si nempe qui actu Baptisma suscipere non possunt, in cordis conversione & Baptismi desiderio ex hac vita discedant, quod *flaminis* & *desiderii* Baptismum appellant. Non est quidem aperte in Scripturis expressum Baptismi desiderio, ubi verus Baptismus desit, vitam æternam homines consequi; at nullo negotio inde colligitur; in Scripturis enim Deus sæpe pœnitentiam agentibus, credentibus & nomen Domini invocantibus salutem pollicetur. Ex Patribus Ambrosius (*f*) nihil dubitavit de salute Valentiniani junioris, qui ante Baptismum nefario scelere vita privatus est, sua enim pietate & voluntate eum affirmat ablutum, non secus ac martyres proprio sanguine lavantur. Et Augustinus exemplo latronis cum Christo crucifixi & ad Christum conversi observat, fi-

(*a*) Conf. N. Alexand. Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. 2. cap. 4. prop. 1.
(*b*) Matth. XVI 25.
(*c*) Cyprian. ep. LXXIII. ad Jubajan
(*d*) Acta Perpetuæ & Felicitatis ad calc. Lactantii de Morib. persecutor.
(*e*) Const. apost. lib. 5. cap. 5.
(*f*) Ambros. de Obitu Valentiniani.

fidem & desiderium Baptismi in necessitate Baptismum aquæ supplere (*a*). Interim non omnes veteres in hanc doctrinam consentiebant. Certe Gregorius Nazianzenus Baptismi desiderio salutem obtineri posse negabat, alias non erat, cur in naufragii periculo constitutus, de æterna salute omnino desperaret. Et Fulgentius & Gennadius (*b*) ad salutem omnino aquam aut sanguinem requirunt, denatosque sine Baptismo catechumenos extra regnum cœlorum projiciunt. Quin Ecclesia Romana quarto & quinto sæculo pro catechumenis ante Baptismum mortuis oblationes non recipiebat, nec precabatur, eorumque salutem Dei judicio committebat, quasi quæ de eorum salute desperaret. Fuerunt hæ privatorum, non totius Ecclesiæ sententiæ, quas nondum omnium dogmatum nostrorum detecta veritate, impune tum sequi licebat. Sed deinceps re melius expensa ab hominibus receptum Baptismi fidem in necessitate esse pro Sacramento: quam doctrinam Tridentini Patres confirmarunt (*c*). Verum qui Baptismum in necessitate exoptant, si periculum evanescat, & Baptismi copia fiat, in aquis debent regenerari, quæ est Ecclesiæ doctrina.

Quid sentiendum de infantibus sine Baptismo denatis.

§. XIV. Quando autem extra aquam, aut sanguinem, aut Baptismi desiderium in regnum cœlorum aditus non patet, etiam infantes, qui sine Baptismo moriuntur, extra spem sunt æternæ salutis: nascuntur enim natura filii iræ, nec nisi per Baptismum in vitam æternam regenerantur. Interim quod infantes peccatis actualibus non adstringuntur, non videntur æqua cum damnatis pœna posse puniri. Pelagiani, qui peccatum originale, atque ita Baptismi necessitatem ad ejus culpam eluendam pernegabant, infantes sine Baptismo denatos à regno cœlorum excludebant, sed in vita æterna collocabant. Dicebant regnum cœlorum locum beatorum cum Deo regnantium; vitam vero æternam locum quietis & pacis extra Sanctorum communionem. Sed Augustinus hanc Pelagianorum vitam æternam, quæ ex rejecto peccato originali consequebatur, omnino rejecit, & infantes sine Baptismo obeuntes propter primi hominis labem *morti æternæ* & *æterno igni* addicit (*d*). Quam eandem doctrinam Avitus Viennensis, Fulgentius, Gregorius M., Isidorus Hispalensis, Prudentius Trecensis aliique aperte proponunt, & veluti christianam doctrinam inculcant. Eorum loca N. Alexander (*e*) congessit. Verum S. Thomas & S. Bonaventura affirmant (*f*), Augus-

(*a*) Aug. de Bapt. lib. 4. cap 22. ap. Grat. Can. XXXIV. de Consec. D. 4.
(*b*) Fulgent. de Fide ad Petrum cap. 30. Gennad. de Eccles. dogm. cap. 74.
(*c*) Trid. sess. VI. de Justif. cap. 4.
(*d*) Aug. ep CCXVII. ad Vital. serm. XIV. de Verbis Apostoli, & lib. 1. de Peccat. merit. cap. 28.
(*e*) N. Alexand. sæc. V. H. E. cap. 4. art. 3. §. 10.
(*f*) S. Thom. q. 5. de Mal. art. 2. ad 1. S. Bonavent. in 2. dist. 33. art. 3. q. 1.

gustinum æstu disputationis contra Pelagianos abreptum, ad fortius peccatum originale adstruendum, in contrarium extremum non sine emphasi & immitioribus verbis ivisse. Et vero Augustinus, qui alias infantes sine Baptismo denatos morti æternæ immisericorditer addicit, qua plena plectendi sunt infantes, non audet affirmare (a); vult in eos sententiam inter beatos & damnatos mediam proferendam (b): & eorum damnationem omnium esse levissimam (c). Ergo auctore ipso Augustino videntur emollienda omnia ejus dicta, quæ æterno igni infantes addicunt, ita nempe ut eatenus morti æternæ dicantur addicti, quatenus à visione Dei perpetuum exclusi sunt, non quod pœna sensus etiam torqueantur. Itaque Augustinus ad mediam sententiam redactus, nec in infantes immisericors est, & contraria sentit Pelagianis, qui infantes non lotos extra regnum Dei in vita beata collocabant. Qui enim visione Dei perpetuum excluduntur, beati esse non possunt. Quod satis est ad peccatum originale adstruendum: nam sine actualibus peccatis infantes sine Baptismo æterno igni torquendos objicere, summa immanitas videtur, bonitati Dei parum consentanea. Et re ipsa Gregorius Nazianzenus nulla sensus pœna infantes sine Baptismo denatos torqueri docet (d). Et Severus Ecclesiæ Antiochenæ Antistes eorum statum veluti medium inter beatorum gloriam & damnatorum pœnam designat; *medium quendam ordinem subibunt* (e).

Baptismus non iteratur.

§. XV. Quamvis autem tanta sit Baptismi necessitas, ut sine eo in regnum cælorum non ingrediamur; tamen semel valide susceptus non potest iterari: unus enim est Christi Baptismus, atque adeo semel loti, quo demum cunque scelere irretiantur, iterum baptizari nequeunt. Sane per Baptismum homines in christianam religionem initiantur: & qui in Dei fœdus semel receptus est, ut in illud iterum recipiatur, minime indiget; fœdus enim ex Dei parte nunquam abrumpitur (f). Etiam circumcisio, qua in Dei fœdus Judæi recipiebantur, una in singulis erat, nec poterat iterari. Et quemadmodum circumcisio stigmate quodam corpus inurebat, quo æterna esset fœderis cum Deo icti memoria, ita à Christo institutum initiationis Sacramentum perpetuo charactere animam obsignat: quo fit, ut semel susceptum Baptisma iterari interdicatur (g). Quapropter peccatis deperditam baptismalem innocentiam non aquæ, sed lacrymarum Baptismo christiani recuperant. Quo ex receptiori Patrum sententia spectant

(a) Aug. ep. CLXVI. ad Hieronym.
(b) Aug. lib. 3. de Liber. arbitrio cap. 23.
(c) Aug. lib. 1. contra Julian. cap. 8.
(d) Nazianz. orat. 40.
(e) Severus, Catena in Job III.
(f) 2. ad Timoth. II. 13.
(g) Trid. sess. VII. de Sacram. Can. IX.

tant Apostoli verba, *impossibile est, eos qui semel sunt illuminati .... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam* (a). Nempe ἀδύνατον dixit Apostolus, christianos semel lapsos novo Baptismo renovari: nec recte faciunt, qui inde negant pro lapsis post Baptismum in Ecclesia ullum esse remedium. Veteres Patres omnes consentiunt, non esse Baptismi iterationem; & quamvis, judice Vossio (b), rationes quibus id affirmant, non recte concludant, constantem tamen Ecclesiæ doctrinam de non iterando Baptismo patefaciunt.

Iteratio Baptismi summum scelus est.

§. XVI. Jam vero iteratio Baptismi nefaria prorsus est, & inter magna crimina ab Ecclesia censetur. Baptismi enim iteratione iterum Christus crucifigitur, & Deo infertur injuria, quasi qui non sit in promissis fidelis. Hinc recte Augustinus *immanissimum scelus* (c), & Leo M. *inexpiabile facinus* (d) dixerunt catholici hominis rebaptizationem. Sed hoc immane scelus nihil morati Marcionitæ, tria Baptisma accipiebant, quod ab eorum principe Marcione ad infamiæ suæ remedium Epiphanius tradit excogitatum (e). Etiam Novatiani, Donatistæ aliique hæretici ad se ab aliis sectis etiam à catholicis venientes iterum tingebant; verum id non secundum Baptisma reputabant, sed quod catholicos hæreticos eorumque Baptisma nullum esse credebant. Donatistæ nempe ab hæreticis & impiis hominibus data Sacramenta nulla esse profitebantur: cumque apud se esse veram Ecclesiam & catholicos hæreticos reputarent, manifestum est, ex suæ sectæ principiis Baptisma catholicorum ut nullum rejecisse. Itaque in fide errantes Baptismum repetebant: in quem eundem errorem lapsi sunt Anabaptistæ, qui, quos nullum infantibus datum Baptisma teneant, infantes sacro Baptismo initiatos ætate adulta iterum tingunt. Sunt & alii, qui non in fide errantes Baptisma iterarunt, sed vel quæstus vel lucri causa vel causa sortilegii ad corporis sanitatem recuperandam: quo spectat species Alexandro III. proposita de eo, qui longa agritudine confectus mulierculis sortilegis credens, per iterationem injuriam intulit Baptismi Sacramento (f).

Pœnæ contra iterantes Baptismum.

§. XVII. Tantum facinus non minus Ecclesia, quam christiani Principes gravissimis pœnis vindicarunt. Et quod spectat ad pœnas ecclesiasticas, antiqui Canones deponunt Ecclesiæ Ministros, qui bap-

(a) Ad Hebr. VI. vers. 4. & 6.
(b) Vossius de Bapt. disp. 17.
(c) Can CVIII. de Consec. D. 4.
(d) Can. CXII. eod
(e) Epiph. hæres. 42.
(f) Cap. 2. ext. de Apost.

baptizatos iterum tingunt (*a*), & ipsos rebaptizatos severæ & publicæ pœnitentiæ subjiciunt (*b*). Quapropter rebaptizantes & rebaptizati facti sunt à Canone alieni (*c*), quasi qui grandia crimina admisissent, & publicæ pœnitentiæ nota commaculati essent. Imo Alexander III. à sacris ordinibus etiam eos arcet, qui rebaptizationi adsistunt, & ministerium respondentes baptistæ præstant, modo publicum scelus sit; tantumque indulgentiam concedit, si ad religionem convertantur (*d*). Nec minus leges civiles contra Baptismi iterationum severæ sunt: Imperatores enim Honorius & Theodosius junior bona eorum publicari jusserunt, qui orthodoxorum ritu initiatos iterum tingerent (*e*). Inde pœnam intendisse videtur Justinianus, ultimo supplicio plectendos decernens, qui rebaptizarent. Et hinc Tribonianus Theodosii legem interpolatam in codicem conjecit (*f*), quasi nempe Theodosius iterationem Baptismi sanguine vindicarit, quod Boehmerus (*g*) opinatur. Itaque jure civili inter publica crimina iteratio Baptismi relata est. Spectabat autem bonorum publicatio non generatim rebaptizantes omnes, sed tantum eos, qui à catholicis regenitos in sectis suis iterum tingebant, ut Gothofredus recte monet (*h*).

CAPUT IX.

De ritibus Baptismum consequentibus.

Neophyti albas vestes & candelas accipiebant.

§. I. Baptismum multi ritus sequebantur, quorum notitia ad ejus effectus magis illustrandos & ad rei canonicæ intelligentiam est necessaria. Et neophyti quidem post lavacrum candidas induebant vestes, ac propterea λευχειμονοῦντες *in albis incedentes*, à Palladio (*i*) & à Lactantio *grex niveus* (*k*) dicti sunt. Scite Paulinus (*l*),

Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.

Significabat autem alba ista vestis innocentiam & angelicam puritatem, quam veteri homine cum operibus suis exuto in Baptismo chris-

(*a*) Can. apost. XLVII.
(*b*) Innocentius I. ep. II. ad Victric. cap 9.
(*c*) Conc. Carthag. III. Can. XI. L. I. C. Th. Ne sanctum Baptisma iteretur.
(*d*) Cap. 2. ext. de Apost.
(*e*) L. 5. & 6. C. Th. Ne sanctum Baptisma iteretur.
(*f*) L. 2. C. Ne sanctum Baptisma iteretur.
(*g*) Boehmerus lib. 5. Jur. eccles. tit. 7 §. 158.
(*h*) Gothofred. not. in cit. l. 6.
(*i*) Pallad. Vit. Chrysost. cap. 9.
(*k*) Lactant. Carm. de Resur. Dom.
(*l*) Paul. ep. XII. ad Sever.

christiani consequuntur: & inde *vestis mystica* & *Christi indumentum* ab antiquis appellatur. Cum solemni formula alba vestis dabatur eaque admonebantur neophyti, ut partam innocentiam servarent illibatam (*a*). Per octo dies mysticas vestes neophyti gerebant, easque octava Paschatis deponebant (*b*), quo factum, ut dominica post Pascha *dominica in albis* diceretur. Simul cum albis vestibus in multis Ecclesiis ardentes candelas neophyti accipiebant, quas ab Ecclesia reduces in manibus ferebant, iisque significatum scribit Nazianzenus (*c*) lumen illud, quo splendidæ & virgines animæ splendidis fidei lampadibus Christo sponsæ obviam prodibunt. Sed Alcuinus & Amalarius fortasse rectius, ardentes candelas præsentis illuminationis in Baptismo partæ sacramentum faciunt. Albarum vestium & candelarum ardentium usus Ecclesiæ pacem supponit, aliter grex niveus gentibus ludibrio erat & præsenti periculo expositus. Ut proinde minus recte Gothofredus Wegnerus usum albæ vestis tertio sæculo receptum affirmet (*d*). Sumptus ad vestes albas & candelas comparandas ipsi neophyti fecisse videntur, si divites essent, nam pauperes tantum seipsos ad Baptismum offerre debebant, albasque vestes ab Ecclesia accipiebant (*e*). Durat etiam hodie ritus albæ vestis & candelarum, sed nulla solemnitate splendescit, & momento ipso, quo alba vestis datur, deponi solet.

Et lac & mel degustabant.

§. II. Porro recens in Christo natis lac & mel manducandum dabatur: qui ritus in Ecclesia est antiquissimus, erat enim, testibus Tertulliano & Clemente Alexandrino (*f*), secundo sæculo receptus. Loco Eucharistiæ lac & mel neophytis datum Salmasius arbitratur (*g*), sed certe falsus est: nam Eucharistia illis eodem tempore dabatur; ac propterea ejus loco esse non potuit lactis & mellis degustatio. Lac autem & mel symbolum erat novæ in Christo nativitatis & innocentiæ in Baptismo partæ: lac enim parvulorum significabat innocentiam. *Deinde egressi* de lavacro, inquit Hieronymus (*h*), *lactis & mellis prægustamus concordiam ad infantiæ significationem.* Nisi placeat, lac & mel datum fuisse, ut intelligeret se tum demum veram terram promissionis, Christi novus homo, se tum demum veram terram promissionis, Christi videlicet Ecclesiam, intrasse. Quin in Occidentis Ecclesiis, eodem Hieronymo teste (*i*), vini & lactis concordia renatis in Christo dabatur, idque profecto spectabat ad ea Apostoli verba, *lac vo-*

(*a*) Gregor Sacram. de Bapt. infant.
(*b*) Aug. hom. LXXXVI de Divers.
(*c*) Nazianz. orat 40. de Bapt.
(*d*) Confer. Dallæus de Cultib. latin. relig. lib. I. cap. 14.
(*e*) Greg. Nazianz. orat 40. de Bapt.
(*f*) Tertull. de Coron milit. cap. 3. Clemens Alex. Pædag. lib. I. c. 6.
(*g*) Apud Suicer. Thes. part. 2.
(*h*) Hieronym. contra Lucif. cap. 4.
(*i*) Id. in Jesa LV. I.

vobis potum dedi, non solidum cibum, & ad illa Petri, *quasi modo nati parvuli rationale lac desiderate*. Hinc sabbato sancto ad altare una cum pane & vino, lac & mel offerebantur; sed lac & mel propriam habebant consecrationem à consecratione Dominici corporis & sanguinis distinctam (*a*). Sub finem noni sæculi adhuc lac & mel neophytis degustanda dabantur, quamvis per abusum una cum calice offerrentur & consecrarentur (*b*). Tandem simul cum Baptismo solemni desiit lactis & mellis degustatio, qua in re mirari licet, quod multi alii ritus adhuc stent, hujus vero nullum supersit vestigium.

Et orationem dominicam recitabant.

§. III. Egressi quoque de lavacro neophyti orationem dominicam stantes & ad Christum suspicientes recitare solebant (*c*). Una cum symbolo in scrutiniis accipiebant quidem catechumeni dominicam orationem, eamque memoriæ mandabant; at eam veluti publicam sibique convenientem precationem recitare non poterant. Vere Deum Patrem appellare non poterant, nondum per Christum regenerati. Et hinc oratio dominica ab antiquis εὐχὴ πιστῶν, *oratio fidelium dicta* (*d*), eaque una cum reliquis christianæ religionis mysteriis ethnicos latebat. *Hanc nos orationem*, dominicam nempe, inquit Theodoretus (*e*), *non initiatos non docemus*. Et Augustinus, fidelium *est dicere* Pater noster, qui es in cœlis, *qui jam Patre tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto* (*f*).

Qui neophyti ab Ecclesia excepti.

§. IV. Porro per Baptismum in Dei filios neophyti relati, summa lætitia in Ecclesiam & ad sacros conventus excipiebantur. Gregorius Nazianzenus psalmorum cantum memorat, cum quo recens baptizati excipi solebant, eumque hymnodiæ in futura vita præludium esse affirmat (*g*). Et Paulinus (*h*) hac occasione populum alleluia cantasse testatur. Ita tanta lætitia novis fratribus osculum pacis christiani dabant, idque ob eam rationem factum Chrysostomus (*i*) affirmat, quod homines per Baptismum Deo reconciliati, in pacem & amicitiam recipiebantur. Nec tantum adulti, verum etiam infantes post Baptismum osculo sancto excepti sunt. Propterea Fidus quidam Episcopus opinabatur, ante octo à nativitate dies infantes baptizari non debere, quod eos utpote immundos fratres horrescant exosculari, eaque de re Cyprianum consuluit. Sed Cyprianus omnia munda mun-

(*a*) Conc. Carthag. III. Can. XXIV. in C. Afric. Can. XXXVII.
(*b*) Confer. Chardon, Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 1. part. 2. chap. 2.
(*c*) Chrysost. hom. VI. in Coloss. Const. apost. lib. 7. cap. 44.
(*d*) Chrysost. hom. X. in Coloss. Aug. Enchirid. cap. 71.
(*e*) Theodoret. epist. div. dogm. cap. 28.
(*f*) Aug. loc. cit.
(*g*) Nazianz. orat. 40. de Bapt.
(*h*) Paulin. epist. XII. ad Sever.
(*i*) Chrysost. serm. L. de Utilit. legendæ Scripturæ.

mundis esse respondit, nec quenquam id debere horrescere, quod Deus facere dignatus est: quibus rationum momentis dilationem Baptismi infantium à Fido propositam improbavit (*a*).

Neophytorum caput chrismate inunctum.

§. V. Alia quoque cæremonia in Ecclesiis Occidentalibus Baptismum consequitur, qua neophyti chrismate, quod Episcopus consecravit, à baptista in capite unguntur: sed Græci ex antiqua disciplina semel tantum neophytos in fronte consignant (*b*). Itaque apud Latinos bis chrismate unguntur christiani omnes, semel in vertice post regenerationem, iterum in fronte ab Episcopo dum confirmantur. Initio etiam apud Latinos tantum in fronte christiani sacro chrismate consignati sunt; at inde in Ecclesia Romana à Silvestro Pontifice, seu potius ab Innocentio I. instituta est altera consignatio, qua christiani statim post Baptismum à Presbyteris chrismate, quod Episcopus benedixit, in vertice unguntur (*c*). Videtur in Ecclesia Romana instituta capitis in Baptismo consignatio ad vices Confirmationis quodammodo supplendas, ut qui non confirmati moriebantur, saltem capite chrismate inuncto discederent, quod Morinus (*d*) pluribus adstruit. Tum enim in Ecclesia Romana Presbyteri non confirmabant, & hinc propter Episcopi absentiam facile multi, antequam confirmarentur, ex hac vita migrabant. Et certe Beda hanc sententiam spectavit, quando docuit capitis unctionem ejusdem naturæ esse cum frontis consignatione (*e*). Quidquid vero hujus rei sit, cæteræ fere omnes Occidentales Ecclesiæ ea tempestate hanc duplicem chrismatis unctionem non receperunt. In Hispania & Gallia Presbyteri etiam consignabant, ac propterea minus necessaria videbatur alia chrismatis inunctio ab ea, quæ in fronte fiebat, diversa. Et præterea statuerunt Arausicani Patres semel in Baptismo à baptista christianos chrismate consignari, præterquam si per necessitatem recens baptizari uncti non essent, quo casu in Confirmatione ab Episcopo consignationem fieri voluerunt (*f*): quæ videtur esse germana Canonis Arausicani sententia, quod pluribus Sirmondus contra Aurelium & Morinus probant (*g*). Sed inde postquam in toto Occidente invaluit, ut soli Pontifices confirmarent, recepta ubique fuit unctio neophytorum in capite à frontis consignatione diversa.

Ali-

(*a*) Cyprian. ep. LIX. al. LXIV. ad Fidum.
(*b*) Confer. Morin, exercit. de Confirmat. cap. 9. inter opera posthuma.
(*c*) Innocent. I. ep. I. ad Decent. cap. 3.
(*d*) Morin. cit. exercit. cap. 10.
(*e*) Beda comm. in Psalm. XXVI.
(*f*) Conc. Arausic. I. Can. II.
(*g*) Morin. loc. cit. cap. 11.

Alicubi pedes recens natorum lavabantur.

§. VI. In multis præterea Ecclesiis, quales Gallicana & Mediolanensis, pedes recens baptizatorum à summo Sacerdote lavabantur, idque vel die tertio, vel ipso Baptismi octavo die fieri solebat (*a*). Lavit quidem Christus discipulorum suorum pedes, at lotio ista ad humilitatem eis commendandam facta est, nec quidquam cum Baptismo commune habuit, quod adeo verum est, ut multæ Ecclesiæ, quales Romana, & Hispaniensis, pedum lotionem vel non admiserint, vel admissam rejecerint (*b*), ne ad ipsum Baptisma pertinere videretur. Interim in Ecclesia Mediolanensi pedum lotio & ad humilitatem & ad sanctificationem proficere credebatur: docet enim auctor libri *de Sacramentis*, qui sub nomine Ambrosii delitescit (*c*), eam ad coercendam concupiscentiam, quæ, culpa remissa, etiam post Baptismum superest, valere: & hinc eam *mysterium* appellavit, non quod esset veri nominis Sacramentum, sed quod coercitæ concupiscentiæ signum haberetur. Mutuasse videtur Ambrosiaster hanc doctrinam ex Ambrosio, cujus est hæc difficilis sententia (*d*), *ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur; nostra enim propria per Baptismum relaxantur*. Hæreditaria nempe peccata Ambrosio non sunt peccatum originale, sed inordinati concupiscentiæ motus, quos exemplo Apostoli *peccata* appellat, & quidem *hæreditaria*, quod ex Adæ peccato deriventur. Et quî alias licet Ambrosium interpretari, cujus certissima doctrina est, in Baptismo peccatum originale dimitti? Interim ubi recepta erat pedum post Baptismum lotio, multi octo sequentibus diebus religioni sibi ducebant, nudis pedibus terram contingere, quod Augustinus jure meritoque exagitat (*e*). Semper fuerunt, qui potius ritibus & vanis observationibus, quam veritate religionem æstimarent.

Quî celebrati septem post Baptismum dies.

§. VII. Jam vero septem sequentes Baptismum dies, quibus in albis incedebant, peculiari ratione neophyti celebrabant: exercebantur enim variis pietatis officiis, quibus gratiam in Baptismo partam muniebant & augebant. Ergo à lautioribus epulis, spectaculis & conjugiis abstinebant; quod Patres Carthaginenses decernunt (*f*): psalmos & hymnos repetebant, & à balneis abstinere jubebantur, teste Tertulliano (*g*). Propriæ quoque Missæ in rem præsentem accommodatæ quovis die fiebant, & Episcopi assiduos sermones habebant, qui-

(*a*) Aug. ep. CXIX. ad Januar. cap. 18.
(*b*) Conc Illib. Can. XLVIII Aug. loc. cit.
(*c*) Ambros. de Sacram. lib. 3. cap. 1.
(*d*) Ambros. de Myst. cap. 6.
(*e*) Aug. ep. XXXV.
(*f*) Conc. Carth. IV. Can. LXXXVI.
(*g*) Tertull. de Cor. cap. 3.

quibus in doctrina, & ritibus Baptismi, Confirmationis & Eucharistiæ (quæ tria Sacramenta eodem ferme tempore conferebantur) neophytos instituebant. *Idcirco*, inquit Chrysostomus (*a*), *continua quotidie doctrina perfruimini, idcirco septem dierum spatio consequenter collectam agimus*. Græcis hujusmodi sermones appellabantur *mystagogici*, quod mysteriorum darent explicationem, iisque finitis nulla pars christianæ doctrinæ fidelibus latebat, & arcana disciplina omnino solvebatur. Supersunt adhuc ex Latinis multi hujus generis sermones in primis Augustini & Gennadii Brixiensis: ex Græcis vero tantum quinque catecheses mystagogicæ Cyrilli Hierosolymitani ad nos usque pervenerunt. Opus Ambrosii *de Mysteriis*, & alterum *de Sacramentis* eidem tributum ex sermonibus ad neophytos habitis videntur composita: eadem enim methodus in his apparet, qua Cyrilli catecheses scriptæ sunt, quod Chardonius observat (*b*).

Annua Baptismi solemnitas.

§. VIII. Nec tantum christiani septem Baptismum suum sequentes dies sacros habuerunt, verum etiam ejus anniversariam solemnitatem in tanti beneficii memoriam celebrarunt: quod *Pascha annotinum* dicebatur (*c*). Celebrarunt quidem ethnici annuam natalis sui memoriam, at potiori jure memoriam suæ in Christo partæ nativitatis celebrare oportebat Christianos, quod is dies, rescissis cum diabolo pactionibus, ad veram vitam aditum patefecerat. Ergo in annotino Paschate ad Ecclesiam conveniebant baptizati, pro quibus festum celebrabatur, & oblationes ad altare faciebant, Missa diei Paschatis celebrabatur præter epistolam, orationem & evangelium, quæ propria erant: eosque parentes & susceptores comitabantur: nec deerat convivium, quo sponsores excipiebantur (*d*). Non eodem in omnibus Ecclesiis die Pascha annotinum celebrabatur: dies enim certus & stabilis, quo datus erat Baptismus, propter mobile Paschatis festum sequenti anno ut plurimum in quadragesimam, vel in alium diem, quo Pascha annotinum celebrari non poterat, incurrebat. Et hinc pro moribus Ecclesiarum Pascha annotinum, vel sabbato in albis, vel postridie octavam Paschæ, vel alio die in fastis Ecclesiarum adnotato celebrabatur, etsi annus à die suscepti Baptismi nondum elapsus, vel jamdiu impletus esset (*e*). Alicubi tamen eodem recurrente Baptismi die, etiam per quadragesimam videtur celebratum, ed in quadragesima *alleluia* omittebatur (*f*). Illud vero observatu dignum videtur, quod illuminati Paschate annotino celebrato videntur

(*a*) Chrys. hom. de Resur. Conf. Grancolas l' Ancien Sacram. part. 2. n. 95.
(*b*) Chardon Histoire des Sacrements. lib. 1. sect. 1. part. 2. chap. 2.
(*c*) Micrologus de Eccles. observ. 56.
(*d*) Conf. Baillet. des Fêtes mobiles part. 2.
(*e*) Conf. Cangius in Glos. V. *Pascha annotinum*.
(*f*) Belet. de Divino offic. cap. 84.

tur desiisse esse neophyti, quo statu perdurante secundum Ecclesiæ regulas ad ordines non poterant promoveri, quod ex auctore commentariorum in Epistolas Pauli sub nomine Ambrosii Chardonius observat (*a*). Annotinum Pascha una cum catechumenorum Baptismo solemni, qui sabbato sancto dabatur, videtur desiisse (*b*). Sed pertinet ad christiani officium, ut annuam sui Baptismi diem recolat, & in ea sancte se excitet ad præclaram sponsionem & fidei professionem, quam in lavacro per sponsores solemniter edidit (*c*).

Omissæ Baptismi cæremoniæ hodie supplentur.

§. IX. Jam vero cæremoniæ omnes, quæ Baptismum præcedunt vel sequuntur ad vim ipsam Sacramenti non censentur necessariæ, tantumque eo spectant, ut eo melius & majori gratiæ ubertate tantum mysterium conferatur. Et hinc in necessitate cæremoniæ omittuntur, & tantum sub invocatione Trinitatis aqua præbetur. Omissæ autem propter necessitatem cæremoniæ, si inde baptizati periculum evadant, omnes supplentur, in quo nova ab antiqua distat disciplina. Etenim dum in necessitate Baptismus sine solemnibus dabatur, antiquam Ecclesiam omissas cæremonias supplevisse non videtur, quod Grancolasius (*d*) recte observat. Tantum in hac specie curabant patres, ut sine solemnibus baptizati per Confirmationem perficerentur, ut diserte ex Cypriano & Canonibus Illiberitanis constat (*d*). Et Synodus Laodicena in morbo baptizatos, & inde in sanitatem restitutos tantum *fidem addiscere* præcipit, *& nosse, quod divino munere digni habiti sunt* (*f*). Videbatur præposterum, eas cæremonias post Baptismum impleri, quæ ad eum recte suscipiendum præparabant; nec exorcismus ad dæmones, qui jam expulsi erant, fugandos locum habere poterat. Sed temporis lapsu invaluit, ut omissæ propter necessitatem Baptismi cæremoniæ omnes supplerentur: quæ disciplina sensim invaluit. Etenim primum tantum cæremoniæ, quæ Baptismum sequuntur, suppletæ sunt, quod Synodus Londinensis an. CIↃCC. & Vincesteriensis an. CIↃCCXL. statuerunt, ea fortasse ratione, quod nihil præposterum fieri credebatur, si Baptismo in necessitate collato inde eæ implerentur cæremoniæ, quæ alias Baptismum sequebantur. At paulo post etiam antecedentes ritus suppleti sunt. Interim dum omissi baptismales ritus supplentur, exorcismus mutatur, & hinc dæmoni præcipitur, non ut hominem relinquat, sed ut ad eum amplius non revertatur.

CA-

(*a*) Chardon loc cit.
(*b*) Baillet. loc. cit.
(*c*) S. Carolus in Conc. VI. Mediolan. cap. 8.
(*d*) Grancolas l' Ancien Sacramentaire part. 2. pag. 97. & seq.
(*e*) Cyprian. ep. LXXVI. al. LXIX. ad Magnum., Conc. Illib. Can. XXXVIII.
(*f*) Conc. Laodic. Can. XLVII.

CAPUT X.

De Confirmatione.

Definitio Confirmationis.

§. I. Post Baptismum Christianis alio Sacramento succurritur, *Confirmatione* nempe, quæ nova infusa gratia regeneratos veros Christi athletas efficit, ad pugnam cum diabolo & mundo ineundam. Scilicet regeneratio, quæ summo Dei beneficio in aquis obtinetur, satis quidem est ad salutem consequendam, ac proinde si statim à Baptismo Christianos mori contingat, proculdubio sancti erunt, & cum Christo regnabunt: at quando post Baptismum adhuc in carne subsistunt, alio auxilio indigent, ut partam in aquis innocentiam servent & perficiant, & diaboli mundique tentationibus resistant (*a*). Itaque Confirmatio est Ecclesiæ christianæ Sacramentum, quo regenerati Spiritum sanctum ad robur & auxilia spiritualia consequuntur, ut Christi perfecti milites evadant. In antiquis monumentis passim Confirmatio dicitur χειροθεσία *manuum impositio*, χρίσμα *unctio*, & σφραγὶς *signaculum*, idque quia per manuum impositionem & chrismatis sub forma crucis unctionem Confirmatio confertur: nomen vero *confirmatio* ab effectu desumptum est, nec adeo rarum est in antiquis monumentis, ut nonnulli viri docti opinantur.

Unde conficitur chrisma.

§. II. Jam vero Confirmatio per chrismatis unctionem & manuum impositionem confertur. *Chrisma* Græcum nomen est, unguentum significans: & hinc etiam merum oleum in antiquis monumentis chrisma nuncupatur (*b*): sed ex usu ecclesiastico generis nomen ad unam unguenti speciem restrictum est. Itaque chrismatis nomine venit unguentum, quod Latini ex oleo & balsamo, Græci vero itidem ex oleo & balsamo, & triginta quinque aliis aromatum speciebus, addita vini non exigua quantitate, conficiunt. Per quinque priora sæcula nec apud Latinos nec Græcos chrismati balsamum videtur adjunctum, quod constat ex Patrum omnium silentio (*c*). Quin Tertullianus diserte testatur, solo oleo neophytos inunctos fuisse (*d*). Sæculo deinde sexto cœperunt Latini in conficiendo chrismate balsamum usurpare, & ex Latinis videntur Græci ejus usum recepisse. Ergo sub Fabiani Papæ nomine epistola decretalis secunda ad Orientales, quæ de balsamo mentionem habet, etiam hoc nomine

(*a*) Euseb. Emiss. hom. de Pentecoste.
(*b*) Conf. Sambov. de Sacram. Confirm. disp. 3. art. 4.
(*c*) Juenin. de Sacram. diss. 3. quæst. 2. cap. 4. art. 2.
(*d*) Tertull. de Bapt. cap. 7.

ne apocrypha censetur. Quamvis vero Græci balsamum chrismati sero tandem addidisse videantur; tamen inde usque à primis sæculis ex aliis aromatum speciebus chrisma confecerunt. Et hinc auctor ecclesiasticæ hierarchiæ & Suidas chrisma velut unguentum suavem odorem spirans describunt (*a*). Olei nomine, dum de chrismate agitur, oleum ex oleis expressum intelligitur, & si quæ aliæ sint olei species, ad chrisma conficiendum nihil valent; sed quod spectat ad balsamum, num sit Judaicum, vel Indicum, vel alterius generis perinde est, quod recte Sambovius (*b*) observat. Interim commixtio ista balsami cum oleo non est de necessitate Sacramenti (*c*); & si quis non chrismate, sed solo oleo consignatus fuerit, nihil debet iterari. Sed caute supplendum, quod minus caute prætermissum est (*d*).

Chrismatis consecratio.

§. III. Confectum pro vario Ecclesiarum more chrisma antequam in usum deducatur, ex antiquissima disciplina oportet consecrari: quæ consecratio chrisma Christi constituit. Soli autem Episcopi chrisma consecrant (*e*), semperque Canones chrisma consecrare Presbyteris vetuerunt. Hinc sæpe jubent Canones, ut inferiores Presbyteri à suis Episcopis ante diem Paschæ chrisma petant (*f*). Imo Patriarchæ Constantinopolitani & Alexandrini sibi chrismatis consecrationem reservarunt, adeo ut metropolitæ & Episcopi earum diœcesium à Patriarchis benedictum chrisma accipere deberent. Magna vero pompa & cæremoniarum apparatu chrisma apud Latinos benedicitur: sed majori pompa id faciebant Patriarchæ Constantinopolitani; iis enim chrisma consecrantibus adhærebant metropolitæ & Episcopi subjecti, qui ejus rei causa magno comitatu Constantinopolim conveniebant (*g*). Propriis precibus chrisma consecratur, quibus invocatur Deus, ut illud sanctificet: & propria Missa, qua consecrabatur, *chrismalis* dicta est. Etenim, ut observat Cardinalis Bona (*h*), olim feria quinta sanctioris hebdomadis tres Missæ fiebant, in quarum una pax pœnitentibus dabatur, in secunda sanctum chrisma consecrabatur, & tertia proprium diei officium spectabat. Consecrabatur olim chrisma in Occidente *omni tempore*, ut Patres Concilii Toletani loquuntur (*i*), hoc est omni die, prout eo Ecclesiæ indigebant. Sed post sæculum sextum mos in-

(*a*) Auctor. Eccles. hierarch. cap. 4., Suidas v. *μύρον*.
(*b*) Sambov. loc. cit.
(*c*) Juenin. loc. cit. art. 3.
(*d*) Cap. 1. ext. de Sacram. non iterand.
(*e*) Can. I. & seq. c. 26. quæst. 1. Conc. Tolet. I. Can. XX.
(*f*) Can. IV. D. 95.
(*g*) Conf. Chardon. Histoire des Sacrements lib. 1. sect. II. chap. 2.
(*h*) Bona Rer. liturg. lib. 1. cap. 18.
(*i*) Conc. Tolet. V. Can. XX.

invaluit, ut tantum feria quinta in cœna Domini chrisma benediceretur. Et profecto morem tertio sæculo ignotum Fabiano Papæ tribuit Isidorus Mercator, dum eum scribentem inducit, ut chrisma quotannis in cœna Domini consecretur (*a*). Græcorum euchologia etiam ad chrismatis benedictionem feriam quintam majoris hebdomadis dicunt, quamvis ob difficilem apparatum solerent Patriarchæ Constantinopolitani magnam chrismatis copiam benedicere, ut ita necesse non esset, singulis annis iterare consecrationem. Interim solemni hac consecratione chrisma sanctificari, & divinam virtutem adquirere antiqui Patres affirmant (*b*), qua mirabiles effectus operetur, docentque meliores theologi, consecrationem ad chrismatis naturam pertinere, quamvis alioquin certum esse videatur, chrismatis benedictionem jure ecclesiastico inductam esse (*c*).

Chrismate sub signo crucis unguntur confirmandi.

§. IV. Consecrato chrismate, qui confirmantur, inunguntur, quam unctionem *materiam proximam* passim dicunt. Unguntur autem ex antiqua disciplina apud Latinos tantum in fronte (*d*): sed Græci præter frontem, cujus unctionem tanquam potiorem spectant, ungunt etiam oculos, nares, os, aures, pectus, manus & pedes, ut habet vulgatum euchologium. Duo tamen antiquissima euchologia unctionem pectoris, manuum & pedum, teste Morino, omittunt. Syri, Alexandrini & Æthiopes fere omnia corporis membra inungunt (*e*). Antiqua est Ecclesiarum orientalium disciplina; quarto enim sæculo Græci plures corporis partes ungebant (*f*), quamvis non omnes Ecclesiæ per omnia convenirent. Inungunt autem & Latini & Orientales sub signo crucis. Est nempe crux signum victoriæ Christianorum: & tam solemne & venerandum Christianis fuit, ut illud in omnibus sacris cæremoniis adhibuerint (*g*). Imo ex sententia Augustini Confirmationi magis convenit, eique veluti proprium est crucis mysterium in fronte impressum, ut Christiani in loco pudoris crucem, quæ ignominia gentibus erat, palam circumferant (*h*). Interim à chrismatis unctione in antiquis monumentis Confirmatio sæpe dicitur *unctio* & *chrismatio*, & à signo crucis *consignatio* & *signaculum Domini*.

Qua formula unctio chrismatis fiat.

§. V. Chrismatis consignatio cæremonia nuda non est, sed ei formula verborum adhæret, quæ non iisdem verbis apud Græcos & La-

(*a*) Can. XVIII. D. 3. de Consec.
(*b*) Cyril. Hierosolym. catech. mystag. 3.
(*c*) Sambov. de Sacram. Conf. disp. 3. art. 5.
(*d*) Conferat. Sambov. loc. cit. art. 6.
(*e*) Morin. de Sacram. Confir. cap. 8.
(*f*) Conc. Constantinop. I. Can. VII., Cyril. Hierosolym. catech. 3.
(*g*) Chrysost. hom. LIV. al. LV. in Matth.
(*h*) Aug. Enarr. in Psalm. CXLI.

Latinos concepta est. Græci enim inde usque à quarto sæculo dicunt, *σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου signaculum donationis Spiritus sancti* (*a*). Verum aliæ orientales Ecclesiæ aliis formulis utuntur (*b*). Latini vero sub hac formula frontem consignant, *signo te signo crucis*, *& confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Usus hujus formulæ apud Latinos generatim post sæculum XII. invaluit, ejus enim in antiquis monumentis nullum extat vestigium (*c*). Initio nec Græci, nec Latini in chrismatis unctione certam formulam videntur adhibuisse, sed Confirmationem solis precibus, quibus invocatur Spiritus sanctus, administrarunt, quod ex constitutionibus apostolicis, sacramentario Gregorii M. & aliis antiquis ritualibus libris Morinus (*d*), observat. Quoniam vero incommodum videbatur, Pontificem dum ungeret, nihil dicere, præsertim quod aliquid moræ inter orationem & consignationem intercederet, hinc citius apud Græcos, serius apud Latinos in chrismatis unctione σταυροειδεῖ etiam propria formula cœpit adhiberi. In Occidente post sæculum septimum alii dicebant, *signum Christi in vitam æternam*, alii *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, nec in formula actum consignationis exprimebant (*e*). Formula indicativa, qua consignandi actus exprimitur, fortasse in *Ordine Romano*, qui octavo, aut nono sæculo scriptus creditur, primum occurrit ita, *confirmo te in nomine Patris &c.* Medio sæculo XIII. quamvis pleræque occidentis Ecclesiæ actum consignandi verbis indicativis exprimerent: non tamen omnes in unam formulam conveniebant quod ejus ætatis scriptor Alexander de Hales testatur (*f*). Sed inde Occidens universus formulam modo usurpatam admisit: & postquam confirmandi actus verbis expressus est, non *confirmatio* receptius & vulgarius evasit.

Chrismatis origo.

§. VI. Sed quæ fuerit inter Christianos prima chrismatis origo, inter doctos disputatur. Petrus Aurelius in libro, quem scripsit *orthodoxus*, pluribus contra Sirmondum contendit, ungendi ritum apostolicum esse. Verum Habertus (*g*) id rationem fugere, & Aurelium contra summos theologos præfracte id persuadere niti ingenue profitetur. Estius quoque communiorem sententiam esse dicit, Apostolos in confirmando chrisma non adhibuisse (*h*). Et qui quæso dici potest, Apostolos chrismate consignasse, quando id Scriptura tacet, nec aliis idoneis monumentis demonstratur? Quod si ali-

(*a*) Conc. Constantinop. I. Can. VII., Trull. Can. XCV.
(*b*) Conf. Chardon. Histoire des Sacrements lib. 1. sect. II. chap. 1.
(*c*) Conf. Fervacquius de Sacram. Confirm. cap. 3. quæst. 2.
(*d*) Morinus de Administr. pœnit. lib. 8. cap. 16.
(*e*) Morinus loc. cit.
(*f*) Alexander de Hales part. 4. Summæ quæst. 9. membr. 1.
(*g*) Habert. Archierat.
(*h*) Estius in lib. 4. Sentent. dist. 7. §. 7.

aliquando in novo testamento dicatur, christianos inunctos & signatos esse (*a*), id intelligi debet de unctionibus internis & mysticis, quales gratiæ suæ effusione Deus operatur. Itaque Basnagius, Dallæus & Binghamus chrisma demum inductum autumant exeunte sæculo secundo, quod ejus primi Tertullianus & Origenes meminerint. Sed magis est, ut non diu post Apostolos olei unctionem inductam dicamus, quod etiam Pearsonius (*b*) affirmat. Sane Tertullianus, qui primus olei unctionem, qua christiani post Baptismum ungebantur, memorat, eam non tum primum inductam, sed jam usu receptam supponit. *Exinde*, inquit (*c*), *egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant.* Quibus verbis etiam id Tertullianus affirmat, Ecclesiam *de pristina disciplina*, hoc est Judaica, unctionem accepisse, ut Rigaltius interpretatur.

Unctiones apud gentes.

§. VII. Jam vero religiosæ chrismatis seu olei aspersiones longe ante Christum & apud Judæos & apud gentes solemnes fuerunt. Et Judæi quidem & in sacrificiis & in consecrationibus oleum adhibuerunt, quod Spencerus, Casaubonus aliique recte observant (*d*). Hinc quæ res Deo dicabantur, olei aspersione veluti purgabantur, & Deo sacræ fiebant, idque ex antiquissimis moribus (*e*), quos Deus probavit & admisit; voluit enim, ut unguento opere unguentarii composito, & res & personæ sibi dicarentur (*f*). Hinc tabernaculum, altare & Sacerdotes ipsi olei aspersione Deo consecrata sunt (*g*). Solemni autem olei unctione & res & personæ à rebus profanis secretæ in Dei possessionem transire credebantur: quo fiebat, ut unctos Dei tanquam sanctos violare sacrilegium haberetur. Inde etiam invaluit, ut Judaici Reges ungerentur, ut ita tanquam Deo uncti & sacri inviolabiles evaderent. Simili rerum unctione in sacris suis utebantur ethnici (*h*), qui tamen unctionum usu in stupidam superstitionem proruerunt, lapides enim unctos adorabant, quasi eis per oleum aliquid divinitatis adhæsisset. Ipse Lucianus (*i*) hanc ineptam gentium superstitionem deridet. Hoc thema Reinerius Verwey egregie persequitur in opere *de Unctionibus gentilium.* Quidquid vero de gentibus sit, olei usus apud Judæos incorruptus perduravit, eoque tanquam ritu religioso in rebus

(*a*) 2. ad Cor. I. 21. & seqq ad Ephes. I. 14.
(*b*) Pearson. lect. in act. V. n. 6.
(*c*) Tertull. de Bapt cap. 7.
(*d*) Spencerus de Legib. Hebræor. ritualib. diss. III. Casaub. exercit. 14 in Baron. n 14.
(*e*) Genes. XXVIII. 18.
(*f*) Exod. XXX. 23. & seqq.
(*g*) Lev. VIII 10. & seq., Exod. XXIX. 7.
(*h*) Cleric. not. in indic. IX. 9.
(*i*) Lucian. in Alexand. Pseudom.

bus & personis Deo consecrandis & in ungendis Regibus usi sunt.

Manus impositio super confirmandos.

§. VIII. Alterum signum sensibile, quo Confirmatio datur est manuum impositio, qui ritus ex apostolica auctoritate descendit. Constat enim auctoritate Scripturarum, Apostolos baptizatis manus imposuisse, eisque dedisse Spiritum sanctum (*a*). Ex qua Scripturarum auctoritate antiqui Ecclesiæ Patres Cyprianus, Hieronymus, Innocentius I., Augustinus aliique passim tradunt, per manuum impositionem baptizatis Spiritum sanctum & robur infundi (*b*). Et Ecclesiæ praxis hæc fuit, ut post Baptismum manus imponerentur, quo Christiani Spiritum sanctum reciperent. Nec minus in Ecclesia latina, quam in græca, olim ad dandum Spiritum sanctum manus imponebantur. *In Ecclesia*, inquit Firmilianus Cappadociæ in Cæsarea Episcopus (*c*), *præsident majores natu, qui & baptizandi & manum imponendi & ordinandi possident potestatem*: quibus verbis manuum impositio ab ordinatione distincta alia profecto non est, quam manus impositio in Confirmatione. Et constitutiones apostolicæ aperte testantur, manus baptizatis impositas fuisse eamque impositionem Baptismi perfectionem dicunt (*d*). Et Theodoretus ait, baptizatos (*e*) *per manuum sacerdotalem impositionem sancti Spiritus gratiam accipere*. Inde productis Chrysostomi, Epiphanii, Gennadii Patriarchæ Constantinopolitani, Eulogii Patriarchæ Alexandrini aliorumque testimoniis Grancolasius & Drouvenus adstruunt (*f*); ut mirum sit, scripsisse Morinum, antiquum scriptorem non esse, qui testetur, in Ecclesia græca olim consuevisse, ad dandum Spiritum sanctum, manus imponi (*g*).

Oratio manuum impositioni adhæret.

§. IX. Manus impositionem comitatur vocis præcatio, qua Deus exoratur, ut Spiritum sanctum suum in confirmandos infundat: & ita formula hæc potius est deprecativa, quam indicativa. Et sane Apostoli manus christianis Samariæ à Philippo tinctis imponentes, orarunt, ut Spiritum sanctum acciperent (*h*). Similiter Patres, dum manus super confirmandos imponi asserunt, orationem aut Spiritus sancti addunt invocationem. Quin generaliter manus nunquam in Ecclesia impositæ sunt sine precibus, quæ impositionem illam comita-

(*a*) Act. VIII. 17.
(*b*) Cyprian. ep. LXXIII. ad Jubajan., Hieronym. contra Lucifer. cap. 4. Innocent. I. ep. ad Decent. cap. 3. Aug. de Trinit. lib. 15. cap. 26.
(*c*) Firmil. ep. LXXV. ad Cyprian inter Cyprian.
(*d*) Const't. apost. lib. 3. cap. 45.
(*e*) Theodoret. in cap. 6. ep. ad Hebræos.
(*f*) Grancolas. l' ancien Sacramentaire part. 2. pag. 116. seq., Drouven. de Re sacram. lib. 3. q. 3 cap. 2.
(*g*) Morin. de Sacram. Confir. cap. 4.
(*h*) Actor. VIII. 15. 17.

tarentur. *Quid est aliud manus impositio*, inquit apposite Augustinus, *nisi oratio super hominem* (*a*)? Hinc factum, ut manum imponere & orare quandoque apud veteres pro eodem usurpentur. Et si nonnunquam veteres manuum impositionem usurpant nulla orationis facta mentione, semper oratio subauditur, quod scite Morinus animadvertit (*b*). Quæ vero fuerit oratio ista, quæ dum manus super confirmandos imponebantur, recitaretur, Patres non exposuerunt, sed arcana traditione in Ecclesia conservata est: cujus silentii adeo tenaces fuerunt, ut Innocentius I. ad Decentium scribens, religioni sibi duxerit, eam formulam litteris consignare. *Verba*, in Confirmatione nempe usurpata, inquit (*c*), *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere*. Verebatur Pontifex prudentissimus, ne litteræ in manus profanorum inciderent, & mysteria nostra vulgarentur. Interim dubio procul talis erat illa formula qua rogabatur Deus, ut Spiritum suum in regeneratos effunderet, eosque perficeret & confirmaret. Postquam vero arcani disciplina desiit, cœperunt rituales libri formulam, quæ manuum impositionem comitabatur, describere: & re ipsa sacramentarium Gregorii M. eam proponit, continetque Dei invocationem, ut septiformem Spiritum sanctum paracletum in regeneratos dimittat.

Manuum impositionis origo.

§. X. Quemadmodum vero olei unctionem, ita etiam manuum impositionem à Judæis Christi Ecclesia videtur mutuasse, quod Morinus (*d*) agnoscit. Et apud Judæos quidem ritus imponendarum manuum perantiquus & celebris est, eratque signum divinæ benedictionis & virtutis, quæ externo illo ritu communicabatur. Ita Jacob filios Joseph benedicturus, manus super eorum capita imponit, orationemque super eos fundit (*e*). Sed Moses extensis impositisque manibus miracula perpetrabat, & divinam virtutem & potentiam cum iis, quibus manus imponebat, communicabat. Et hinc Josue repletus est Spiritu sancto, dum populi dux constitutus est, *quia Moses posuit super eum manus suas* (*f*). Et Judæi deinceps Presbyteros manibus impositis crearunt (*g*). Quum vero Christus potius ad implendam, quam ad solvendam legem venerit, Spiritum gratiæ suæ & vim divinam etiam impositis manibus communicare voluit. Sic facile Judæos lucrabatur, quibus novæ non erant mirificæ manuum impositiones. Ergo non solum ipse variis occasionibus manus imposuit; sed etiam discipulis suis dedit, ut extensis

(*a*) Aug. lib. 3. de Bap. cap. 16.
(*b*) Morin. de administ. pœnit. lib. 8. cap. 8. n. 7. & seq.
(*c*) Innocent. I. ep. ad Decent. cap. 3.
(*d*) Morin. de administ. pœnit. lib. 8. cap. 8. n. 9.
(*e*) Genes. XLVIII. 13. & seq.
(*f*) Deuteron. XXXIV. 9.
(*g*) Seldenus de Synedr. lib. 2. cap. 7. §. 1.

sis manibus vim divinam & mirificam impertirentur: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt* (*a*). Qua potestate Apostoli donati ad divinam virtutem communicandam manus imponebant neophytis, Ecclesiæ ministerio perficiendis, Evangelii præconibus, idque ut Spiritu sancto replerentur. Inde Ecclesia in omnibus occasionibus, ubi gratiam & divinum auxilium erat impetrandum, manuum impositionem usurpavit.

An Græci in Confirmatione manus imponant?

§. XI. Immutatus in Ecclesia latina perseveravit ritus imponendarum manuum in Confirmatione, quamvis scholastici ei parum efficaciæ tribuerint. Sed quod spectat ad Græcos, hi saltem à pluribus sæculis tantum per chrismatis unctionem, nulla facta manuum impositione, confirmare videntur: etenim eorum euchologia tantum chrismatis unctionem præscribunt, & de manuum impositione nihil habent. Et Græci scriptores posteriores in primis Simeon Thessalonicensis & Nicolaus Cabasilas affirmant, apostolicæ manuum impositioni unguenti signaculum successisse (*b*). Imo ipsi Græci Patres vim chrismatis attollunt, nec adeo de manuum impositione magnifice loquuntur. Exercuit nodus hic viros doctissimos. Morinus opinatur, materiam Confirmationis esse chrismatis unctionem (*c*): Holstenius vero Græcos cessasse ab imponendis manibus in Confirmatione, quod miraculorum & virtutum dona cessarint (*d*). Alii melius affirmant, Græcos à quingentis annis elevationem manus ad signandum habere etiam pro manuum impositione (*e*). Distincta quidem esse debet à manuum impositione consignatio; at nihil absurdi esse videtur, si unus ritus duas cæremonias complectatur, præsertim si qui consignant, manus etiam imponere intelligant. Sane in fidei confessione affirmat Jo. Palæologus, chrismatis mysterium dari *per impositionem Episcopi, qui inungit* (*f*). Quod si hæc responsio nodum non videtur extricare, plane dicendum est, plerosque Græcorum rituales manuum impositionem habere, quod Renaudotius in ritibus Græcorum versatissimus testatur (*g*). Et quamvis Græci veluti præcipuam Confirmationis partem manuum impositionem non habeant; id tamen ideo fit, non quod in ea magnam vim non agnoscant, sed quod in omnibus pene Sacramentis adhibeatur: & hinc unctionem, quæ paucorum est, principalem Confirmationis materiam esse existimant. Adde, quod euchologia omnia

(*a*) Marc. XVI. 18.
(*b*) Ap. Morin. de Sacram. Confirm. cap. 5.
(*c*) Morin. loc. cit. cap. 4. & seqq,
(*d*) Holsten. dissert. de Ministro Confirmat. ap. Græcos cap. 1.
(*e*) Chardon, Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 2. chap. 1.
(*f*) Ap. Allatium lib. 3. de Concor. cap. 16.
(*g*) Renaudot. tom. 5. Perpetuit. fidei lib. 2. cap. 12.

nia jubent, orationem, qua ad robur invocatur Spiritus sanctus, super neophytos recitari; ea autem oratio ex antiquo more manuum adhæret impositioni. Quid est enim aliud manuum impositio, quam oratio super populum?

Materia & forma Confirmationis.

§. XII. Atque ex hactenus dictis videtur constare, quæ sit propria Sacramenti Confirmationis materia & forma, quamvis ea de re inter theologos non conveniat. Et scholastici quidem soli chrismati materiam tribuunt, formam vero verbis quæ adhærent unctioni, qua in re adeo tenaces sunt & fortes, ut doceant, Apostolos speciali privilegio per manuum impositionem Confirmationis effectum sine Sacramento dedisse (*a*). Morinus quoque sola chrismatis unctione Confirmationem æstimat, idque quod credat, Græcos solo chrismate confirmasse & adhuc confirmare. Alii in primis Jueninus & Drouvenus (*b*) manuum impositioni chrisma adjungunt, & ex utroque ritu materiam Confirmationis coalescere contendunt. At quando Apostoli solis precibus impositioni manuum adjectis dederunt Spiritum sanctum, quî quæso admitti potest, totam Confirmationis naturam in chrismatis unctione consistere, aut chrisma ejusdem necessitatis esse cum manuum impositione? Rectius ergo viri doctissimi Sirmondus, Habertus, Sambovius aliique (*c*) totius Confirmationis vim & naturam in manuum impositione eique adjunctis precibus collocant, chrismatis vero unctionem Ecclesiæ auctoritate ad Sacramenti integritatem pertinere. Nec aliter profecto dici potest, quando Apostoli orantes & manus imponentes dederunt Spiritum sanctum: & antiqui Patres tantæ auctoritatis pondere ducti, christianos per manuum impositionem accipere Spiritum sanctum docuerunt. Quod si Eugenius IV. Armenos instituens, asserat, materiam Confirmationis esse chrisma, formam vero solemnia verba *signo te signo crucis* &c., id quidem nihil obturbat; observant enim viri docti Fervacquius (*d*), Morinus aliique (*e*), Eugenium eo decreto peculiares Ecclesiæ latinæ ritus in conficiendis Sacramentis, non veras & proprias materias & formas, quæ Armenos haud latebant, proposuisse. Interim inquisitio ista potius ad θεωρητικὴν, quam ad praxim pertinet; Ministri enim dum conficiunt Sacramenta, omnes in ritualibus præscriptos ritus debent adhibere. Et si quando Patres & Canones in causa Confirmationis solam manuum impositionem, aut

(*a*) S. Thomas part. 3. quæst. 72. art. 2. Alexander de Hales. part. 4. quæst. 24. memb. 1.
(*b*) Juenin. de Sacram. disp. 3. quæst. 2. cap. 3., Drouven. de Re sacram. lib. 3. quæst. 3. cap. 1.
(*c*) Sirmond. anthirret. II. part. 1. cap. ult., Habert. not. in Euchulog. Græcor. Sambov. de Sacram. Confirm. disp. 3. & 4.
(*d*) Fervacq. de Sacram. Confirm. cap. 3. quæst. 2.
(*e*) Morin. de Pœnit. lib. 8. cap. 18. num. 5., Espen. part. 2. tit. 3. cap. 3. num. 10.

aut solam chrismatis unctionem memorant, synedoche sæpe est, & unum altero ex natura adjunctorum continetur.

Ordinarius Confirmationis Minister.

§. XIII. Ab externa forma, qua Confirmatio constat, ad ejus Ministrum transeamus. Minister, qui propria & summo sacerdotio adhærenti potestate dat Confirmationem, Episcopus est. Sane ad imponendas manus christianis, quos Samariæ Philipus Diaconus tinxerat, Apostoli Petrum & Joannem ablegarunt (*a*). Et antiqui scriptores ecclesiastici Ministrum Confirmationis Episcopum faciunt, idque eorum aliqui ex auctoritate apostolica derivant. Cyprianus hunc esse Ecclesiarum morem affirmat (*b*), ut baptizati *Ecclesiæ præpositis* (hoc est Episcopis) *offerantur, ut per orationem nostram & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur.* Et Hieronymus testatur, baptizatum *nisi per manus Episcopi* Spiritum sanctum non accipere; quam observationem ab ea auctoritate derivat, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit (*c*). Innocentius I. ex moribus & apostolica doctrina manifestum esse docet, non ab alio quam ab Episcopo debere infantes consignari (*d*). Ex Græcis Firmilianus impositionis manuum proprium Ministrum Episcopum facit (*e*). Et Chrysostomus singulare & Apostolorum donum fuisse docet, ut manus imponentes, darent Spiritum sanctum, subnectitque, *unde & præcipuos*, vel ut alii vertunt, *coriphæos, non alios videmus hoc facere* (*f*). Passim quoque Canones veluti proprium & ordinarium consignationis Ministrum Episcopum exhibent, nec in re trita pluribus testimoniis uti necesse est (*g*). Cui traditioni adhærentes Tridentini Patres statuerunt, Confirmationis *ordinarium* Ministrum Episcopum esse (*h*).

Olim apud Latinos Præsbyteri confirmabant.

§. XIV. Verum enimvero, quod Hieronymus observat (*i*), disciplina, quæ summo Sacerdoti tribuit consignationis ministerium, *ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem* spectavit. Nec enim ex eo quod Philippus Diaconus à se baptizatis manus imposuit, consequitur, jure divino Presbyteris manuum impositionem interdici. Itaque olim in latinis Ecclesiis Presbyteri absentibus aut veniam dantibus Episcopis consignabant, quod pluribus Morinus & Hols-

(*a*) Actor. VIII. 14. & seqq.
(*b*) Cyprian. ep. LXXIII. ad Jubajan.
(*c*) Hieronym. contra Lucifer. cap. 4.
(*d*) Innocent. I. ep ad Decent. cap. 3.
(*e*) Firmilian. ep. LXXV. ad Cyprian. inter Cyprian.
(*f*) Chrysost hom XVIII. in acta.
(*g*) Conf. Dronvenus de Re sacrament. lib. 3. quæst. 7.
(*h*) Trident. sess. VII. de Confirm. Can. III.
(*i*) Hieronym. contra Lucifer. cap. 4.

Holstenius demonstrant (*a*). Et quidem in Hispania statuerunt Patres Concilii I. Toletani, *Diaconum non chrismate, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum* (*b*). Similiter in Gallia absente Episcopo & urgente necessitate Presbyteri consignabant hæreticos, qui ad Ecclesiam revertebantur (*c*). Et sexto sæculo Præsbyteri in Sardinia ex antiquis moribus Confirmationem conferebant (*d*): at Gregorius M. eos deinceps id facere interdixit. Ægre tulerunt Sardi antiquum suum morem abrogari, quod prudentissimus Pontifex intelligens, indulsit, ut Sardiniæ Præsbyteri, ubi Episcopi deessent, consignarent (*e*). Interim dum alii occidentales Presbyteri consignabant, id Romani Presbyteri facere vetabantur. Sed deinceps sexto & sequentibus sæculis sensim desierunt occidentales Presbyteri confirmare, idque factum, scribit Holstenius, *Pontificum Romanorum instantia* (*f*), qui Ecclesiæ suæ mores in omnem Ecclesiam inferre studuerunt. Recepta erat hæc disciplina tempore Isidori Mercatoris, qui propterea sub Eusebii, Damasi & Leonis nominibus datis litteris Presbyteros à Confirmationis ministerio omnino removit. Et hæc fuit occasio, cur veteris disciplinæ memoria passim aboleretur. Cæterum moribus præsentibus posse Presbyteros ex Ecclesiæ indulgentia Confirmationem dare in compertis videtur esse (*g*), quamvis id Estius & Sambovius non admittant.

Presbyteri Græci ordinarii Confirmationis Ministri.

§. XV. Nec tantum apud Latinos, verum apud Græcos olim Presbyteri confirmarunt. Id certe constitutiones apostolicæ, auctor commentariorum in Epistolas Pauli sub nomine Ambrosii, & auctor quæstionum in vetus & novum testamentum abunde testantur (*h*). Distat autem in hac parte, ut in aliis multis, Latinos inter & Græcos, nam Latini Presbyteri à multis sæculis non amplius confirmant; at Græcorum mores in dies convaluerunt, & eorum Presbyteri ordinarii Confirmationis Ministri facti sunt. Hinc nono sæculo Photius vitio vertit Latinis, quod apud eos Presbyteri non consignarent. Græcorum mores sunt legitime præscripti, eosque latina Ecclesia probat & admittit (*i*). Et profecto male Petrus Aurelius & Sambovius (*k*) opinantur, Græcos Presbyteros ministerio consignandi abuti. Quod si nono sæculo Nicolaus Papa jussit, iterum consigna-

(*a*) Morin. de Sacram. Confirm. cap. 12. & seqq. Holsten. diss. de Ministro Confirm. apud Græcos.
(*b*) Conc. Tolet. I. Can. XX.
(*c*) Conc. Arausic. II., Conc. Epaonense Can. XVI.
(*d*) Gregor. M. lib. 3. ep. IX.
(*e*) Id. loc. cit. ep. XXVI.
(*f*) Holsten. cit. dissert in præf.
(*g*) Conf. Drouvenus de Re sacram. lib. 3. quæst. 7. §. 4.
(*h*) Const. apost lib. 7. cap. 22., Ambros. in Ephes. IV. 11., August. quæst. in vet. & nov. testam. quæst. 101.
(*i*) Conf. Juenin. de Sacram. diss. III. quæst. 5. cap. 2, art. 2. §. 3.
(*k*) Sambov. de Sacram. Confirm. disp. 7. art. 2.

nari confirmatos à Presbyteris, quos Photius in Bulgariam miserat; id ea ratione factum videtur, quod Photius utpote intrusus Patriarcha omni ecclesiastica potestate secundum ejus ætatis opinionem carere censebatur; vel quia Nicolaus sibi subjectam Bulgariam contendebat, in quam propterea nulla videbatur esse Constantinopolitani Patriarchæ potestas. Nec Innocentius III. consignare Græcis Presbyteris interdixit, quamvis ejus decretalis apud Gregorium IX. id innuere videatur (*a*): etenim Innocentius tantum Presbyteris Latinis, qui tum erant Constantinopoli, & de more Græcorum consignationem attentabant, deinceps vetat confirmare, quod ex integra decretali apud Antonium Augustinum constat. Et male profecto Raymundus decretalem decurtavit, omittens verbum *Latinis*, quo Pontifex palam faciebat, se de solis Latinis Presbyteris edixisse (*b*).

Confirmatio gratiam & robur confert.

§. XVI. Jam vero Confirmationis effectus duo sunt, gratia & spirituale signaculum, quo christiani speciali modo Christi militiæ addicuntur. Et quod spectat ad gratiam, constans & vulgata est Ecclesiæ doctrina, per manuum impositionem Spiritum sanctum effundi (*c*). Spiritus vero sancti gratia confirmatis adhærens, proprie partam in Baptismo gratiam & innocentiam confirmat augetque, non justitiam & sanctitatem producit. Scilicet regeneratio & sanctitas aquis Baptismi data, satis est ad salutem: at quando post Baptismum concupiscentiæ & mundi illecebris sumus obnoxii, alio indigemus auxilio, quo Baptismi gratia augeatur, confirmetur & Spiritus sancti donis exornetur & vestiatur, quod præstat Confirmatio: *In Baptismo*, inquit Eusebius Emissenus, seu quisquis sub eo nomine latet (*d*), *regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.* Hinc Patres Concilii Illiberitani christianos per manuum impositionem *perfici* (*e*), Cyprianus *consummari* (*f*), & passim alii Patres *roborari* & *augeri* dixerunt (*g*). Quo fiebat, ut stante Patrum disciplina, nemo christianus, seu nemo verus & perfectus christianus censeretur, antequam Confirmationem suscepisset. *Hujus sancti chrismatis dono accepto*, inquit Cyrillus Hierosolymitanus (*h*), *merito appellamini christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione: ante enim quam hæc gratia vobis donata esset, non eratis proprie digni eo nomine, sed pergen-*

(*a*) Cap. 4. ext. de Consuetud.
(*b*) Morin. de Sacram. Confirm. cap. 22.
(*c*) Conf. Juenin. de Sacram. diss. III. q. 7. cap. 2. art. 1.
(*d*) Euseb. Emissen. hom de Pentecoste.
(*e*) Conc. Illiberit. Can. LXXVII.
(*f*) Cyprian. epist. LXXIII.
(*g*) Conf. Sambov. de Sacram. Confirm. disp. 5. art. 1.
(*h*) Cyrill. Catech. III.

entes eo usque progressi estis, ut efficeremini christiani, nempe perfecti.

Olim Confirmatio dabat dona miraculorum.

§. XVII. Atque hic proprius & ordinarius Confirmationis effectus est, semperque agnovit Ecclesia, per hoc Sacramentum christianis robur adjungi. Cæterum Spiritus sanctus in Confirmatione datus, primis sæculis linguarum & miraculorum dona conferebat: id certe commune erat ætate Apostolorum, inde sensim fere cessavit, prout res christiana incrementa accepit, jamque exeunte sæculo tertio rara erant exempla, in quibus Spiritus sanctus sensibilibus miraculis dabatur, quod thema illustrant Dodwellus & Chardonius (*a*). Ecclesiæ primordia & status rei christianæ tot tempestatibus obnoxius, miraculorum dona postulabant. *Primis temporibus*, inquit Augustinus (*b*), *cadebat super credentes Spiritus sanctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronunciare. Signa erant tempori opportuna*, hoc est, ut alio loco dicit (*c*), *ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda.* At non ex eo, quod non amplius manuum impositio dat in miraculorum patrationem Spiritum sanctum, propterea tanquam otiosa cæremonia traducenda est, quod facit Calvinus: nam qui Spiritus sanctus ad miraculorum patrationem nihil proficit, prodest certe ad christiani perfectionem & charitatem, quod Augustinus docet (*d*). Interim etsi à multis sæculis frequentia non sint dona miraculorum, non tamen omnino cessarunt: Deus enim pro sapientia & providentia sua & Ecclesiæ necessitate omnibus sæculis dona miraculorum dedit, dabitque deinceps: non enim Ecclesiam suam unquam derelinquet.

Effectus proprius chrismatis.

§. XVIII. Interim Spiritus sancti in Confirmationem & robur effusio proprius effectus impositionis manuum esse videtur; nam chrismatis unctio origine sua potius adumbravit sacerdotium & regnum, quorum christiani omnes quodammodo participant. Scilicet quum christiani omnes Deo Patri Sacerdotes & Reges facti sunt (*e*), opportunum visum est, aliquo signo externo id exprimere: atque ideo usurpata est chrismatis inunctio, qua apud Judæos Sacerdotes & Reges consecrabantur. Id profecto indicat Tertullianus, quando christianos statim à Baptismo benedicta unctione perungi affirmat *de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant* (*f*). Cla-

(*a*) Dodwell. diss. Cyprian. IV. Chardon. Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 2. chap. 7.
(*b*) Aug. tract. VI in Joan.
(*c*) Aug. de Bapt. lib. 3. cap. 16.
(*d*) Aug. cit. tract. VI.
(*e*) Apocalyps I. 6.
(*f*) Tertull. de Bapt. cap. 7.

Clarius Origenes: *Omnes quicunque unguento sacri chrismatis delibuti sunt, Sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ad omnem dicit Ecclesiam, vos genus electum & regale sacerdotium* (a). Et Leo M. (b): *Omnes in Christo regeneratos crucis signum efficit Reges, sancti vero Spiritus unctio consecrat Sacerdotes.* Hinc Hieronymus (c) laici sacerdotium Baptisma interpretatur. Quoniam vero ex antiqua disciplina chrismatis unctio manuum impositioni adhæret, & apud Græcos veluti pars princeps Confirmationis habita est, hinc qui erat impositionis manuum effectus, ex natura conjunctorum chrismatis unctioni tribui cœpit, passimque Patres veluti magnæ virtutis opus chrisma celebrarunt. Inde passim tradunt, oleo quod pingue est & diffluit, gratiæ plenitudinem, quæ in hoc Sacramento ad robur confertur, denotari, & confirmatos veluti Christi athletas censeri; athletæ enim apud Græcos ante pugnam oleo ungebantur.

Confirmatio etiam characterem imprimit.

§. XIX. Porro Confirmatio, non secus ac Baptismus & sacra Ordinatio, interius proprio charactere confirmatos obsignat, quo confirmati ad militiam Christi deputantur, non secus ac sæculi milites characteribus in corpore impressis in numeros referebantur: quæ est Ecclesiæ doctrina à Patribus Tridentinis confirmata. Sane consignatio consecratione quadam datur, qua confirmati in Christi militiam addicuntur, & consecrationes perpetuo manent, quod Augustinus docet (d). Deinde ex antiqua Ecclesiæ doctrina consignatio semel data non iteratur (e): quod indicat, aliquid permanens per Confirmationem dari. Cæterum quod Sambovius (f) ad astruendam Ecclesiæ de Confirmationis charactere doctrinam, plura veterum loca producit, ubi Confirmatio *sigillum Domini* dicitur, & confirmati *in fronte signati*, laudari quidem meretur viri docti conatus, at loca illa ad rem esse non videntur; etenim sigilla Confirmationis locis productis externam Confirmationis collationem, non internum aliquod signum denotant. Quod si Confirmatio iteretur, id quidem magnum scelus est; at ex nova disciplina Ministri & suscipientes à Canone non censentur alieni, non enim id in jure occurrit expressum.

Confirmatio est verum Sacramentum.

§. XX. Atque ex dictis constat, Confirmationem esse unum ex septem christianæ religionis Sacramentis, quæ est catholica doctrina

(a) Orig. in Levit. hom. IX.
(b) Serm. III. de assumt. sua.
(c) Hieronym. contra Lucifer. cap. 2.
(d) Aug. contra Parmenian. cap. 13.
(e) Greg. M. lib. 12. ep. XXXI., Conc. Tolet. VIII. Can. VII. Conf. Juenin. de Sacram. disp. 3. q. 7. cap. 1.
(f) Sambov. de Sacram. Confirm. disp. 6. art. 1.

na à Patribus Tridentinis confirmata. Ubi enim est signum sensibile, constans rebus & verbis, perpetuum & gratiam effundens, Christi Sacramentum habetur. Constat autem manuum impositione & precibus Confirmatio, gratiam ex divina institutione effundit, & perpetuo usu in Ecclesia data est ad christianorum perfectionem (a). Et quamvis inde usque ab initio quarti sæculi manus impositio dona miraculorum non elargiatur, non tamen diversa est ab ea, quam Apostoli usurpabant; ab Apostolis enim facta manuum impositio potissimum Spiritum Sanctum ad robur & perfectionem effundebat, & quæ eam comitabantur miracula, signa erant tempori opportuna & effectus extraordinarius. Itaque ut ecclesiastica manuum impositio eadem sit cum apostolica, sufficit, ut Spiritum sanctum ad robur tribuat, qui est perpetuus Confirmationis effectus. Et hinc Patres Cyprianus, Hieronymus, Innocentius I., Augustinus (b) & cæteri deinceps ecclesiastici scriptores affirmant, in Ecclesia dari manuum impositionem ad exemplum & secundum doctrinam Apostolorum, etsi suo tempore Confirmatio dona miraculorum non tribueret, sed tantum Baptismi gratiam perficeret & consummaret. Quæ quum ita sint, errant procul dubio Dallæus & Binghamus, qui Confirmationem habent veluti Baptismi puram cæremoniam, non Sacramentum ab eo distinctum. Quando enim gratia Confirmationis à gratia Baptismi distinguitur, ut duo sint Sacramenta, necesse est.

Subjectum Confirmationis.

§. XX. Non aliis autem datur Confirmatio quam in Christo per Baptismum regeneratis: perficit enim augetque gratiam in Baptismo partam: & qui natus nondum est, quî potest adolescere? Cujuscunque autem ætatis christiani sint, etiam infantes recte consignantur: spectat enim Confirmatio Baptismi perfectionem, quam omnibus etiam infantibus consequi licet (c). Et re ipsa vetus Ecclesia etiam infantes consignare consuevit: sed receptis apud Latinos moribus ordinarie infantes non consignantur ante septimum vel decimum secundum annum, prout locorum habet disciplina, nisi Episcopo videatur septennium prævenire, *& laudabile maxime est*, ait Sambovius (d), *ut præveniat respectu constitutorum in articulo mortis*, idque ut infantes perfecti ex hac vita discedant, & majori gloriæ ubertate in cœlis perfruantur (e). Quum enim apud Latinos statim à Baptismo infantes perfici non possent, quod raro Episcopi baptizarent, sa-

(a) Conf. Sambov. de Sacram. Confirm. disp. 2. art. 1. & 2., & N. Alexander diss. X. in 2. sæcul.
(b) Cyprian. ep. LXXIII. ad Jubajan., Hieronym. dial. advers. Lucif., Innocent. I. ep. I. ad Decent. cap. 3., Aug. lib. 20. de Trinit. cap. 26.
(c) Conf. Drouven. de Re sacrament. lib. 3. q. 8. cap. 1.
(d) Sambovius de Sacram. Confirm. disp. 8. art. 1.
(e) S. Thomas 3. part. q. 72. art. 8.

satius visum est, consignationem in eam ætatem differre, qua confirmandi quid susciperent, aliquatenus valeant intelligere. Interim non videtur nova disciplina veteri præferenda, quod facit Maldonatus (*a*). Sed Græci adhuc in antiquis moribus perseverant, eorumque aliqui vitio verterunt Latinis, quod infantes non consignarent, quasi perfecte baptizati non sint, qui unguentum non susceperint.

Olim statim post Baptismum data Confirmatio.

§. XXII. Ex antiqua disciplina statim post Baptismum dabatur Confirmatio, quod Tertullianus, Cyprianus, Concilium Laodicenum, constitutiones apostolicæ aliaque sexcenta monumenta testatissimum faciunt (*b*). Et per villas & minores urbes, ubi Presbyteri baptizabant, non vero manus imponebant, Episcopi ad invocationem Spiritus sancti manus impositiuri excurrere solebant, teste Hieronymo (*c*), ut ita, quoad fieri poterat, Confirmatio illuminationi adhæreret. Scilicet Confirmatio ad Baptismi perfectionem pertinere credebatur, proinde statim post Baptismum perfectio sequebatur. Vigent antiqui mores adhuc apud Græcos, quod Goarius (*d*) demonstrat; at apud Latinos à multis retro sæculis Confirmatio seorsim à Baptismo confertur. Nono sæculo adhuc statim à Baptismo neophyti confirmabantur, modo Episcopus præsens esset, quod ex Alcuino & ordine Romano (*e*) constat. Mutandæ disciplinæ causam videtur præbuisse ministerium Confirmationis septimo & sequenti sæculo in Occidente solis Episcopis reservatum: quum enim Presbyteri nec ex Episcopi delegatione amplius confirmarent, & Episcopi raro Baptismi mysteria cœpissent celebrare, veluti sponte sua factum est, ut Baptismus & Confirmatio seorsim conferrentur. Interim quousque Baptismo adhæsit signaculum Domini, fere tantum in Paschate & Pentecoste dari consuevit nisi necessitas urgeret. Mutata autem disciplina quovis tempore dari cœpit Confirmatio, sed recte monet S. Carolus, ne Episcopi in Pentecoste chrisma conferre prætermittant (*f*).

Necessitas Confirmationis.

§. XXIII. Quoniam vero Confirmatio tantum sanctitati & gratiæ in Baptismo receptæ robur addit, hinc absolute necessaria non est, & qui ante ejus receptionem ex hac vita discedunt, regno cœlorum non excluduntur. Ut regnum cœlorum ingrediamur, sufficit aqua, quod

(*a*) Maldonat. de Confirm. q. 2.
(*b*) Conferat. Menard. not. in Sacram.
(*c*) Hieron. contra Lucif. cap. 4.
(*d*) Goarius not. in Ritual. Græcor.
(*e*) Alcuin. de Div. offic. cap. de Sabbat. Paschæ, Ordo Romanus tit. de Bapt.
(*f*) Conc. IV. Mediol. part. 2. de Sacram. Confirm.

quod Illiberitani Patres, constitutiones vulgo apostolicæ, Hieronymus aliique passim affirmant (*a*). Interim etsi absolute consignatio ad salutem æternam non requiratur; adultis tamen omnibus ex divino & ecclesiastico præcepto necessaria est (*b*). Unusquisque enim ex divino præcepto eniti tenetur, ut christianæ vitæ perfectionem adsequatur; hæc enim Dei voluntas est; & deinde sexcentis Canonibus cavetur, ut christiani Domini signaculo consummentur (*c*). *Continuo transituris*, inquit Eusebius Emissenus (*d*), *sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Et quî alias mundi illecebris & diaboli tentationibus audentius christiani obviam ibunt? Præsertim vero obligat Confirmationis præceptum, ubi imminet in christianos persecutio, aut ubi molestius tentationes contra fidem & honestatem eos assidue agitant & torquent. Et hinc salutem suam in discrimen adducunt, gravisque peccati rei sunt, qui Confirmationem contemnunt, aut negligunt (*e*). Et debent Episcopi frequenter suas parœcias circumire, ut omnibus facile sit per manuum impositionem perfici: & contra officium faciunt parentes, qui legitima ætate filios non offerunt consignandos.

Dispositiones ad Confirmationem.

§. XXIV. Quo vero Confirmatio rite suscipiatur, plura requiruntur. In primis (I) præcedere debet Baptismus: quî enim crescere in Christo possunt, qui nondum spiritualiter nati sunt? hinc post S. Thomam docent theologi (*f*), nullam esse, ac ideo iterandam Confirmationem non baptizatis collatam. Porro (II) qui adulta ætate & non statim post Baptismum confirmantur, & rei gravioris delicti sunt, de peccato suo dolere debent, consultius vero facient, ut confessionem præmittant (*g*). Corpore (III) quoque jejunus debet esse confirmandus, quæ est antiqua Ecclesiæ disciplina per duodecim plus minus sæcula servata (*h*); confirmatis enim statim dabatur Eucharistia, quæ suscipientes jejunos requirit. Sed jam ætate S. Thomæ antiqua disciplina oblanguescebat; & propter fidelium multitudinem & pericula imminentia etiam non jejuni confirmabantur (*i*): interim posteriores Canones passim edicunt, confirmandos, si commode possit obtineri, jejunos esse (*k*). Et (IV) pro reverentia sacri chrismatis frontem eluere, & in eam deciden-

(*a*) Conc. Illiberit. Can. LXXVII., Hieronym contra Lucif. cap. 4., Const. apost. lib. 7. cap. 22.
(*b*) Confer. N. Alexander Theol. dogm & mor. lib. 2. tract. III. cap. 4.
(*c*) Confer. Sambov de Sacram. Confirm. disp. 8. art. 3.
(*d*) Euseb. Emiss. hom de Pentecoste.
(*e*) Juenin. de Sacram. diss. III. q. 9. cap. 2.
(*f*) S. Thom. part. 3. q. 72 art. 6., Sambov. de Conf. disp. 5. art. 1.
(*g*) Can VI. de Consec. D. 5, Confer. Morinus de Sacram. Pœnit. lib. 9. cap. 2.
(*h*) Confer Juenin. de Sacram. diss. 3. q. 8. cap. 2.
(*i*) S. Thom loc. cit. art. 12.
(*k*) Ap. Sambov de Sacram. Confirm. disp. 8. art. 2.

dentes capillos confirmandi tondere debent. Quod si quis turpe, aut ridiculum, nec christiana religione dignum nomen habeat, illud in Confirmatione mutari debet (*a*).

Confirmationis sponsores.

§. XXV. Jam vero in Confirmatione proprii adhibentur sponsores, qui consignandos Episcopo sistunt. Primis septem fere sæculis nulla sponsorum Confirmationis mentio habetur. Et profecto Leoni M. tribui non potest fragmentum à Gratiano sub nomine *Leonis Papæ* relatum (*b*), ubi statuitur, ut unus sive vir, sive mulier Baptismo & Confirmationi infantem offerat. Conferebatur nempe statim post Baptismum Confirmatio, atque ideo iidem in Baptismo & Confirmatione susceptores adhibebantur (*c*). Sed inde à Baptismo separata Confirmatione, quod fere post sæculum sextum fieri cœpit, proprius Confirmationi sponsor datus est, ut antiquus ritus remanere videretur. Quidquid vero hujus rei sit, sponsores Confirmationis debent esse christiani probi & confirmati, tales nempe qui filios suos in bonis moribus & pietate possint erudire, iisque exemplo esse ad spirituales pugnas superandas. Et qui in Baptismo susceptores esse vetantur, iidem nec possunt ad Confirmationem offerre. At idem qui in Baptismo suscepit, non vetatur filium suum spiritualem offerre Confirmationi, quod convenit cum antiqua disciplina, quamvis id, nisi necessitas postulet, S. Carolus non permittat. Passim autem unus unum confirmandum offert, nec plures admitti solent: nec permittit S. Carolus, ut mas feminam & è contrario femina marem Confirmationi offerat (*d*). Contrahitur etiam ex Confirmatione spiritualis cognatio inter confirmantem & confirmatum ejusque patrem & matrem, ac porro inter offerentem & oblatum ejusque patrem & matrem, quæ obstat matrimoniis contrahendis & contracta disolvit (*e*).

Ritus post Confirmationem.

§. XXVI. Multi quoque ritus Confirmationem sequuntur. Et in primis (I) peracta consignatione leviter percutit Episcopus confirmati maxillam, qui ritus primis decem sæculis ignotus fuit: non enim ejus in antiquis monumentis vestigium ullum invenitur. Interim alapa impacta significari S. Carolus tradit, confirmatum jam militem esse, cujus pugna & victoria eluceat potius in tolerandis quam in inferendis injuriis, & christianam militiam non in hujus sæculi voluptate consistere. Inde (II) Episcopus pacem impertitur confirmato,

(*a*) Conc. V. Mediol. sub S. Carolo.
(*b*) Can. CI. D. 4. de Consecr.
(*c*) Espen. part. 2. tit. 3. cap. 3. n. 14.
(*d*) Conc. V. Mediolan.
(*e*) Trident. sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 2.

to, statimque preces fundit, quibus Deum exorat, ut gratiam in confirmato jugiter conservet. Quo vero chrismati suus staret honos, mos fuit (III) confirmatorum frontes *blandellis*, hoc est vittis lineis, circumligare, quas septimo, inde tertio à Confirmatione die deponere solebant; & simul frontes chrismate inunctæ sale & aqua lavabantur (*a*). Sed jam in multis Ecclesiis vittarum usus omnino desuevit, & satis visum, frontes bombyce diligenter abstergi.

CAPUT XI.

De institutione & materia & forma Eucharistiæ.

Definitio & institútio Eucharistiæ.

§. I. *Eucharistia* Græcum nomen est, & proprie gratiarum actionem denotat: at frequentiori apud christianos usu est Sacramentum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem fidelium refectionem & intimam communionem institutum. Usurpatum est hoc sensu verbum Eucharistia, quod Christus hoc Sacramentum instituens, Deo Patri gratias egit (*b*), & deinceps Ecclesia tanti mysterii recolens memoriam, semper Deo gratias agere consuevit. Instituit autem Christus corporis & sanguinis sui Sacramentum, postquam ultimum Pascha cum discipulis suis de more Judæorum celebravit. Impleturus promissionem, quam antea discipulis suis fecerat, se daturum carnem & sanguinem suum in cibum & potum spiritualem (*c*), tandem pridie quam pateretur, Eucharistiæ instituit Sacramentum. Etenim sacro Paschatis convivio, quod de more celebravit, mensas veluti secundas addidit, in quibus panem & vinum in corpus & sanguinem suum convertit, statimque panem fregit, & Apostolis dedit, itemque illis calicem ebibendum præbuit, & demum præcepit, ut idem in sui memoriam ipsi facerent (*d*). Interim passim tradunt viri docti, Jesum Christum more judaico seipsum accommodasse. Nempe Judæi sacris conviviis, quæ in diebus festis celebrabant, addebant mensas secundas, quæ ex pane & vino constabant, inde gratias Deo agebant, quod creasset panem ex terra & fructum vitis, quibus omnibus accedebat historiæ, quæ diei responderet, grata commemoratio (*e*). Ut verum sit, Jesum Christum mores judaicos expressisse, loco tamen panis & mystici vini sacratiores secundas mensas adhibuit, nempe panem & con-

(*a*) Confer. Sambov. de Sacram. Confirm. disp. 9. art. 3.
(*b*) Matth. XXVI. v. 27., Marci XIV. v. 23.
(*c*) Joan. VI. v. 32. & seq.
(*d*) Mtth. loc. cit. v. 26. & seqq., Luc. XXII. 17. & seqq.
(*e*) Confer. Scaliger. lib. 4. de Emendat. tempor. & Grotius dissert. de Cœn. administrat. ubi pastores non sunt.

consuetum vinum in suum corpus & sanguinem transmutavit, ut inde cœlesti cibo christiani alerentur.

Panis & vinum materia Eucharistiæ.

§. II. Elementa autem, unde conficitur Eucharistia, sunt panis & vinum; panis autem nomine venit panis communis & triticeus, vini vero vinum ex uvis expressum. Christus enim panem & vinum consecravit, voluitque, ut in iisdem elementis tantum mysterium deinceps Ecclesia celebraret (*a*). Et panem quidem aperte Christus ipse memoravit, vinum nomine *calicis* expressit: nec erat necesse, ut vinum aperte nominaret; recepti enim & notorii apud Judæos mores erant, ut peracta cœna principali panis & vinum accumbentibus præberentur (*b*): quem morem servavit & sanctiorem Christus effecit. Et quamvis aquæ potus in Oriente etiam usitatus esset, id tamen ad convivia sacra Judæorum, & præsertim ad festum Paschatis, extendi non potest. Deinde constanti traditione semper pro certo habitum fuit, Christum vinum benedixisse. In ipso quidem convivio dixit Christus, se amplius non bibiturum de fructu vitis, donec regnum Dei veniat; at vinum hoc ex distincta Lucæ enarratione (*c*) potius ad paschalem calicem, quem Christus initio convivii suis discipulis præbuit, quam ad Eucharistiam in fine convivii celebratam, pertinere videtur. Quæ quum ita sint, Sacramenti naturam immutarunt Artotyritæ, qui pani caseum adjungebant (*d*), & Encratitæ, qui loco vini meram aquam in Eucharistia consecrabant (*e*), & hinc *Hydroparastatæ* & *Aquarii* dicti sunt. Encratitæ autem in aqua mysteria celebrabant, quod obtentu abstinentiæ nec vinum bibebant, nec animatis vescebantur (*f*): sed tempore Cypriani aliud genus Aquariorum prodiit, qui vini usum tanquam illicitum non respuebant, sed in conventibus matutinis, ne vini odore ab ethnicis proderentur, aquam consecrabant (*g*).

Qualitas panis eucharistici.

§. III. Panis autem ex tritico confectus, sive azymus, sive fermentatus sit, apta semper ad Sacramentum materia est. Interim Latini in azymis, Græci vero & reliqui Orientales in fermentato Eucharistiam conficiunt. Ex Orientalibus Maronitæ & Armeni etiam in azymis consecrant, sed Armeni id faciunt ad suam doctrinam de unitate naturæ Christi confirmandam (*h*). Usum Ecclesiæ suæ singuli te-

(*a*) Luc. XXII. 19., 1. Cor. XI. 24.
(*b*) Confer. Antonius Bynæus de Morte Jesu Christi lib. 1. cap. 8.
(*c*) Luc. loc. cit. 18
(*d*) Epiphan. hæres. 49. n. 2.
(*e*) Epiph. hæres. 46.
(*f*) Theodoret. de Fabul. hæretic. lib. 1. cap. 20.
(*g*) Confer. Cyprian. ep. LXIII. ad Cæcil.
(*h*) Confer. Petrus le Brun. diss. X. de Armenor. liturgia art. 12.

tenere debent, & qui aliter faciunt, violatæ ecclesiasticæ disciplinæ rei sunt (*a*). Et profecto odio potius in Ecclesiam latinam, quam ex rei veritate sæculo XI. Michael Cerularius, Leo Acridanus aliique Græcorum contendebant, nullam esse Latinorum, quos per ludibrium *azymitas* appellabant, consecrationem (*b*). Nihil enim ea in re Latini peccabant, panem azymum adhibentes, quem Christus prima die azymorum Eucharistiam instituens, usurpavit, toto enim Paschatis tempore nefas erat Judæis panem fermentatum domi habere (*c*). Et quamvis Græci, imo & Latinorum nonnulli contendant, Christum legalis cœnæ diem antevertisse, & decimatertia luna Pascha celebrasse, quo die Judæi utebantur fermentato; communior tamen & vera & trium Evangelistarum calculis confirmata sententia est, Christum prima die azymorum Pascha comedisse, & post esum agni Eucharistiam in azymo consecrasse (*d*). Nec Latini in azymis sacra mysteria facientes, cum Judæis communicant, aut judaismi rei sunt, nam azymis utuntur, non quod Moses ea præceperit, sed ad Christi exemplum, & quia id habet Ecclesiæ latinæ disciplina.

An apud Latinos azyma semper usurpata?

§. IV. Fermentati panis usus apud Græcos est antiquissimus (*e*); sed an Ecclesia latina panem azymum, vel fermentatum olim adhibuerit, quæstio est obscura & perdifficilis. Ut nihil de scholasticis dicam, vir summus Jac. Sirmondus multis contendit, fermenti usum octingentis & amplius annis generatim in Ecclesia obtinuisse, apud Latinos vero recepta fuisse azyma eo intervallo, quod à schismate Photii usque ad turbas Michaelis Cerularii effluxit (*f*). Contra Christianus Lupus & Jo. Mabillonius (*g*) perpetuum ab apostolicis temporibus in Ecclesia latina azymorum usum fuisse contendunt. Medius inter has sententias Cardinalis Bona (*h*) opinatur, Latinos per novem plus minus sæcula fermentum consecrasse, sed azymum non respuisse. In tanta virorum doctissimorum discrepantia, illud videtur exploratum, fermenti usum in Ecclesia latina olim fuisse receptissimum. Sane elementa ad Eucharistiam fere ab oblationibus populi sumebantur: populus autem communem & usitatum panem ad altare offerebat. Veteres quoque Patres in primis Tertullianus & auctor libri de Sacramentis, qui sub Ambrosii nomi-

(*a*) Juenin. de Sacram. diss. IV. q. 2. cap. 1. art. 4. §. 3.
(*b*) Michael Cerular. ep. ad Jo. Tranens. & ep. ad Petrum P. Antioch.
(*c*) Exod. XII. 15., Levit. XXIII. 6.
(*d*) Confer. Sigon. de Republi. Hebræor. lib. 3. cap. 9. & N. Alexander diss. XI. in XI. & XII. sæcul
(*e*) Confer. N. Alexander cit. diss. art. 3.
(*f*) Sirmond. Disquis. de azymo.
(*g*) Lup. diss. de Act. S. Leonis IX. cap. 7. & seqq. tom. 4. oper. E. V., Mabillon. præf. ad sæcul. III. Benedict. & diss. de Pane eucharistico azymo & fermentato.
(*h*) Bona lib. 1. de R. L. cap. 23.

mine delitescit (*a*), tanquam communem & fermentatum eucharisticum panem describere videntur. Præterea Innocentius I. summus Pontifex Eucharistiam *fermentum* (*b*) appellat, quod plane arguit Ecclesiam latinam sacra mysteria in fermentato pane celebrasse. Et quamvis primis septem aut octo sæculis fortasse Ecclesia latina etiam aliquando azymum adhibuerit; tamen id apertis monumentis non probatur; argumenta enim omnia Lupi & Mabillonii meræ sunt conjecturæ. Nec Christi exemplum, qui in azymis consecravit, Latinos movere poterat; nam Christus id fecit, quod ultimæ cœnæ tempus alium panem non suppeditabat. Sed tandem octava fortasse sæculo cœperunt Latini azymum adhibere: qui usus sensim crevit, jamque medio sæculo XI. Latini omnes azymis consecrabant. Causa vero mutationis videtur repetenda à desueta christianorum frequenti communione: populo enim frequenter non communicante, exigua panis quantitas ad Eucharistiam sufficiebat; cumque alicubi populus vel panem non offerret, vel minus aptum ad sacrificium, sensim panis eucharistici conficiendi cura ad Clericos delata est. Et quia azymus panis facilius parabatur, nec ullo Canone vetitus erat, imo idem ipse erat, quo Christus celebraverat, facile fermenti loco fuit subditus, & per omnes latinas Ecclesias passim receptus (*c*).

Figura panis eucharistici.

§. V. Primis sæculis, ubi in christianos ethnici insæviebant, panem cujuscumque conditionis & figuræ, qualis præsto erat, Ecclesia in sacris mysteriis videtur consecrasse. Sed post pacem Ecclesiæ datam panis figuræ rotundæ in utraque Ecclesia adhibitus est, Epiphanius enim & Cæsarius Nazianzeni frater *rotundum* panem eucharisticum appellant (*d*): & Gregorius M. *oblationum coronas*, & Iso monachus (*e*) *rotulas panis* dicunt. Ipse Christus placentam rotundam & tenuem, qualem Judæi in Paschatis usum conficiebant, videtur usurpasse: nec enim à receptis moribus discessit. Nunc Græci rotundum vel quadratum panem consecrant. Nullo vero studio primum panis ad Eucharistiam parabatur, sed ex nitidioribus panibus, quos christiani ad altare offerebant, desumebatur: sed inde, quod tantum mysterium postulare videbatur, in ejus confectione studium cœpit adhiberi. *Ut non aliter*, inquiunt Patres Concilii Toletani XVI. (*f*), *panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, & qui ex studio*

(*a*) Tertull. lib. 2. ad Uxor. cap 5., Amb. lib. 4. de Sacram. cap. 4.
(*b*) Innocent. ep. ad Decent. cap. 5.
(*c*) Conf. Bon. loc. cit. §. 18.
(*d*) Epiph. Anchorat. n. 57., Cæsar. dial. III. q. 169.
(*e*) Gregor. M. Dialog. lib. 4. cap. 55., Iso de Mirac. S. Othmari cap. 3.
(*f*) Conc. Tolet. XVI. Can. VI.

dio fuerit præparatus. Summa in primis cura & pietate panem eucharisticum monachi parabant; nec defuerunt viri pii etiam ex Principibus, qui studium & religionem suam ea in re posuerunt (*a*). Et quo primum tempore oblatæ studio præparatæ sunt, characteres, qui Christum repræsentarent, iis impressi videntur, quamvis in omnibus Ecclesiis & temporibus iidem non fuerint. Oblatæ in azymis in primis expressam habuerunt imaginem Christi crucifixi, vel ad columnam adligati, vel è sepulchro resurgentis, quas Aloysius Novarinus profert (*b*). Erat autem panis congruæ magnitudinis & crassitiei, etiam postquam apud Latinos azymus invaluerat; sed post sæculi XI. medium oblatæ in formam tenuissimam, quæ denarii formam adhiberet, abierunt, quod passim viri docti observant (*c*). Ea vero ratione oblatæ ad instar denarii redactæ videntur, ut nummos, pro quibus Christus traditus est, possent exhibere.

Quot panes consecrantur.

§. VI. Unus autem panis in sacris mysteriis consecrabatur, qui ejus erat magnitudinis, ut ex eo communicantes omnes participarent. Scilicet ad Christi servatoris imitationem & ejus passionem exprimendam Ecclesia in veteri disciplina panem consecratum fregit (*d*), ut de illo christiani manducarent. Sed inde in Ecclesia latina plures oblatæ cœperunt consecrari, grandior una pro Sacerdote, minores aliæ pro reliquis communicantibus, quæ una cum majore oblata consecrantur, & integræ singulis prorriguntur: & quamvis non amplius unius majoris panis partes sint, adhuc tamen *particulæ* audiunt; solent enim antiqua nomina etiam post res mutatas superesse. Cœpit apud Latinos mutatio disciplinæ, postquam oblatæ in denarii formam abierunt, fortasse ea ratione ne pluribus institutis fractionibus aliquæ particulæ perirent. Interim etsi apud Latinos de uno pane fideles non participant; adhuc tamen Ecclesia latina majorem oblationem in tres partes frangit, quarum una minor calici admiscetur, reliquas duas ipse Sacerdos manducat. Græci autem & reliqui orientales in quatuor partes, & Mozarabes in novem Christi corpus dividunt. Atque hæc in tres partes apud Latinos fractio, satis est ad Christi passionem adumbrandam; nec enim ad vim Sacramenti pertinet fractio, ut inde communicantes participent.

Vino aqua est admiscenda.

§. VII. Vinum autem in sacris mysteriis non purum sed aqua mistum oportet offerri: quæ admistio quamvis in Scripturis non exprimatur, constanti tamen traditione nititur (*e*). Et hinc Irenæus vi-

(*a*) Conf Bona lib. 1. R. L. cap. 23. n. 20.
(*b*) Aloys. Novarin. de Agno Eucharist. cap. 69.
(*c*) Conf. Bona loc. cit. n. 19.
(*d*) Bona lib 2. R. L. cap. 15. n. 3.
(*e*) Conf. Petrus le Brun. dissert. 10. de Armenor. liturg. art. 12.

vinum dixit *temperamentum calicis* (*a*). Imo docent Patres id esse ab exemplo Christi, qui vinum aqua mistum præbuit (*b*): quæ doctrina vera est. Id enim & vini & cæli natura & mores Judæorum postulabant (*c*): nec veri speciem habet, Christum hominum temperatissimum à receptis moribus abiisse. Ex antiquis tantum Armeni in solo vino sacra mysteria celebrarunt, idque ut suam doctrinam de una in Christo natura constabilirent, eosque damnarunt Trullani Patres (*d*), qui deponendos jusserunt Sacerdotes, qui merum vinum offerrent. Significat autem auctore Cypriano aqua vino admista fidelem populum Christo, quem vinum repræsentat, unitum & adunatum (*e*). Sed alii Patres in primis Gennadius (*f*) aquam vino admisceri scribunt, quod ex Christi latere lancea percusso sanguis & aqua effluxerit. Fortasse ejusmodi mysteria lapsu temporis excogitata sunt, temperatum vero calicem ab initio Ecclesia consecravit, quod Christus eo usus sit. Num vero aqua in Christi sanguinem transmutetur, scholastici disputarunt (*g*); sed verius est, mistum calicem in Christi sanguinem converti, quæ sententia antiquis Patribus & ipsius Eucharistiæ institutioni conformior est (*h*); Christus enim vinum consuetum, hoc est aqua mistum, videtur obtulisse; ac proinde mistus calix in sanguinem convertitur: & propterea non videtur admittenda sententia Thomistarum, aquam prius in vinum converti, inde in sanguinem (*i*); ut mittam, quod bonæ philosophiæ repugnant substantiales rerum mutationes. Modicum autem aquæ ex nova disciplina admiscendum est; veteres enim ea de re non adeo scrupolosi videntur fuisse, constat enim ex Concilio Triburiensi (*k*) duabus vini partibus unam aquæ admistam fuisse. Et fortasse postquam in scholis audiri cœpit, aquam prius in vinum converti & inde in sanguinem, majori studio cautum est, ut modicum aquæ vino admisceatur, quod etiam N. Alexander observat (*l*): præsertim quando præsto fuit mystica ratio, quæ modicum aquæ temperamentum suaderet, quod nempe decebat Christum apertius significari. Interim quamvis grave crimen sit, si vino aqua non admisceatur, tamen valida est sine aqua mysteriorum celebratio: quod passim omnes docent; exemplum enim Christi veluti præceptum non habent.

Con-

(*a*) Iræn. lib. 4. contra hæres. cap. 57.
(*b*) Cyprian. ep. LXIII. ad Cæcil., Conc. Carth. III. Can. XXIV.
(*c*) Conf. Vossius Harm. evangel. lib. 2. cap. 15. & Grotius in Matth. cap. 26.
(*d*) Conc. Trullan. Can. XXXII.
(*e*) Cyprian. epist. cit.
(*f*) Gennad. de Eccles. dogm. cap. 75.
(*g*) Conf. Juenin. de Sacram. diss. 4. q. 2. cap. 2. art. 4.
(*h*) Drouven. de Re Sacram. lib. 4. q. 2. cap. 3. §. 4.
(*i*) Drouven loc. cit.
(*k*) Conc. Tribur. Can. XIX.
(*l*) N. Alexand. Theol. dogm. & mor. lib. 2. de Sacram. Euch. cap. 1. art. 3. reg. 15.

Communior sententia de forma Eucharistiæ.

§. VIII. Jam vero quod spectat ad verba, quibus elementa panis & vini consecrantur, non una & concors est omnium sententia. Vulgatum est & passim in scholis receptum, verba quibus consecratur panis, esse, *hoc est corpus meum*, & quibus consecratur vinum, *hic est calix sanguinis mei*, vel *hic est sanguis meus*. Et secundum hanc communem sententiam Eugenius IV. in decreto ad institutionem Armenorum docet, Eucharistiæ formam esse verba ipsa Jesu Christi, quibus hoc confecit Sacramentum. Ipsi Græci in Concilio Florentino professi sunt, verbis dominicis elementa in Christi corpus & sanguinem transmutari; preces vero, quibus post verba Domini ad dona transmutanda Spiritum sanctum invocant, non elementorum consecrationem spectare, sed Sacramenti effectum, ut non fiat in judicium, & condemnationem. Ex veteribus Patribus non desunt, qui vim consecrationis Eucharistiæ in solis Christi verbis posuerunt. *Acceptum panem*, inquit de Christo Tertullianus (*a*), *& distributum discipulis, corpus illum suum fecit, dicendo, hoc est corpus meum.* Et auctor libri de Sacramentis sub nomine Ambrosii (*b*): *Panis antequam consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi.* Similiter Gregorius Nazianzenus (*c*), *inter sermones de carne præcipui sunt illi Christi: hoc est corpus meum, illisque prolatis à Sacerdote, qui non credit verum corpus Christi, sine dubio fidem derogat.* Et Chrysostomus (*d*), *Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia, hoc est, ait, corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur.* Constat quoque ex Epiphanio, verba ipsa Servatoris veluti stata & solemnia habita fuisse, quibus Eucharistia consecraretur: etenim apud catechumenos verba faciens, noluit dicere, *hic panis corpus meum est*, *hoc vinum sanguis meus est*, *sed hoc meum est*, *hoc & hoc*, qua aposiopesi initiatis suam sententiam, non vero catechumenis aperuit (*e*). Interim verba ista solemnia, quibus vis adscribitur consecrationis, non eodem modo in liturgiis exhibentur, sed alibi ampliora, alibi strictiora (*f*); additiones autem & detractiones sensum non mutant.

Sententia Petri le Brun de forma Eucharistiæ.

§. IX. Communis quidem est doctrina, quæ solis Jesu Christi verbis tribuit consecrationis elementorum virtutem, at non desunt alii, qui abeunt in diversa. Ex Græcis Nicolaus Cabasilas & Mar-

cus

(*a*) Tertull. lib. 4. advers. Marcion. cap. 40.
(*b*) Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 5.
(*c*) Nazianz orat. 2. de Paschate.
(*d*) Chrysost. hom. de Prodit. Judæ.
(*e*) Epiphan. Anchorati n. 57.
(*f*) Conf. Bona lib. 2. Rer. liturgic. cap. 13. n. 3.

cus Ephesiorum antistes tenent, Eucharistiam precibus, quibus Deum orant Sacerdotes, ut elementa transmutet, consecrari. Immo inter scholasticos Ambrosius Chaterinus & Christophorus de Capite fontium peculiaribus operibus Eucharistiam confici benedictione docuerunt. Celebris vero in primis est sententia illa, quæ ad vim eucharisticæ consecrationis & verba Christi & orationem ad transmutanda elementa facit necessariam: quam sententiam Petrus le Brun (*a*) & Antonius Augustinus Touttée magno Patrum apparatu propugnarunt. Et sane Jesus Christus dum Eucharistiam instituit, voluit, ut idem, quod ipse fecerat, deinceps Ecclesia faceret, quoties ejus rei recoleret memoriam (*b*): itaque præter Christi verba etiam benedictio ad vim consecrationis videtur necessaria: Christus enim acceptum panem benedixit. Benedictio autem, quam in rebus consecrandis Ecclesiæ Ministris præstare licet, non alia profecto est, quam oratio ad Deum, ut res consecrandas occupet & sanctificet. Institutioni consonant liturgiæ omnes orientales & occidentales, quæ ante vel post Christi verba in consecranda Eucharistia preces recitari jubent, quibus ad dona transmutanda divina virtus invocatur. Porro veteres Patres Irenæus, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, aliique, quorum verba le Brun congessit, precibus Eucharistiæ consecrationem tribuunt. Origenes vero Dei verbo adjungit invocationem (*c*): *Sanctificatur* panis *per verbum Dei perque obsecrationem.* Et Gregorius Nyssenus Basilii frater (*d*), *panis sanctificatur per verbum & orationem.*

Utriusque sententiæ judicium.

§. X. Utraque sententia & quæ solis Christi verbis, & quæ Christi verbis & precibus vim eucharisticæ consecrationis tribuit, sua habet gravia momenta, nec pertinet ad fidem. Et male profecto faciunt quotquot tanquam fidei dogma proponunt & inculcant, Eucharistiam solis verbis Christi consecrari. Sane nec antiquiora Concilia, nec Tridentinum aliquid ea de re definierunt, quamvis non defuerint, qui apud Tridentinos Patres postularint, ut veluti fidei dogma definiretur, Eucharistiam solis Christi verbis consecrari, quod Salmeron testatur (*e*). Et si Eugenius IV. tradit formam Eucharistiæ esse verba Christi, non id veluti Ecclesiæ sententiam proposuit. Toties enim observarunt viri docti, Eugenium Decreto ad Armenos instituendos non proposuisse veras Sacramentorum materias & formas, sed tantum peculiares Latinorum ritus, ut orientales ad eos

(*a*) Petrus le Brun diss. X. de Armenor. liturg. art. 17. q. 2.
(*b*) Luc. XXII. 19.
(*c*) Orig. in Matth XV.
(*d*) Nyss. Orat. catech. cap. 37.
(*e*) Ap. Sambov. tom. 3. cas. 10.

eos recipiendos excitarentur. Interim tutius esse judico, ut Sacerdotes in faciendis divinis mysteriis summa pietate etiam preces recitent; nam sententia, quæ etiam preces ad vim consecrationis requirit, Eucharistiæ institutioni & antiquis Patribus conformior est. Imo aperte Basilius (*a*) tradere videtur, ad Eucharistiam præter Christi verba aliquid amplius requiri: docet enim in mysteriis eucharisticis ante & post Christi verba multas alias preces recitari, quæ magni ponderis ad consecrationem habebantur: *Verba invocationis* (sive *precationis*), *quum consecratur panis Eucharistiæ, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Non enim contenti sumus, quorum Apostolus & Evangelium mentionem fecerunt, sed alia quoque quum antea, tum post dicimus, utpote quæ magnum momentum ad ipsum mysterium habeant, doctrina non scripta, sed tradita eruditi.* Et si Patres aliquando verbis Christi vim consecrationis tribuant, id faciunt non ad excludendas preces, sed natura conjunctorum: brevitatis enim causa solent scriptores unum ex conjunctis exprimere, alterum, quod res est notissima, reticere.

Qui pronuntiantur verba consecrationis.

§. XI. Mystica autem consecrationis verba in utraque Ecclesia olim clara voce pronunciata sunt, quod Habertus, Cardinalis Bona, Grancolasius aliique docent (*b*). Sane populus, ubi consecrata erant elementa, *amen* respondebat (*c*), quod plane demonstrat, elata voce, quæ à populo exaudiretur, Eucharistiam fuisse consecratam. Et Dionysius Alexandrinus aperte dicit (*d*), adstantes gratiarum actionem audisse, & *amen* respondisse. Justinianus quoque edita constitutione edixit (*e*), ne Episcopi & Presbyteri *in secreto, sed cum ea voce, quæ à fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem & precationem, quæ fit in sancto Baptismate*, faciant, ut inde audientium animi in majorem devotionem & Dei laudationem efferantur. Qua constitutione potius pristinam Patrum disciplinam probavit, quam aliquid de novo Justinianus edixit. Preseverat adhuc mos iste in Ecclesia orientali, sed in latina jam ab octavo sæculo submissa voce consecrationis verba pronunciantur, quod ex Alcuino constat, qui ejus mutationis causam hanc assignat, *ne verba tam sancta atque ad tantum mysterium pertinentia vilescerent.* Nimirum ea ætate non amplius silentii lege adstringebantur fideles, atque ita passim in plateis & vicis (quod nefas erat) sacrosancta verba decantabant (*f*). Quæ quum ita sint, minus recte post P. de Marca alibi scripsi,

(*a*) Basil. de Spiritu sancto cap. 27.
(*b*) Habert. archierat. part. 8. observ. 9., Card. Bona lib. 2. de R. L. cap. 13. n. 1. Grancolas. l' Ancien sacramentaire part. 1. pag. 628. & seqq.
(*c*) Tertull. de Spectac. cap. 25. Ambros. lib. de Iis, qui initiantur.
(*d*) Dionys. Alexand. ap. Euseb. lib. 7. cap. 9.
(*e*) Novell. CXXXVII. cap. 6.
(*f*) Innocent. III. de Myster. lib. 3. cap. 1.

si (*a*), antiquum Ecclesiæ morem Justinianum sollicitasse, dum verba consecrationis elata voce edixit proferenda. Contendit quidem Petrus le Brun magno argumentorum apparatu etiam in veteri disciplina mystica consecrationis verba secreto fuisse pronunciata; ejusque omnia fere argumenta ex arcani disciplina desumta sunt. Sed arcani disciplina ethnicis & catechumenis, non christianis, divina mysteria & mystica verba celabat.

Eucharistia est Sacramentum.

§. XII. Est autem Eucharistia verum christianæ religionis Sacramentum, in quo etiam Lutherani & Calviniani conveniunt. Scilicet Eucharistia sub signo sensibili ex Christi institutione Spiritus sancti gratiam elargitur: *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et quamvis duplici elemento & duplici formula constet, unum tamen non duplex Sacramentum constituit; unitas enim Sacramentorum novæ legis non à ritus, vel partium unitate, sed potius ab unitate finis æstimatur; spectant autem ambo Eucharistiæ elementa spiritualem animæ refectionem: ob quam eandem rationem ordines omnes, quod ad unum sacerdotium tendant, unum Sacramentum constituunt, quamvis proprio ritu singuli conferantur. Interim si elementa panis & vini per se spectentur, duplex Sacramentum Eucharistia dici potest: quo sensu Gelasius Papa (*b*) *Sacramenta* sacri corporis & sacri cruoris dixit, quo loquendi genere in collecta pro vivis & defunctis etiam hodie Ecclesia utitur.

Vera Christi præsentia in Eucharistia.

§. XIII. In eo autem præ reliquis Sacramentis eminet Eucharistia, quod illa vim sanctificandi non habent, nisi momento ipso, quo administrantur, hæc autem ipsum gratiarum uberrimum fontem & largitorem Christum Jesum continet. Et hinc ab antiquis Patribus vocatur *panis angelorum*, *panis vitæ*, *corpus Domini* & *Sacramentum Sacramentorum.* Nempe certissima Ecclesiæ catholicæ doctrina est, sub speciebus panis & vini verum Christi corpus & sanguinem contineri, eamque consecrationis vim esse, ut in corpus & sanguinem Christi elementa convertat, quo recepto, sed Patribus ignoto vocabulo, *transubstantiatio* dicitur. Contra Lutherani una cum Christo verum panem & vinum in Eucharistia reliquum profitentur: Calviniani vero contendunt, Christum non reipsa, sed figura in Eucharistia præsentem esse, ita nempe ut panis & vinum tantum typus & symbolum corporis & sanguinis Christi sint. Ecclesiæ catholicæ fidem theologi in primis Arnaldus, Bellarminus & N. Alexander multis adstruunt confirmantque. Sane verba Christi aper-

(*a*) Proleg. cap. 3. §. 9.
(*b*) Can. XII. de Consec. D. 2.

apertissime testantur, in Eucharistia verum Christi corpus & sanguinem contineri, nec cavillationibus suis Calviniani clarissimam sententiam eludent (*a*), præsertim quando antiqui Ecclesiæ Patres semper professi sunt, in Eucharistia Christum ipsum contineri. Ex qua Ecclesiæ doctrina primis sæculis infanticidia, anthropophagia & cœnæ Thyesteæ christianis objecta sunt, nec recte Dallæus id factum hariolatur ex Carpocratianorum aliorumque hæreticorum nefariis sacris. Ad hæc, omnes orientales Ecclesiæ, quamvis ab Ecclesia Romana sejunctæ, & variis erroribus contaminatæ, in causa tamen Eucharistiæ constanter tenent, in ea verum corpus & sanguinem Christi contineri (*b*). Ergo res ipsa semper in Ecclesia agnita fuit, nec ex novitate vocis *transubstantiationis* recte concluditur, rem eo nomine expressam antiquis Patribus incognitam fuisse. Quid quod Tertullianus in causa Eucharistiæ *transelementari* vocem usurpat? Sed hæc pertinent ad theologos.

Adoratio Eucharistiæ.

§. XIV. Quando autem sub speciebus panis & vini verus ipse Christus præsens latet, sponte sua consequitur, Eucharistiam cultu religioso, qui Deo debetur, esse adorandam, quæ est antiqua Ecclesiæ doctrina (*c*) à Patribus Tridentinis confirmata (*d*). Sane affirmat Ambrosius, *carnem Christi in mysteriis adorari*, quam Apostoli in Domino Jesu adoraverunt (*e*). Et Augustinus: *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit* (*f*). Similiter Chrysostomus (*g*) affirmat, angelos tremendo sacrificio adesse, & circa divinam mensam cum reverentia adstare. Et Cyrillus Hierosolymitanus præscribit (*h*), ut Eucharistia reficiendus *pronus & adorationis in modum* accedat. Nihil quidem de adoranda Eucharistia Christus edixit: at id non erat necessarium, sponte sua enim sequebatur adoratio ex doctrina, qua Christus ipse in Eucharistia continetur: sat fuit Christo dixisse, in Eucharistia suum corpus & sanguinem esse, ut eam adorandam Apostoli intelligerent. Quapropter violatæ in Christum religionis rei sunt protestantes, qui Eucharistiæ adorationem veluti idolatriam traducunt: in primis vero eo nomine peccarunt Joannes Dallæus & Daniel Whitby, qui à veteribus adoratam Eucharistiam, aut adorari posse peculiaribus operibus pernegarunt. Et bene est, quod Dallæum peculiari opere Jac. Boileau theologus Parisiensis confutavit. Id interim verum est, Eucharistiæ cultum in nova discipli-na

(*a*) Conf. Grancolasius l' Ancien Sacramentaire part. II.
(*b*) Conf. Juenin. de Sacram. diss. IV. quæst. 4. cap. 1. art. 5.
(*c*) Conf. Grancolas. l' Ancien Sacramentaire part. I. p. 158. & seqq.
(*d*) Trid. sess. XIII. cap. 5.
(*e*) Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto c. 12.
(*f*) Aug. enarrat. in Psalm. XCVIII.
(*g*) Chrysost. lib. 4. de Sacerd. cap. 4.
(*h*) Cyril. catech. 5.

na evasisse augustiorem (quod omnino decebat postquam hæretici cœperunt blasphemias suas in sanctum Sacramentum effutire) etenim peculiare corporis Christi festum institutum est; Eucharistia solemni ritu conspicua per plateas circumfertur; & in Ecclesia exponitur ad adorationem: quæ omnia antiquis Patribus ignota sunt. Confer. Jo. Baptista Thiersius *de Expositione venerabilis*, & Grancolasius *in antiquo Sacramentario part. I. p. 212. & seqq.*

CAPUT XII.

De Ministro Sacramenti Eucharistiæ.

Solus Sacerdos Minister conficiendæ Eucharistiæ.

§. I. Munus Ministri, qui sacram cœnam administrat, duabus partibus absolvitur, elementorum sacrorum consecratione & eorum dispensatione. Et quod spectat Eucharistiæ confectionem, certi juris est, solos proprie sic dictos Sacerdotes posse Eucharistiam consecrare, adeo ut si quis non Sacerdos consecrationem attentet, nullius efficaciæ & virtutis sint prolata verba. Sane dum Servator Eucharistiam instituit, ejus conficiendæ potestatem tantum Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus concessit, *hoc facite in meam commemorationem* (a). Et deinde constans est antiquitatis sententia, quæ tantum Sacerdotibus Eucharistiæ conficiendæ facit potestatem. Nicæni Patres (b) præter regulam esse docent, ut Diaconi, *qui offerendi sacrificium non habent potestatem, his, qui offerunt, corpus Christi porrigant.* Et Concilium Arelatense I. (c) castigat Diaconorum audaciam, qui in aliquibus locis consecrandi potestatem usurpaverant. Similiter Hieronymus (d) docet, solos Presbyteros suis precibus corpus & sanguinem Christi conficere. Et Hilarius affirmat sacrificium sive consecrationem sine Presbytero esse non posse, *sacrificii opus sine Presbytero esse non potuit* (e). Idem & cæterorum Patrum testimoniis passim adstruunt (f), adeo ut certissimum sit, solos Sacerdotes Eucharistiæ conficiendæ Ministros esse. Hujus rei ratio est, quod Eucharistia verum christianorum sacrificium & præcipuum christiani Sacerdotii officium est, proinde ubi verum Sacerdotium non est, nec Eucharistia esse potest. Hinc tempore persecutionis christiani à Sacerdotibus consecratam Eucharistiam accipiebant, eamque domum deferebant, ut quotidie possent communicare.

Lai-

(a) Luc. XXII 19.
(b) Conc. Nicæn. Can. XVIII.
(c) Conc. Arelat. I. Can. XV.
(d) Hieronym. ep. LXXXV. ad Evagr.
(e) Hilar. in fragm.
(f) Conf. Drouven. de Re Sacram. lib. 4. quæst. 4. cap. 1.

Laicis jus non est consecrandæ Eucharistiæ.

§. II. Interim non desunt viri alias doctissimi, qui contra catholicam sententiam, ubi absunt Presbyteri, & necessitas urget, etiam laicis consecrandæ Eucharistiæ tribuunt potestatem: quam sententiam Rigaltius, Grotius, Salmasius sub nomine Vallonis Messalini magnis in speciem argumentis confirmare adgressi sunt. Et Boehmerus (a) conficiendæ Eucharistiæ potestatem ex jure patrisfamilias, cujus erat, inter Judæos convivia sacra parare & dirigere, non ex jure Sacerdotis derivat; & hinc etiam laicis tribuit consecrandi potestatem, ubi Presbyteri non sunt; in sacris vero conventibus solis Presbyteris consecrationem datam affirmat, ad ordinem in Ecclesia conservandum. Tanta laicorum potestas præsertim innititur percelebri Tertulliani loco (b), ubi in necessitate etiam laicos consecrasse innuere videtur. *Nonne & laici Sacerdotes sumus? Scriptum est, regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri fecit. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus; adeo ut ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers & tingis, & Sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres Ecclesia est, licet laici.* Sunt hæc Tertulliani verba intricatissima, quæ multis doctissimorum virorum controversiis causam præbuerunt. Alii Tertullianum erroris accusant, alii eum in catholicum sensum adducere nituntur, alii inde laicis in necessitate tribuunt Eucharistiæ consecrationem. Petavius (c) in primis curavit, ut Tertullianum in catholicum sensum exponeret. Ergo ait, *oblationem*, quam laicis in necessitate Tertullianus tribuit, non esse consecrationem, sed Eucharistiæ distributionem; nec enim in antiquis monumentis oblatio semper consecrationem denotat, sed sæpe etiam distributionem. Scilicet sæpe laici tempore persecutionis Eucharistiam ad domum deferebant, quam ubi legitimus conventus non esset, unus ex laicis ad id delectus præsentibus tribuebat ad publicæ liturgiæ imitationem, idque Tertullianus, interprete Petavio, nomine *oblationis* laicis competentis intelligit. Elegans profecto conjectura; sed Tertulliani verbis parum consentanea; totus enim eo loci est Tertullianus, ut ostendat, laicis sacerdotalia jura convenire, & ab illis, si necessitas postulet, posse exerceri. Quare verius puto, ea in re Tertullianum errasse, aut potius deceptum fuisse: quum & regulis Conciliorum & Patrum antiquissimorum testimoniis constet, solis Presbyteris Eucharistiæ confectionem fuisse concessam, quod etiam Buddeus (d) agnoscit. Errori causam præbuisse videtur sacerdotium laicorum, quod eo usque Tertullianus extulit, ut omnia

ju-

(a) Boehm. diss. IV. ad Plin. & Tertull. §. 22. & seq.
(b) Tertull. de Exhort. cast. cap. 7.
(c) Petav. Diatriba de potest. consecrandi post libros de Eccles. hierarch.
(d) Budd. Inst. theol. dogm. lib. 5. cap. 1. §. 13.

jura sacerdotalia complecteretur, quando erat improprium & certas tantum functiones continebat.

Olim Diaconi Eucharistiam dispensabant.

§. III. Verum enimvero quod spectat Ministrum, qui rite confectam Eucharistiam dispenset, is necessario Sacerdos esse non debet: nec enim dispensatio Eucharistiæ ab ordine sacerdotali necessario dependet. Et quidem in veteri disciplina Diaconi tanquam Episcoporum & Presbyterorum Ministri Eucharistiam populo dispensarunt. Justini martyris ætate corpus & sanguinem Domini in sacris conventibus populo tribuebant, & ad absentes deferebant (*a*): idque in aliquibus Ecclesiis Orientis videtur perdurasse, sed in Occidente deinceps tantum Diaconis datum, sanguinem populo distribuere. *Ubi solemnibus adimpletis*, inquit Cyprianus (*b*), *calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit.* Quo etiam spectat illud Laurentii Diaconi ad Sixtum Episcopum suum (*c*), *cui commisisti dominici sanguinis consecrationem*, hoc est dominicum sanguinem consecratum ad dispensationem. Ergo Presbyteri Eucharistiam corporis tantum videntur distribuisse, Diaconi vero id non faciebant præsentibus Presbyteris, nisi Presbyteri juberent, & urgeret necessitas. *Præsente Presbytero*, inquiunt Patres Concilii IV. Carthaginensis (*d*), *Diaconus Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Offerebant autem Diaconi Eucharistiam tantum populo, nam Presbyteri in utraque Ecclesia eam ab Episcopo aut aliis Presbyteris accipiebant, cumque in aliquibus Ecclesiis sibi usurpassent Diaconi, ut Eucharistiam etiam Presbyteris erogarent, Nicæni Patres id tanquam magnum abusum emendarunt, indignum esse edicentes (*e*), *ut qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent corpus Christi.* Quandiu in Occidente hæc disciplina obtinuerit, incertum est; fortasse sæculo XII. desiit, quando sub una tantum panis specie laici cœperunt uti Eucharistia; superestque antiqui ritus vestigium in Missa solemni, ubi Diaconus simul cum Presbytero calicem, non item panem offert (*f*). Verum ubi necessitas cogit, etiam hodie Diaconi ex Episcopi mandato Eucharistiam dispensant, quod N. Alexander opinatur (*g*).

Olim etiam laici Eucharistiam distribuerunt.

§. IV. Jam vero laici olim extra sacros conventus, ubi legitimi Ministri non essent, rite consecratam Eucharistiam sibi aut aliis administrarunt. Erat Eucharistia cibus spiritualis, quo animæ carere non debebant propter eam solam rationem, quod Presbyter, aut Diaconus abesset. Hinc primis sæculis, quando persecutiones in christianos insæviebant, nec singulis diebus sacra celebrabantur, christiani in domum suam Eucharistiam deferebant, eamque quotidie sibi administrabant, quem morem Tertullianus & Cyprianus aperte supponunt (*a*). Receptus mos in domum deferendæ Eucharistiæ data Ecclesiæ pace non desiit (*b*), sed diu in utraque Ecclesia perseveravit. Concilium Cæsaraugustanum in Hispania circa ann. CCCLXXXI. statuit, ut omnes in Ecclesia Eucharistiam consumerent (*c*), quod statutum est propter Priscillianistas, qui Eucharistia utebantur, ut se inter catholicos occultarent, nec eam comedebant. Sed inde generatim mores mutati sunt, quum enim fere singulis diebus sacra mysteria celebrarentur, nefas visum fuit, laicis eam domum deferre & sibi administrare. Et Concilium Remense eum perversum damnavit morem, quo Presbyteri laicis & feminis dabant Eucharistiam ad infirmos deferendam (*d*). Ergo in præsenti Ecclesiæ Latinæ disciplina ne in necessitate quidem absentibus Presbyteris & Diaconis laici possunt Eucharistiam præbere (*e*): quod mirum videri potest, quando jure divino Eucharistia morientibus, tanquam viaticum, est necessaria. Sed in Oriente adhuc aliquid pristini moris superest, secum enim laici dum peregrinantur, Eucharistiam deferre solent, & in locis Turcarum imperio subjectis eam clam ad ægrotos deferunt, quod Arcudius (*f*) testatur.

(*a*) Just. Mart. apol. 2.
(*b*) Cypr. de Lapsis.
(*c*) Ap. Ambros. lib. 1. de Off. cap. 41.
(*d*) Can. XVIII. D. 94.
(*e*) Conc. Nicæn. Can. XVIII.
(*f*) Bona lib. 2. R. L. cap. 9. n. 5.
(*g*) N. Alexander Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. 4. cap. 4.

Hodie soli Presbyteri Eucharistiam dispensant.

§. V. Itaque in nova disciplina soli Presbyteri Eucharistiam dispensant; sed non omnes æquali potestate: Episcopi enim & Parochi jure proprio & ordinario, reliqui Presbyteri ex Episcopi & Parochorum delegatione id faciunt. Immo in Clementina I. *de Privilegiis* excommunicantur religiosi, qui Clericis aut laicis sine *licentia speciali* Parochorum Eucharistiam administrant. Et id etiam obtinebat, etiamsi religiosi ad audiendas confessiones admissi essent, quod Synodus Moguntina an. CIↃIↃXLIX. declaravit. Scilicet Eucharistia erat, qua præcipue communio inter pastorem & gregem conservabatur, & ita tantundem erat alicui christiano Eucharistiam tribuere, ac eum à communione sui pastoris separare. Sed jam passim obtinet, ut meri Presbyteri & religiosi in Missis, quas celebrant, sine speciali Parochorum venia Eucharistiam dispensent, sic-

(*a*) Tertull. lib. 2. ad Uxor. cap. 5. Cyprian. de Lapsis.
(*b*) Basil. ep. CCLXXXIX., Hieron. ep. L. ad Pammach.
(*c*) Conc. Cæsaraug. Can. III.
(*d*) Can. XII. D. 2. de Consecr.
(*e*) Conf. Juenin. de Sacram. diss. IV. quæst. 5. cap. 2. art. 2.
(*f*) Arcud. lib. 3. de Sacram. Eucharist.

sicque jus Parochorum ad viaticum & paschalem communionem redactum est. Quum enim Eucharistiæ distributio pars sacrificii censeatur, postquam singuli Presbyteri cœperunt Missas privatas, quibus fideles adessent, celebrare, sensim etiam receptum est, ut in iis fideles etiam Eucharistiam sumerent (*a*). Interim hæc promiscua licentia ab omnibus Presbyteris sumendæ Eucharistiæ suis incommodis non caret. Et utinam fideles aliquando intelligant, se tum recte officio suo satisfacturos, quum proprio pastori, in omnibus adhærent. Ecclesia enim est grex pastori suo adhærens.

CAPUT XIII.

De communicantibus.

Justi omnes Eucharistiam sumunt.

§. I. Nomine *communicantium* in re eucharistica veniunt omnes quibus Eucharistiam sumere licet. Nam alias in antiquis monumentis latius patet vox *communionis*, denotatque omnes, qui ab Ecclesiæ corpore separati non essent, quique in solis precibus plus minusque communicarent. Eucharistia semper tanquam cibus spiritualis habita est, quo vita animarum nutritur & fovetur. Quapropter christiani statim ac spiritualem vitam vivere incipiunt, ad Eucharistiam jus consequuntur. Et sane Ecclesia statim à Baptismo & Confirmatione, quæ ut plurimum proxime Baptismum consequebatur, dedit Eucharistiam, ut fideles mystico Christi corpori per aquam adjuncti, re ipsa ipsum Christum etiam reciperent, quo spiritualis vita nutriretur. *Caro abluitur*, inquit Tertullianus (*b*), *caro ungitur, caro corpore & sanguine Domini vescitur*. Itaque christiani omnes, qui spiritu vivunt & justi sunt, jus habent ad Eucharistiam. Nec qui nondum Christo regeneratus est, cibi spiritualis particeps esse potest (*c*). Hinc catechumeni ante oblationem Ecclesia ejiciebantur, quasi indigni qui sacris mysteriis interessent, & de illis participarent. Quod si nondum baptizati casu Eucharistiam suscepissent, continuo erant in fide instituendi & Baptismo initiandi, ne forte ab Ecclesia deficerent, & sacra mysteria profanarent (*d*).

Infantes & amentes ad communionem admissi.

§. II. Nec tantum adulti, verum etiam infantes in Baptismo jus ad Eucharistiam consequuntur. Eucharistia est cibus, qui per se operatur, modo qui manducant, spiritualiter vivant. Ergo olim in utraque Ecclesia infantes statim post Baptismum & Confirmationem, aut post solum Baptismum, & deinceps etiam dum sacra mysteria fierent, ad Eucharistiam admissi (*a*). Quo vero teneræ infantium ætati consuleretur, si necesse erat, iis lac sugere ante communionem permittebatur (*b*). Et si post communionem Eucharistiæ particulæ superessent, mos fuit innocentes pueros accire, iisque extra sacros conventus reliquas particulas manducandas tribuere; quæ disciplina in utraque Ecclesia obtinebat (*c*). Eodem cum infantibus jure amentes censebantur, ac proinde Eucharistiam accipiebant: *amentibus*, inquit Synodus Arausicana I. (*d*), *quæcumque sunt pietatis conferuntur*. Stetit in Occidente infantium communio ad XII. usque sæculum, sed inde sensim desuevit: at apud Græcos ex antiquis moribus adhuc infantes Eucharistiam accipiunt, quod Arcudius (*e*) aliique testantur. Itaque præsentibus Ecclesiæ Latinæ moribus tum pueri admittuntur ad Eucharistiam, quum ea mente & ætate sunt, qua Christi corpus possint dijudicare: quod Episcoporum & Parochorum judicio æstimandum est. Similiter amentes, qui nullum unquam usum rationis habuerunt, præsentibus moribus Eucharistiam non sumunt. Sed infirmi, qui ante petierunt, donantur Eucharistia, etsi tempore communionis delirent, nisi forte periculum vomitus, expuitionis, aut alterius incommodi timeatur, quod post S. Thomam N. Alexander docet (*f*).

Infirmi Eucharistiam sumunt.

§. III. Porro christiani, etiam dum infirmantur, Eucharistiam sumunt, immo divinum præceptum de sumenda Eucharistia in periculosis infirmitatibus præsertim obligat. Eucharistia morientibus data, recepto vocabulo nunc *viaticum* dici solet: quamvis in veteri disciplina ἐφόδιον *viaticum* quidquid morientibus iter in alteram vitam muniebat, denotaret, quod multis docet Albaspinæus (*g*). Datur autem Eucharistia morientibus, etiamsi in peccatis vixerint, nec nisi in infirmitate petant pœnitentiam (*h*): abrogata enim est vetus disciplina, quæ in fine pœnitentiam petentibus, pacem, multo magis Eucharistiam, denegabat. Sumebant olim infirmi quotidie, aut saltem frequenter Eucharistiam: sed inde inductum est, ut in eodem morbo iterum viaticum non detur, nisi ex intervallo, puta post

---

(*a*) Conf. Espen. part. II. tit. 4. cap. 1. num. 22. & seq.
(*b*) Tertull. de Resurrect. carnis cap. 8. Confer. Grancolas. l' Ancien Sacramentaire part. I. pag. 235. & seqq.
(*c*) Aug. lib. 1. de Peccator. merit. cap. 20.
(*d*) Timoth. Alexand. ep. canon. ap. Bevereg., Const. apost. l. 7. c. 25.

(*a*) Conf. Cardinalis Bona lib. 2. R. L. cap. 19. n. 2.
(*b*) Sacrament. Gregor. M. tit. de Sabbato sancto.
(*c*) Gregor. Turonens. lib. 1. de Gloria martyr. cap. 10., Conc. Matisc. II. Can VI. Evagr. lib. 4. Hist. eccles. cap. 35.
(*d*) Conc. Arausic. I. Can. XVIII.
(*e*) Arcud. lib. 3. de Sacram. Euchar. cap. 11.
(*f*) Nat. Alexander Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. de Eucharistia cap. 5. art. 1. prop. 3.
(*g*) Albaspin. lib. 1. Observat. cap. 11.
(*h*) Conc. Carthag. IV. Can. LXXVI.

post octo vel decem dies (*a*). Etiam non jejuni periculoso morbo laborantes donantur Eucharistia; non vero cæteri infirmi, qui pro pietate sua in diuturnis morbis saltem singulis mensibus cælesti pane reficiendi sunt. Quod si morbi gravitas deglutire minime permittat, aut periculum vomitus timeatur, viaticum non debet administrari; quibus casibus ordinationis causa ad infirmos deferre Sacramentum nova disciplina non permittit (*b*). Nulla autem solemnitate olim Eucharistia ad infirmos deferebatur: sed postquam Berengarius blasphemias suas in sanctissimum Sacramentum cœpit effutire, externa pompa & cereis accensis Eucharistia ad infirmos deferri cœpit (*c*), ut eo ritu hæretici confunderentur.

Eucharistia in Ecclesiis conservatur.

§. IV. Primis sæculis christiani infirmi videntur participasse ex Eucharistia, quam vel sani in domum suam deferebant, vel Presbyteri in domo sua in eum finem reservabant. Nonnunquam in privatis ædibus, ubi infirmi erant, ad eos communicandos consecrata est (*d*). Communior autem usus post pacem Ecclesiæ datam fuit, ut in Ecclesiis Eucharistia servaretur (*e*), quæ etiam infirmis communicandis deserviret. Sed non omnes Ecclesiæ eodem loco eam reservabant. Multæ Ecclesiæ asservabant in altari: quo spectat Concilii II. Turonensis Canon, *ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur*. Inde à Prudentio altare dicitur (*f*), *Sacramenti donatrix mensa, eademque custos fida.* Et ad hunc usum sæpe columbæ aureæ argenteæve, quas Græci dicunt περιστερὰς, super altare appendebantur, ut essent sancti Sacramenti receptacula. Hinc Amalario Presbytero Gregorius Turonensis legata refert, *peristerium & columbam argenteam ad repositorium*: quo loco &, ut sæpe alias in monumentis ecclesiasticis, *idest* valet. In aliis Ecclesiis turriculæ quædam mobiles reponendæ Eucharistiæ inserviebant, easque vel prope altare in sacrario, vel in secretario reponebant, unde quum usus esset, ad altare deferebantur (*g*). Moribus præsentibus Latini in pyxide Eucharistiam servant, eamque tabernaculo supra altare extructo includunt: sed Græci Eucharistiam pro infirmis servant pene altare in loco, quem ἀρτοφόριον appellant (*h*). Tantum in Ecclesiis parochialibus in usum infirmorum Eucharistia servatur. Et ne corruptioni sit obnoxia, singulis aut saltem binis

(*a*) Confer. Grancolas. l' Ancien Sacramentaire part. 1. p. 250.
(*b*) Conf. Thiersius de Superst. tom. I. cap. 2.
(*c*) Cap. 10. de Celebr. Missar.
(*d*) Bingh. lib. 15. Orig. Ecclesiast. cap. 4. §. 10.
(*e*) Optat. lib. 2. Chrysost. ep. ad Innocent.
(*f*) Prudent. hymn S. Hyppolyti.
(*g*) Gregor. Turonens. de Glor. martyr. lib. 1. cap. 86. Confer Chardon. Histoire des Sacraments lib. 2. sect. 3. chap. 10.
(*h*) Goarius not. in Euchol.

nis hebdomadis in Ecclesia latina renovanda est, quod edita bulla etiam ab Italo-Græcis Benedictus XIV. servandum edixit (*a*): sed Græci tantum feria quinta sanctioris hebdomadis panem eucharisticum in usum infirmorum renovant, eumque consecratum & sanguine perfusum supposito igne exsicant, ut toto animo incorruptus perseveret: qua de re Goarius & Leo Allatius conferendi.

Occulti peccatores palam petentes sumunt Eucharistiam.

§. V. Semel autem in Baptismo sumendæ Eucharistiæ quæsitum jus, nisi ex publica causa se indignos faciant, christiani non amittunt. Hinc occulti peccatores modo palam petant, Eucharistiam sumunt, nec à sacra mensa repelli possunt; jubet enim charitas, ne christiani infamentur, nec aliis facile offensio creari debet. Ipse Christus Judæ, quamvis indigno, suum corpus & sanguinem in Apostolorum frequentia non negavit. Et primis sæculis quotquot sacræ liturgiæ intererant, etsi clam indigni, Eucharistia utebantur (*b*), exceptis pœnitentibus, qui *consistentes* dicebantur; hi enim, quamvis pace donati, in solis precibus, non in Eucharistia communicabant. *Nos*, inquit Augustinus (*c*), *à communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Verum si occulti peccatores clam petant, Eucharistia deneganda est, modo Minister extra confessionem eorum noverit impietatem (*d*). Sancta canibus in hac specie darent Ministri sine spe alterius commodi, quod ex datione redundaret. Tantum privatis objurgationibus salutem occultorum peccatorum palam Eucharistiam petentium Episcopi & Parochi debent procurare: nec enim hodie viget disciplina, qua Ecclesiæ præpositi, de criminibus sibi notis ecclesiastico judicio reos convincebant.

Publici peccatores Eucharistia non donantur.

§. VI. Quemadmodum vero justi & qui tales communiter reputantur, jus habent el Eucharistiam, ita ejus participatione publicorum criminum rei, cujuscunque gradus & dignitatis sint, excluduntur; publicis enim peccatis se indignos reddiderunt. Sanctum canibus dare Christus interdixit (*e*): eo autem nomine manifesti peccatores designantur, qui ea sunt impudentia, ut in omnium oculis peccare non erubescant. Inter publicos peccatores censentur, qui artem christiano nomine indignam & peccatorum altricem exercent, quales histriones & scenici. Hinc Cyprianus pronunciavit, histrionem

(*a*) Bened. XIV. Const. 57. tom. 1. Bullarii.
(*b*) Can. apost. X. Conc. Antioch. Can. II.
(*c*) Aug. hom. XLIX. inter quinquaginta.
(*d*) Juenin. de Sacram. diss. IV. quæst. 6. cap. 7. art. 2.
(*e*) Matth. VII.

nem ab Ecclesiæ communione abjiciendum (*a*), & de scenicis Concilium Arelatense I. edixit (*b*), eos *quandiu agunt*, *à communione separari.* Ergo olim publici peccatores etiam à sacris conventibus arcebantur: imo qui graviora crimina admisissent etiam in fine pace non donabantur: multo magis excludebantur Eucharistia: quæ disciplina inde sensim mutata est. Itaque publici peccatores ante debent peccatis renuntiare & publicæ offensioni per publicam pœnitentiam & alia bona opera satisfacere, & inde ad communionem admittuntur: nec sufficit si absolutionis à Pœnitentiariis vel Confessariis sibi datæ produxerint testimonium: quod S. Carolus & recentiores Synodi inculcant (*c*): ut enim privata absolutione eorum peccata dimissa sint, publica offensio reparanda superest. Imo in Hispania & Gallia etiam hoc tempore reis ultimo supplicio damnatis etiam recte confessis Eucharistia denegatur, quod veteris disciplinæ vestigium est, sed in Italia & Germania iis Eucharistia præstatur (*d*), quamvis in Sacramenti reverentiam eodem die, quo pane cælesti vescuntur, sententia mandari non soleat.

Energumeni olim non accipiebant Eucharistiam.

§. VII. Vetus quoque disciplina energumenis, nisi in exitu, Eucharistiam denegabat (*e*). Et hinc ante fidelium Missam, non secus ac catechumeni & pœnitentes, dæmoniaci Ecclesiæ ejiciebantur. *Si quis dæmonem habeat*, inquit unus ex Canonibus apostolicis (*f*), *ne fiat Clericus*, *sed neque cum fidelibus precetur.* Extat formula in constitutionibus apostolicis, qua Diaconus eos Ecclesia exire jubebat: *exite energumeni* (*g*). Non fuit autem hæc generalis disciplina, nam Alexandriæ statis temporibus energumeni Eucharistia utebantur, modo *mysterium non enuntient*, *nec ullo modo blasphement*, ut Timothæi Alexandrini Canones habent (*h*). Et monachi Ægyptii etiam monachis dæmoniacis Eucharistiam dabant, quod Casianus tradit (*i*), eaque ratione eos à dæmone credebant liberari. Similiter Synodus Arausicana I. energumenis, qui curationis suæ solliciti sunt, communionem dari permittit (*k*). Credebant veteres in peccati alicujus pœnam christianos à dæmone obsideri, quod pluribus Grancolasius adstruit (*l*); & hinc in multis Ecclesiis eos quasi peccatores sacris mysteriis excludebant. Vel potius, quod jure erat metuen-

(*a*) Cyprian. ep. LXI. ad Eæchratium.
(*b*) Conc. Arelat. I. Can. V.
(*c*) S. Carolus in Instructionib. pastor. Confer. Espen. part. 2. tit. 4. c. 2.
(*d*) Conf. Juenin. de Sacram. diss. IV. quæst. 6. cap. 4.
(*e*) Conc. Illiberit. Can. XXIX. & XXXVII.
(*f*) Can. apost. LXXVIII.
(*g*) Const. apost. lib. 8. cap. 7.
(*h*) Timoth. respons. Can. III. apud Bevereg.
(*i*) Cassian. Collat. VII. cap. 30.
(*k*) Conc. Arausic. I. Can. XIV.
(*l*) Grancolas. l' ancien Sacramentaire part. 1. pag. 285. & seqq.

tuendum, ne sacra mysteria enuntiarent, quam rationem mihi citatus Timothei Canon suppeditavit. Sed inde mutata est disciplina, jamque receptum est, ut quo tempore energumeni non vexantur, Eucharistia donentur.

Communio olim sub utraque specie.

§. VIII. Jam vero in veteri disciplina omnes, qui in Missa Eucharistiam accipiebant, sub utraque specie panis & vini id fecisse, in compertis est (*a*). Sacrificium nempe duabus partibus constabat: hinc justum visum est, ut præsentes omnes utrinque participarent. Sumentes autem sub utraque specie Eucharistiam, elementa distincte recipiebant, non unum alteri intinctum, nec nisi labentibus annis in nonnullis Latinis & in Ecclesia Græca invaluit, ut corpus sanguine perfusum traderetur. Etiam infantes in sacris conventibus utramque speciem accipiebant: non obscure enim supponit Cyprianus datum infantibus *cibum & poculum Domini* (*b*), quamvis id perpetuum non fuerit. Sed qui extra Missam cælesti alimonia utebantur, fere solum panem sumebant, vinum enim diu conservatum acescit & corrumpitur, nec potest sine effusionis periculo longius efferri. Interim ad absentes & infirmos quandoque sub utraque specie missa est Eucharistia, præsertim ubi statim post Missam ad absentes mitteretur, quæ praxis Justini martyris ætate obtinebat (*c*): imo in aliquibus Ecclesiis & corpus & sanguis Christi in infirmorum usum asservata sunt (*d*). In Ecclesia latina hæc disciplina ad sæculum XII. perduravit, at inde ex sola panis specie Latini cœperunt communicare: quæ mutatio primum à nonnullis Episcopis in suis Ecclesiis facta, inde in Conciliis Constantiensi & Tridentino (*e*) probata est. Causam mutationis præbuit periculum effusionis, cui sanguinis administratio exponebatur. Et fortasse primum peregrini in Ecclesia Hierosolymitana sub una specie cœperunt participare, quod Petrus de Marca observat (*f*). Sed Orientales adhuc perseverant in antiquis institutis, præbentque parvo cochleari panis particulas sanguine perfusas.

Tempus & ordo communionis.

§. IX. Quotquot autem Eucharistia utebantur, in veteri disciplina vel in Ecclesia vel domi suæ id faciebant, nunc omnes exceptis infirmis in Ecclesia Eucharistiam sumunt; non enim amplius christianis permittitur, eam domum deferre. Communicantes autem in Ecclesia inter Missarum solemnia tempore communionis Eucharistiam

(*a*) Conf. Cardinalis Bona 2. R. L. cap. 18.
(*b*) Cyprian. de lapsis.
(*c*) Justin. martyr apolog. II.
(*d*) Opt. lib. 2., Chrysost. ep. ad Innocent. Pontif.
(*e*) Conc. Constantiense sess. XIII., Trid. sess. XXI. cap. 1. & seqq.
(*f*) P. de Marca dans l' Histoire de Bearn lib. 5. cap. 10.

tiam sumebant (*a*), & quidem hoc ordine. Omnium primum Episcopus, sive Presbyter celebrans accipiebat, deinde Presbyteri & Diaconi & Clerici inferiores & ascetæ, inde diaconissæ, virgines & viduæ, postea pueri & demum populus; viri primum, inde mulieres: quem ordinem sic dictæ apostolicæ constitutiones proponunt (*b*). Scilicet participatio Eucharistiæ tanquam pars sacrificii, cui adstantes omnes communicant, spectatur: atque ideo tempore communionis pro ratione dignitatis suæ singuli participes erant. Non permisit vetus disciplina, ut corpus Christi in Ecclesia servari consuetum, extra synaxim sani fideles sumerent (*c*). *Consuetudo hodierna*, inquit Morinus (*d*), *corpus Christi propter fidelium communionem reservandi recens est, à monachis mendicantibus primum introducta, deinde ab aliis plerisque usurpata*, idque contra Missæ œconomiam & Ecclesiæ mentem. Sane in Missa pro communicantibus preces funduntur, & Ecclesia exoptat, ut fideles in Missis reipsa Sacramentum accipiant. Tantum ex justa causa permittit rituale Romanum (*e*), ut communio post Missam rejiciatur.

Locus communionis.

§. X. Nec tantum ordine, verum etiam loco singuli Eucharistia dabantur. Primigenia & antiquissima Ecclesiarum disciplina sic ferebat, ut omnes etiam laici ad altare communionis gratia accederent. Sane Tertullianus communicantes ad altare stantes exhibet (*f*), *nonne solemnior erit statio, si ad aram Dei steteris accepto corpore Domini?* Et Dionysius Alexandrin. de homine, qui sæpe Eucharistia usus erat, dicit (*g*), *qui mensæ adstitisset.* Et alio loco de mulieribus ita fatur, quasi quæ ad sacram mensam accederent (*h*). Postea Canonibus Concilii Laodiceni laicis occultum fuit sanctuarium, tantumque τοῖς ἱερατικοῖς *sacro mysterio deditis* eo ingredi & Eucharistiam sumere permissum est (*i*). Ergo apud Græcos laicis extra chorum Eucharistia administrari cœpit, uno excepto Imperatore, cui ad altare ingredi, offerendi & communicandi causa licitum erat (*k*). Ex Oriente hæc disciplina in Occidentem videtur derivata: etenim in Ecclesiis Romana, Mediolanensi, Hispanica & Africana nefas erat laicos ingredi sanctuarium: & hinc Sacerdotes & Diaconi ante altare, in choro Clerus, extra chorum laici Eucharistiam accipie-

(*a*) Auctor de eccles. Hierarch. cap. 14.
(*b*) Constit. apost. lib. 8. cap. 13.
(*c*) Conferat. Cardinal. Bona lib. 2. R. L. cap. 17. §. 6.
(*d*) Morin. de pœnit. lib. 8. cap. 14. n. 2.
(*e*) Rit. Roman. tit. de Sacram. Eucharist.
(*f*) Tertull. lib. de Orat.
(*g*) Dionys. Alexandr. ap. Euseb. lib. 7. cap. 9.
(*h*) Idem Can. II. ap. Bevereg.
(*i*) Conc. Laodic. Can. XIX.
(*k*) Conc. Trull. Can. LXIX.

piebant (*a*). Sed in Ecclesia Gallicana laici ad orandum & communicandum sanctuarium semper ingressi sunt (*b*).

Situs & modus communionis.

§. XI. Jam vero Græci non flexis genibus, sed stantes, prono tamen capite & demissis oculis, de veteri more Eucharistiam accipiunt (*c*): quæ eadem videtur fuisse Latinorum disciplina (*d*): sed postea cœperunt Latini flexis genibus Eucharistiam sumere; idque tantum de antiquo ritu superest, quod in Missa Romani Pontificis stans Diaconus Eucharistiam sumit (*e*). Porro olim in utraque Ecclesia communicantes Eucharistiam corporis Christi manu in formam navis concepta excipiebant, quod veteres passim testantur (*f*). Imo quum obtentu reverentiæ multi receptaculis ex auro argentove elaboratis ad excipiendum Christi corpus uti cœpissent, Synodus Trullana (*g*) hanc praxim veluti superstitiosam explosit. Inde christiani antequam Ecclesiam ingrederentur manus lavabant, cujus rei gratia in Ecclesiarum atrio fontes erant: & inde Patres passim christianis inculcant, ut manus à sceleribus servent intactas. Sanguinem autem de calice ipso ori admoto ebibebant, aut calamo sugebant: tum invaluit, ut corpus sanguine tinctum porrigeretur, qui mos à Latinis alibi admissus, alibi improbatus, à Græcis vero receptus est (*h*). Et mares & feminæ manu Christi corpus excipiebant; sed in Occidente sæculo sexto vetitæ sunt mulieres *nuda manu Eucharistiam accipere*, quod Synodus Antissiodorensis (*i*) decrevit: & subjecto mundo linteolo, quod plerisque viris doctis *dominicale* dictum videtur, eam accipere cœperunt. Interim non recte ex hoc ritu conjiciunt Calviniani, veteres non credidisse veram Christi præsentiam in Eucharistia: nam quæ ratio vetat, christianos Christi corpus contrectare? Imo manibus excepta Eucharistia ad sanctitatem christianos excitabat. Sed tandem in utraque Ecclesia mutata est disciplina: & in Occidente christiani corpus Christi ore excipiunt, in Oriente vero corpus sanguine perfussum parvo cochleari in os injicitur. Fortasse simul cum azymis in Occidente invaluit, ut corpus Christi ore exciperetur, præsertim vero postquam in tenuissimam formam oblatæ redactæ sunt: quod timeri poterat, ne in terram delaberentur (*k*).

Eu-

(*a*) Conc. Bracarense I. Can. XXXI., Conc. Tolet. IV. Can. XVII.
(*b*) Conc. Turonense II. Can. IV. Confer. Mabillon. de Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 5. §. 24.
(*c*) Cyrill. Hierosolym. cathec. 5. n. 19., Chrysost. orat. in Encænia.
(*d*) Tertull. lib. de Orat.
(*e*) Card. Bona lib. 2. R. L. cap. 17. n. 8.
(*f*) Conf. Morin. de Ss. ordinat. part. 2. exercit. 12. cap. 3.
(*g*) Conc. Trull. Can. CI.
(*h*) Card. Bona loc. cit. cap. 18. n. 3., Chardon. Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 3. chap. 4.
(*i*) Conc. Antissiod. Can. XXXVI.
(*k*) Bona cap. 17. n. 7.

Eucharistia in itinere delata.

§. XII. Nec tantum christiani justi & occulti peccatores utebantur Eucharistia, verum etiam longum iter suscepturi, eam secum deferebant, ut itineris viaticum esset, eamque, ubi usus esset, manducabant. Sane naufragii instante periculo Satirus Ambrosii frater, quamvis catechumenus à christianis, qui erant in navi, Eucharistiam poposcit, illamque orario involutam collo circumligavit, & in mare se projecit, quod Ambrosius in oratione de ejus funere testatur. Et monachi, quos Gregorius M. Constantinopolim misit, Romam redeuntes Eucharistiam deferebant (*a*). Atque ad hunc usum spectasse videtur Hieronymus (*b*), dum de Exuperio Episcopo Tolosano scribit, *nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Sæculo XII. apud Latinos etiam in itinere Eucharistia deferebatur (*c*), sed inde iste mos desuevit: tantumque antiqui moris illud superest, quod Romanus Pontifex extra urbem iter faciens Eucharistiam defert, quæ magnifico apparatu illum præcedit, qua de re Angelus Rocca eruditum edidit commentarium. Sed monachi Græci, præsertim ubi iter faciunt inter Turcas & infideles, secum habent Eucharistiam (*d*).

Et cum mortuis consepulta.

§. XIII. Porro pium & religiosum olim habitum est cum mortuis corpus Christi sepelire. Basilius M. unam sacrati corporis partem secum consepeliendam reservavit, quod in ejus vita, quæ sub nomine Amphilochii prostat, refertur. Et S. Benedictus puerum monachum extra claustra defunctum, posito super pectus ejus dominico corpore, jussit sepeliri, idque ne terra defossum cadaver abjiceret, sicut antea bis acciderat, quod Gregorius M. (*e*) narrat. Et in vita S. Othmari dicitur (*f*), quod quum corpus ejus transferretur, sub capite & circa pectus ejus *quædam panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur*, illæsæ & incorruptæ inventæ sunt. Vetuit quidem Synodus Trullana (*g*) Eucharistiam cum mortuis sepeliri, at sæculo XII. Antistites apud Græcos adhuc cum Eucharistia sepeliebantur, quod Balsamon testatur (*h*). Id autem factum arbitratur Balsamon ad avertendos dæmones, & ut pane eucharistico veluti viatico Antistites ad cælum deducerentur. Certe S. Benedictus ad quietem cadaveris procurandam, monachi corpus pectori imposi-

(*a*) Joann. Diac. vit. Greg. M. lib. 1. cap. 33.
(*b*) Hieron. ep. IV. ad Rustic.
(*c*) Confer. Grancolas. l'ancien Sacramentaire part. 1. pag. 344.
(*d*) Arcudius lib. 3. de Sacram. cap. 59.
(*e*) Gregor. M. lib. 2. Dialog. cap. 24.
(*f*) Ap. Surium die 14. Novemb.
(*g*) Conc. Trull. Can. LXXVIII.
(*h*) Balsam. in cit. Can. Trull.

sita Eucharistia sepeliri fecit. Sed non crediderim semper ad avertendos dæmones cum mortuis Eucharistiam consepultam; nam sæpe id factum videtur, quod sine tanto viatico corpus suum terræ mandari christiani ægre ferrent, quando iter agentes secum Eucharistiam deferre solebant.

Reliquiæ Eucharistiæ.

§. XIV. Peracta consecratione & ad reliquos usus ecclesiasticos tributa, aut servata Eucharistia, sæpe reliquiæ supererant, de quibus non omnes Ecclesiæ eandem inierunt rationem. Etenim in Ecclesia Alexandrina ipsis communicantibus tribuebantur (*a*); sed Constantinopoli & in Ecclesiis Gallicanis innocentibus pueris comedendæ dari solebant (*b*), qui propterea extra sacræ liturgiæ tempus in Ecclesiam convocabantur. Et Hierosolymis regula de reliquiis sacrificiorum pacificorum & votivorum in veteri lege data obtinebat, atque ita reliquiæ Eucharistiæ tradebantur igni, quod Hesychius testatur (*c*). Interim non recte Albertinus à combustione Eucharistiæ, quam Ecclesia Hierosolymitana usurpabat, concludit, veteres non credidisse Christum ipsum reapse in Eucharistia contineri, quod non videntur veteres ipsum Domini corpus animatum & gloriosum pœna ignis quasi plectere voluisse. Sed non Christus, dum particulæ Eucharistiæ igni tradebantur, comburebatur, sed potius sensibiles, quæ supersunt, qualitates (*d*). Sed moribus præsentibus in Ecclesia latina si quæ fragmenta sive parva sive magna remanserint, ipse Sacerdos consumit, etiamsi eas post ablutionem deprehendat, quia ad id sacrificium pertinent, quod recte rubrica monet (*e*).

CAPUT XIV.

De effectibus Eucharistiæ.

Eucharistia christianos Christo adunat.

§. I. In Eucharistia Christum ipsum per modum cibi & potus sumimus: hinc Eucharistiæ plures & uberes sunt effectus. In primis per Eucharistiam Christo incorporamur, & cum ipso veluti unum sumus. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*, sunt verba Christi (*f*), *in me manet & ego in illo.* Sumimus nempe Eucharistiam per modum cibi & potus, ac ita necesse est, ut Christo

(*a*) Theophil. Alexandrin. Can. VII. ap. Beverg.
(*b*) Evagrius lib. 4. cap. 36., Conc. Matisconense II. Can. VI.
(*c*) Hesych. in Levitic. lib. 2.
(*d*) Conf. N. Alexander diss. XII. in XII. & XIII. sæcul. art. 24.
(*e*) Confer. Benedictus XIV. de Sacrif. Missæ lib. 3. cap. 17.
(*f*) Jo. VI. 57.

to incorporati unum corpus constituamus. Distat autem inter corporis cibos & Eucharistiam, nam corporei cibi in nostram carnem & sanguinem abeunt; Eucharistia vero nos quodammodo in ipsum Christum transmutat. Ubi enim divina majestas reipsa extitit & operatur, omnia aliam veluti naturam induunt. Hinc Apostolus (*a*), *membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus.* Et Leo Magnus (*b*), *non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus.* Et licet ἐμφατικά, denotant tamen per Eucharistiam Christo fideles adunari.

Et gratiam roboris & nutritionis confert.

§. II. Sic Christo per Eucharistiam christiani incorporati, vitam spiritualem per Christum vivunt. Est enim Eucharistia cibus spiritualis, quo christianorum spiritualis vita alitur & sustinetur. *Caro mea*, inquit Christus, *vere est cibus, sanguis meus vere est potus* (*c*): & paulo post, *Qui manducat me, ipse vivet propter me* (*d*). Id quod corpori sunt cibi & potus, id animæ est Eucharistia. Ergo Eucharistia gratiam uberem elargitur, qua vita christianorum continetur. *Verbum*, inquit Clemens Alexandrinus (*e*), *est omnia infanti & pater, & mater, & pædagogus, & altor.* Et auctor operis *de Sacramentis*, qui sub nomine Ambrosii delitescit (*f*), *ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Et quemadmodum cibi corporales vires corporis augent, & deficientes continuo reparant, ita etiam Eucharistia auget vires vitæ spiritualis, sumentesque contra futuros lapsus & diaboli tentationes munit, tutosque efficit. Hinc tempore persecutionum Patres pœnitentibus pacem & Eucharistiam dabant, ut inde christiani ad victoriam vires acciperent, quod Cyprianus docet (*g*). Distat autem inter gratiam Eucharistiæ & Confirmationis, etsi utraque christianis robur addat; nam gratia Eucharistiæ animam munit per modum rei, quæ extrinsecus advenit; sumitur enim tanquam cibus & potus; Confirmatio vero tanquam causa intrinsecus permanens operatur (*h*).

Eucharistia per se justis gratiam confert.

§. III. Jam vero effectus isti Eucharistiæ justos & sanctos suscipientes supponunt; nec enim Eucharistia justitiam & sanctitatem confert; sed eam auget & munit: sumitur enim per modum cibi & potus; & cibi & potus tantum vivis prosunt, non mortuis. Hinc il-

(*a*) Ad Ephes. V. 30.
(*b*) Leo M. serm. 14. de Passione Domini.
(*c*) Joann. VI. 56.
(*d*) Joann. VI. 58.
(*e*) Clemens Alexandr. Pædag. lib. 1. cap. 6.
(*f*) Ambros. lib. 5. de Sacram. c. 4.
(*g*) Cyprian. ep. LIV. al. LXXVII.
(*h*) Confer. Juenin. de Sacram. diss. III. q. 7. cap. 2. art. 2.

illud Apostoli (*a*): *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Et qui lethalibus culpis maculati ad sacram mensam accedunt, Christum non in vitam, sed in condemnationem accipiunt. Imo quo christiani majori sanctitate & charitate ad Eucharistiam accedunt, eo majori gratiæ ubertate donantur. Sed fieri potest, ut etiam Eucharistia peccata mortalia & sanctitatem conferat in eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet; etenim si iste sufficienter contritus non est, sed devote & reverenter accedit, *consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remissionem peccati*, inquit S. Thomas (*b*). Quo sensu Ecclesia in postcommunione pro vivis & defunctis orat, ut hoc Sacramentum sit ablutio scelerum.

Animæ probatio Eucharistiæ præmittenda.

§. IV. Probatio autem, quam Eucharistiæ præmittere oportet vel animam, vel corpus spectat. Animæ probatio postulat, ut integri vitæ scelerisque puri & charitate perfecti ad sacram mensam accedamus. Hinc olim apud Latinos, nunc etiam apud Græcos, ante communionem Diaconus clamabat *Sancta sanctis*, quasi diceret, qui non est sanctus, non accedat. Quapropter qui mortalium peccatorum rei sunt, etsi contriti sibi videantur, debent per pœnitentiæ Sacramentum se ad Eucharistiam disponere, quam regulam Tridentini Patres proponunt (*c*), tantumque Sacerdotibus ex officio ad celebrandum adstrictis permittunt, ut, ubi urgeat celebrandi necessitas, & desit copia confessarii, sacris operentur non præmissa sacramentali confessione, modo quamprimum confiteantur. Sic per Sacramentum Pœnitentiæ à peccatis fideles soluti curare debent ut per bona opera, in justitia abundent & charitate crescant, & ita demum post aliquod tempus ad panem angelorum accedant. Nec enim probari ulla ratione potest praxis illa, qua multi ab ipsa confessione procurrunt ad Eucharistiam, saltem si grandia vel carnalia peccata admiserint: injurii enim sunt in ipsum Christum, qui è cæno vitiorum vix emersi, ad sacram mensam festini prosiliunt. Certe antiqui Patres post datam peccatoribus pacem eos diu inter consistentes manere jubebant, & interim eos non donabant Eucharistia. At Tridentini Patres solam sacramentalem confessionem Eucharistiæ præmittendam decernunt. Esto; at qui sincera pœnitentia tanguntur, non festinant, sed se indignos reputant, nec nisi tarde accedunt. Quod si solis peccatis venialibus irretiamur, ante communionem ad ea affectum deponere debemus, imo utilis est aliqua communionis dilatio ad ea per pœnitentiam expianda (*d*).

Je-

(*a*) 1. ad Cor. XI. 28.
(*b*) S. Thom. part. 3. q. 79. art. 3.
(*c*) Trid. sess. XIII. cap. 7.
(*d*) Confer. Juenin. de Sacram. diss. IV. q. 8. cap. 1. art. 1. §. 3.

Jejuni sumunt Eucharistiam.

§. V. Quod vero spectat ad corporis probationem, in primis communicaturi corpore omnino jejuni esse debent, ita ut saltem à media nocte proxime elapsa nihil cibi aut potus, nec ad instar medicinæ, sumserint. Lex ista, quæ communicantes jejunos esse præcipit, ecclesiastica est, non à Deo profecta: Christus enim post paschale convivium Apostolis præbuit Eucharistiam, & de ratione, qua eam celebrarent, nihil edixit. Ecclesia quoque tempore Apostolorum, & diu etiam ab eorum excessu post agapas, hoc est post sacra convivia, quæ sero celebrabantur, Eucharistiam dedisse videtur (*a*). Cœpit jejunium communioni præmitti, postquam Eucharistia sine agapis celebrari consuevit, & quidem horis matutinis; qua ratione medio sæculo secundo Romæ, teste Justino martyre, sacra mysteria fiebant. Et jam ætate Tertulliani Eucharistia à jejunis sumebatur. *Non sciet*, inquit Septimius (*b*), *maritus*, *quid secreto ante omnem cibum gustes*. Spectant quidem hæc verba christianos, qui de more ejus ætatis domi suæ sumebant Eucharistiam; at id m servatum fuisse in sacra synaxi, non videtur dubitandum. Et decebat quidem omnino jejunos Eucharistiam sumere: ante omnia de regno Dei sollicitos esse oportet christianos. Quod si Christus Apostolis post cœnam Eucharistiam dederit, id fecit, non ut inde Ecclesia legem sumeret, sed quod ita suæ passionis postulabat œconomia. Interim in casu infirmitatis aut alterius necessitatis etiam non jejunis Eucharistia administratur, quod Synodus Constantiensis decrevit (*c*). Qui vero sunt casus isti necessitatis, ubi non jejunis Ecclesia dat Eucharistiam, theologi disquirunt (*d*).

Et casti & puri corpore.

§. VI. Porro etiam corpore ab aliquo tempore castos & ab omni carnis impuritate etiam licita puros esse oportet communicantes. Agnus sine macula, & qui ipsissima virginitas & castitas est, casto & puro corpore excipiendus est. Hinc Hieronymus conjugatos post usum conjugii corpus Christi sumere vetat (*e*). Et Augustinus pluribus ante communionem diebus edicere solebat, ut etiam ab uxoribus temperarent (*f*): *ante plures dies non solum infelici concubinarum consortio, sed etiam à propriis uxoribus abstinete*. Et Canones Dionysii & Timothei Alexandrinorum ab Eucharistia arcet mulieres, quæ in consuetis menstruis sunt, donec purgentur (*g*). Similiter

(*a*) Confer. Estius in 1. Cor. XI. 20.
(*b*) Tertull. lib 2. ad Uxorem.
(*c*) Conc Constant. sess. XIII.
(*d*) Confer. Juenin. de Sacram. diss IV. q. 8. art. 2.
(*e*) Hieronym. ep. L. ad Pammach. cap. 6.
(*f*) Aug. serm. unic. de dom. 2. adventus.
(*g*) Dionys. Alexand. Can. II., Timoth. Can. V. ap. Bevereg.

ter theologi nostri post Thomam docent, nocturnas impuritates ex infirmitate vel necessitate naturæ, vel etiam ex levi culpa passas, quibus minime assentimur, impedire quidem communionem, sed potius ob reverentiam, quam necessitatem (*a*). At in omnibus istis casibus qui Eucharistiam sumunt, non rei corporis & sanguinis Domini censentur, sed tantum minus probati accedunt. Intoleranda vero est quorundam casuistarum doctrina, posse Sacerdotes etiam sine necessitate post fornicationem antecedenti nocte admissam sequenti die sacris operari, modo sibi contriti videantur, & confessionem præmiserint. Utinam aliquando sapiamus! Certe vero de Sacerdotibus suis id ethnici non dixissent.

Eucharistia prodest manducantibus.

§. VII. Quo autem probati christiani cœlesti pane nutriantur & confortentur, corpus Christi manducent & sanguinem bibant, necesse est. Eucharistia cibi & potus instar est, ac proinde non operatur, nisi manducetur & bibatur. *Qui manducat*, inquit Christus *meam carnem & bibit meum sanguinem*, *habet vitam æternam* (*b*). Manducare autem & bibere homines censentur, si cibum & potum ore exceptum in stomachum trajiciant. Hinc Eucharistia ut Sacramentum sumpta aliis quam manducantibus non prodest; & recte N. Alexander (*c*) affirmat, Eucharistiam pro aliis sumere devotionem esse recentem, nec auctoritate, nec ratione fultam. Nec minus à ratione & institutione Christi alienum est, Eucharistiam mortuis administrare: quî nempe mortui manducabunt & bibent? Hinc jure meritoque Canones damnarunt perversum morem, quo olim in Ecclesiis Africanis, Gallicanis & Græcis mortuis Eucharistia donabatur (*d*). Abusus iste videtur invaluisse, vel quod pœnitentes, qui vivi reconciliati non essent, pia simplicitate post mortem data Eucharistia reconciliari viderentur, ut Cardinalis Bona (*e*) opinatur, vel potius, quod vitam habere non posse credebantur, qui non sumpta Eucharistia ex hac vita discessissent.

Eucharistia symbolum unitatis & communionis ecclesiasticæ.

§. VIII. Jam vero Eucharistia signum est ecclesiasticæ unitatis, quo christiani omnes unum corpus sub capite Christo conficiunt, eamque unitatem sustentat & fovet. *Unus panis*, inquit Paulus Apostolus (*f*), *& unum corpus multi sumus*, *omnes*, *qui de uno pane participamus*. Quum enim per Eucharistiam christiani Christo incorporen-

(*a*) S. Thom. part. 3. q. 80. art. 7.
(*b*) Joan. VI. 55.
(*c*) N Alexand. Theol dogm. & mor. lib. 2. tract. de Eucharist. cap. 3.
(*d*) Conc. Carthag. III. Can. VI., Conc. Autissiod. Can. XII., Trull. Can. CXXXIII.
(*e*) Bona lib. 2 R. L. cap. 17. n. 6.
(*f*) 1. ad Cor. X. 17.

rentur, fit profecto, ut unum corpus cum ipso faciant, & Eucharistia unitatis ipsius symbolum & altrix sit. Hinc recte exclamat Augustinus (*a*). *O Sacramentum pietatis! ò signum unitatis! ò vinculum charitatis!* Et Cyrillus Alexandrinus (*b*) observat, christianos per Eucharistiam & Christo & secum invicem unitos & adunatos esse. *Uno corpore suo*, inquit, *nimirum fideles benedicens, per mysticam communionem tum ipsos inter se, tum secum concorporales effecit.* Hinc olim veteres sibi mutuo mittebant Eucharistiam, ut pacem, unitatem & mutuam concordiam declararent. Tanta enim fuit mutuæ unitatis & societatis inter fideles religio, ut si omnes de uno eodemque pane ab eodem Sacerdote consecrato participare potuissent, id in tota Ecclesia fecissent lubentissime, ut ita se omnes in Christo unum esse ostenderent, quod Cardinalis Bona recte observat (*c*). Sane Romani Pontifices Melchiades, Siricius & Innocentius ad titulos seu Ecclesias minores, quæ in urbe erant, Eucharistiam miserunt, ut Presbyteri in illis Ecclesiis ministrantes cum Episcopo suo & majore Ecclesia communicarent (*d*). Et ex antiquissima disciplina veluti ejusdem fidei & communionis tesseram sibi mutuo Episcopi sacra mysteria mittere consueverunt (*e*). Tantum statuit Synodus Laodicena, *ne sancta instar benedictionum in festo Paschæ ad alias parochias transmittantur*: quo loco *parochiæ* videntur esse Ecclesiæ sub Episcopo constitutæ. Fortasse ideo tantum in festo Paschæ per parœcias mitti Eucharistiam Synodus interdixit, quod eo die oportebat omnes Presbyteros cum plebe sibi commissa Episcopo adhærere & cum eo sacris operari. Sed deinceps tepescente inter christianos charitate desiit mos mittendæ Eucharistiæ tanquam symbolum pacis & unitatis, ejusque loco substitutus est panis benedictus quem *eulogias*, & Græci recentiores ἀντίδωρα *dona vicaria* dicunt.

CAPUT XV.

De Eucharistiæ necessitate.

Eucharistia non est necessitate medii necessaria.

§. I. Certi juris est, Eucharistiam non esse absoluta necessitate ad salutem necessariam, ita ut sine Eucharistiæ Sacramento reipsa suscepto æternam vitam nemo consequi possit. Dogma namque fidei est, hominem statim à Baptismo vita exeuntem salvari. *Qui crediderit*, inquit ipse Christus (*f*), *& baptizatus fuerit, salvus erit.* Ex

(*a*) Aug. tract. XXVI. in Joan.
(*b*) Cyrill. Alexand. lib. 3. in Joan.
(*c*) Cardin. Bona lib. 1. R. L. cap. 23. num. 20.
(*d*) Innocent. I. ep. ad Decent. cap. 5.
(*e*) Irenæus ap. Euseb. lib. 5. cap. 24.
(*f*) Marci XVI. 16.

Ex qua doctrina docent Patres, in fine vitæ baptizatos salutem consequi. *Baptizatus ad horam*, inquit Augustinus (*a*), *securus hinc exit*: nec ex antiquitate constat, in fine baptizatos simul accepisse Eucharistiam. Imo solo Baptismi desiderio vitam æternam homines consequuntur, ubi Baptismi copia non est: quæ doctrina est Ambrosii & Augustini (*b*), lapsu temporis ubique recepta. Verba autem Christi, quibus vita æterna denegatur christianis, nisi carnem filii hominis manducent & sanguinem bibant (*c*), ex Patrum interpretatione mysticam Eucharistiæ perceptionem, quæ in Baptismo obtinetur, veluti medium salutis proponunt, non Eucharistiæ actualem perceptionem (*d*). Constat enim neminem ad regnum cœlorum admitti, nisi Christo sit conjunctus & mystico ejus corpori adunatus, id quod Baptismus præstat. Sane Fulgentius Ruspensis non dubitat de cujusdam Æthiopis salute, qui morti proximus baptismum suscepit, & antequam Eucharistiam sumeret, ex hac vita migravit: nam præceptum Domini de sumenda Eucharistia in lavacro μυστιχῶς asserit impletum (*e*). Et hinc manavit doctrina, quæ ad salutem obtinendam veluti medium requirit Eucharistiæ suscipiendæ votum & desiderium (*f*).

Sed adultis est necessaria præcepto divino.

§. II. Quamvis autem absoluta necessitate ad salutem Eucharistia non requiratur; necessaria tamen est jure divino & ecclesiastico. Et quod spectat ad divinum præceptum, ipse Christus, qui Eucharistiam instituit, illius quoque sumptionem præcepit, *hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis* (*g*): his enim verbis non solum Eucharistiæ consecrationem Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus demandavit; verum etiam ejus usum christianis indixit, quod ex Apostolo constat, qui affirmat, christianos mortem Domini recolituros, quoties Eucharistiam suscipient (*h*). Et deinde, ut præclare observat S. Thomas, mystica Eucharistiæ perceptio, quæ omnino & veluti medium salutis requiritur, ubi adest occasio, in usum deduci debet, aliter votum suscipiendi, quod nunquam in usum deducitur, frustra præceptum esset (*i*). Spectat autem hoc divinum præceptum illos tantum, qui ratione utuntur, & corpus Christi possunt dijudicare, non infantes (*k*). Et si Ecclesia olim etiam infantibus Eucharistiam præbuit, id quidem non fecit, quod etiam

(*a*) Aug. hom. XIV. ex quinquag., & lib. 2. de Peccator. merit. cap. 28.
(*b*) Ambros. orat. de obitu Valentiniani, Aug. de Bapt. lib. 4. cap. 22.
(*c*) Jo. VI. 54.
(*d*) Conf. N. Alexand. Theol. dogm. & moral. lib. 2. tract. de Euchar. cap. 1. art. 5.
(*e*) Fulgent. ep. ad Ferrandum Diacon.
(*f*) S. Thom. part. 3. q. 73. art. 3.
(*g*) Luc. XXII. 21.
(*h*) 1. ad Cor. XI. 26.
(*i*) S. Thomas part. 3. q. 80. art. 2.
(*k*) Trid. sess. XXI. c. 4.

etiam iis veram Eucharistiæ perceptionem necessariam crederet (*a*), sed potius praxis illa ex Baptismo adultorum ad infantes extensa est. Dedit etiam vetus Ecclesia infantibus statim à Baptismo Confirmationem, nec propterea credidit absolute consignationem ad salutem esse necessariam. Adde quod infantium eucharistica communio tertio sæculo antiquior non videtur: primus de ea Cyprianus loquitur: & fortasse ab Ecclesia Africana ad alias Ecclesias dimanavit.

Vera Augustini sententia de necessitate Eucharistiæ.

§. III. Huic autem doctrinæ multi ex veteribus, in primis Augustinus & duo Romani Pontifices Innocentius & Gelasius videntur adversari. Sane docent, infantes sine Eucharistiæ perceptione non posse habere vitam æternam, & quidem ex verbis Christi, *nisi manducaveritis &c.* & deinde Baptismi necessitatem ex necessitate sumendæ Eucharistiæ derivant: quæ duo plane arguere videntur, eos ejusdem necessitatis ac Baptismum Eucharistiam credidisse (*b*). Sed si, ut par est, Augustini & Pontificum verba accipiantur, nihil habent catholicæ doctrinæ adversum. Generatim triumviri isti inculcant, Eucharistiam ad salutem infantium necessariam contra Pelagianos, qui Christi oraculum de Baptismi necessitate eludebant; infantes enim sine Baptismo denatos extra regnum cœlorum, sed in vita beata collocabant. Hinc Augustinus quo vitam beatam infantium, à Pelagianis excogitatam, penitus exploderet, Eucharistiæ perceptionem infantibus dixit necessariam, ad vitam beatam consequendam, idque ex verbis Christi, ut hinc Baptismi necessitatem ad vitam æternam necessariam demonstraret: nam qui Baptismum non suscepit, corporis & sanguinis Christi particeps esse non potest. Sed Augustinus & Pontifices non veram Eucharistiæ perceptionem intelligebant, sed mysticam, quam Baptismus præstat, quatenus infantes Christo per Baptismum incorporantur, & ita μυστιχῶς de Eucharistia participant: quam esse Augustini sententiam ex ipso Augustino constat, qui multis locis profitetur, mysticam communionem esse ad salutem necessariam (*c*), Baptismi desiderium vicem Baptismi in necessitate supplere (*d*), fidem conversionemque cordis ad salutem sufficere, & baptizatos statim à Baptismo exeuntes salvos esse (*e*): quæ omnia quî stare possunt cum absoluta Eucharistiæ necessitate? Itaque si Augustinus exagitans Pelagianos aliquid amplius dicere videtur, id ex aliis ejus locis videtur ad justam sententiam reducendum, præsertim quod

(*a*) Conf. Cardin. Bona lib. 2. R. L. cap. 19.
(*b*) Aug. lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 22., & de Peccator. merit. lib. 1. c. 22. Innocent. I ep. XCIII. inter ep. Augustini, Gelas. epist. ad Episcop. Piceni.
(*c*) Aug. de Peccat. merit. lib. 3. cap. 4.
(*d*) Aug. de Bapt. lib. 4. cap. 22.
(*e*) Id. de Peccator. merit. lib. 2. cap. 25.

quod in disputatione contra Pelagianos non erat necessarium explicare, num Eucharistiæ perceptio vera an mystica esse deberet.

Præceptum divinum non complectitur utranque speciem.

§. IV. Obligantur quidem divina institutione christiani omnes ratione utentes ad veram Eucharistiæ communionem, at nullum extat divinum præceptum, quo Laici & Clerici non sacrificantes ad ambarum specierum sumptionem compellantur: quod semper ratum fixumque habuit Ecclesia (*a*). Et certe per summam injuriam dictitant protestantes, non solum errasse, verum etiam grandis sacrilegii ream esse Ecclesiam Romanam, quæ Eucharistiæ symbola divisit, & laicis usum calicis subtraxit. Sane idem ipse Christus, qui de sumenda utraque specie verba fecit, solum panem sufficere professus est (*b*). Adhæc sub altera tantum specie totus atque integer Christus continetur, ac proinde si fructum spectemus, nulla gratia ad salutem necessaria defraudantur, qui unam tantum speciem accipiunt, quod Tridentini Patres recte docent (*c*). Porro fideles olim solam panis speciem quotidie domi suæ manducarunt (*d*): & ad infirmos modo sub sola specie panis, modo sub utraque delata est Eucharistia (*e*): quæ duo demonstrant, nullum fuisse divinum præceptum, quod ambas species sumere juberet. In ipsis quoque sacris conventibus sub una tantum specie Eucharistia sumpta est. Etenim tertio sæculo infantes sumebant quidem in Ecclesia utranque speciem; at inde frequentius ex solo sanguine communicarunt. Et in Missa præsanctificatorum in utraque Ecclesia communio in solo pane facta est. Et licet dum mysteria ex præsanctificatis fierent, in primis apud Græcos, corpus Christi in vini non consecrati calicem injiceretur, & inde fideles participarent, quod Allatius (*f*) observat; non tamen sub utraque specie communio dicenda est; per contactum scilicet proprie species non consecrantur. In ipsa quoque Ecclesia Romana sæculo quinto liberum fuisse videtur christianis tempore synaxis unam tantum speciem sumere. Verba enim faciens Leo M. (*g*) de Manichæis affirmat, eos, quo tutius sub catholicis laterent, ore indigno corpus Christi non sanguinem accepisse. Itaque ex christianis multi ex solo pane participabant, alias Manichæi, solum Christi corpus sumentes, quî tutius sub christianis latere potuissent? Hæc & alia late persequitur Bossuet peculiari opere *de la communion sous les deux espèces.*

Ex-

(*a*) Trid. sess. VII cap. 1.
(*b*) Joan. VI. 50.
(*c*) Trid. loc. cit cap. 3.
(*d*) Conf. Card. Bona lib. 2. R. L. cap. 17. num. 4.
(*e*) Chardon. Histoire des Sacrements lib. 1. sect. 3. chap. 5. art. 2.
(*f*) Allat. de Missa præsanctific. §. 7.
(*g*) Leo M. serm. IV. de quadrag.

Explicantur verba Gelasii Papæ.

§. V. Nunc pauca Gelasii Papæ verba oportet interpretari, unde concludunt protestantes, etiam Pontifices credidisse, utraque Eucharistiæ elementa jure divino sumi debere. Invehitur Pontifex in eos, qui ex quadam superstitione corpus tantum sumebant, à calice autem abstinebant: inde jubet, eos *integra Sacramenta*, hoc est corpus & sanguinem sumere, *aut ab integris arceri, quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire* (*a*). Magnum in speciem argumentum, unde adversarii concludunt, etiam Romanos Pontifices tenuisse Eucharistiam sub utraque specie jure divino esse necessariam. Sed ut recte Cardinalis Bona (*b*) observat, spectat Gelasii animadversio Manichæos, qui eo tempore Romæ inventi & in exilium deportati sunt, eorumque codices igne concremati: quod Anastasius tradit. Docebant autem Manichæi, vinum esse fel principis tenebrarum & à diabolo creatum: atque hinc Eucharistiam tantum sub specie panis sumebant, à vino autem ex suæ doctrinæ principiis abstinebant, quod à tempore Leonis M. facere cœperant (*c*). Ergo Gelasius damnat Manichæos, non quod crederet sine sanguinis perceptione imperfectam esse communionem, sed quia illi, *nescio qua superstitione*, ut Pontifex loquitur, hoc est ex principio malo, abstinebant à vino. Et quamvis ratio, qua integra Sacramenta suscipienda præcipit, generalis sit, quod nempe mysterii unius divisio fieri non possit, tamen id ad subjectam materiam restringi debet; superstitiosum enim & à veritate religionis alienum erat à vino, quod esset à principio malo, abstinere.

Quotidiana antiquorum fidelium communio.

§. VI. Jam vero non semel, sed sæpius in vita ex divino præcepto obligantur adulti ad Eucharistiam suscipiendam. Est siquidem animæ cibus; *caro mea*, inquit Christus (*d*), *vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Vita autem spiritualis sæpe indiget cibo, quo sustentetur, & paulatim deperditæ vires reparentur. Hinc primorum sæculorum fideles, quorum erat cor unum & anima una, quotidie Eucharistia utebantur (*e*). Quotquot enim sacris mysteriis intererant, illam accipiebant (*f*): & quibus diebus sacri conventus non cogebantur, fideles domi suæ participabant ex Eucharistia, quam à Sacerdote in sacris conventibus acceptam in domum suam

(*a*) Can. XII. de Consecr. D. 2.
(*b*) Cardin. Bona lib. 2. R. L. cap. 18. num. 1.
(*c*) Leo M. serm. de quadrag.
(*d*) Joan. VI. 56.
(*e*) Orig. hom. X. in Genes., Cyprian. ep. LVI. Confer. Grancolas. l' en Sacramentaire part. 1. pag. 294.
(*f*) Justin. martyr. apolog. 2.

suam deferebant, ut quotidie illa se munirent (*a*). Charitas nempe primorum christianorum non sustinebat, ut vitam sine assidua communione ducerent, præsertim quod christiani tanto præsidio ad superandas persecutiones indigerent. Vigebat initio quinti sæculi Romæ quotidiana communio, quod Hieronymus testatur, *scio Romæ*, inquiens (*b*), *hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo*. Similiter in Hispania eodem tempore fideles quotidie Eucharistiam sumebant (*c*). Augustinus de quotidiana communione varias suo tempore in Africa fuisse sententias indicat, nec cui ipse adhæreat, declarat (*d*). Et auctor librorum de *Sacramentis*, qui latet sub nomine Ambrosii, ad communionem quotidianam hortatur, sed sic vivendum monet, ut quotidie accipere mereamur (*e*).

Quando & qua ratione desuevit.

§. VII. Singulis quidem diebus primi christiani, utpote qui eximia charitate fulgerent, & assiduis tyrannorum persecutionibus impeterentur, Eucharistiam accipiebant; at ubi primum Ecclesiæ pax data est, charitas paulatim deferbuit, & simul quotidiana communio desuevit. Ætate Chrysostomi plerique christiani semel toto anno, alii bis, alii sæpius Eucharistiam accipiebant (*f*). Imo Chrysostomus affirmat, sacram synaxim fuisse celebratam, in qua nemo participaret. *Frustra est*, inquit (*g*), *quotidianum sacrificium: frustra adstamus altari: nemo est, qui participat.* Magnis lateribus hunc abusum Chrysostomus perstringit, omnesque ad frequentem communionem adhortatur. Sed jam christiani ab avita charitate desciverant, nec quotidiana communio corruptis moribus poterat sustineri. Vigebat quidem ea adhuc in multis occidentalibus Ecclesiis, sed quotidie corpus Christi accipere Hieronymus & Gennadius (*h*) nec laude nec vituperio dignum reputabant, certe quod non tanta charitate erant fideles, ut Eucharistia quotidie vescerentur: quo factum, ut quotidiana laicorum communio etiam in Occidente aboleretur. Ergo laicis permitti cœpit, ut sacris mysteriis interessent, licet Eucharistiam non sumerent; Clerici enim adhuc concelebrabant, & Eucharistiam sumebant. Interim non communicantes proxime ante communionem Ecclesia exibant, solemni oratione, quam *benedictionem* dicebant, dimissi: quo spectat Canon Concilii Agathensis: *Mis-*

(*a*) Cardin. Bona lib. 2. R. L. cap. 17. n. 4.
(*b*) Hierouym. ep. L. ad Pammach.
(*c*) Id. ep. XXVIII. ad Lucinium Bæticum.
(*d*) Aug. ep. CXVIII. ad Januar.
(*e*) Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 4.
(*f*) Chrysost. hom. XVII. in ep. ad Hebræos, Aug. de Serm. Dom. in monte lib. 2. cap. 7., Ambros. de Sacram. lib. 5. cap. 4.
(*g*) Chrysost. hom. III. in Ephes.
(*h*) Hieronym. ep. L. ad Pammach., Gennad de Dogmat. ecclesiast. cap. 53.

Missas die dominica sæcularibus audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat (*a*): nec enim eo tempore obtinebat, ut in fine Missæ populus sub solemni benedictione dimitteretur, quod Cardinalis Bona observat (*b*). Quo vero quotidianæ communionis symbolum aliquod extaret, inde institutæ sunt *eulogiæ*, hoc est panis benedictus ab Eucharistia distinctus, quem non communicantes vice Eucharistiæ in fine Missæ susciperent (*c*), atque hinc statutum, ne laici ante Missæ finem Ecclesia egrederentur.

Præceptum Ecclesiæ de sumenda Eucharistia.

§. VIII. Quando ergo rara facta est sumtio Eucharistiæ, cœpit Ecclesia Canones condere, quibus fideles ad ejus perceptionem saltem in præcipuis festis adigeret. Sæculo sexto cavit Synodus Agathensis (*d*) ut *sæculares, qui in natali Domini, Pascha & Pentecoste non communicaverint, catholici non credantur*. Et Synodus Turonensis III. an. ɪↄcccxɪɪɪ. habita (*e*), *& si non frequentius vel ter laici homines communicent*. Spectant isti Canones tantum laicos; nam Clerici adhuc frequenter Eucharistia utebantur; utpote qui cum præpositis suis concelebrabant. Refert Gratianus & Agathensem & Turonensem Canonem (*f*), sed illius sententiam etiam (*g*) Concilio Illiberitano, istum vero Fabiano Papæ tribuit: in quo ignorantia antiquitatis lapsus est; tertio enim sæculo, quo vixit Fabianus & Synodus Illiberitana habita est, quotidiana vigebat communio, tantum abest, ut laici ad trinam per annum communionem adigi deberent. Sed sæculo decimo & sequenti tantum non omnino lapsa pietate; tandem Ecclesia infirmitati filiorum se accommodans, præceptum sumendæ Eucharistiæ ad minus ad unam per annum sumtionem restrinxit: statuit enim Concilium Lateranense IV., ut fideles omnes ratione utentes omnia peccata sua proprio Sacerdoti saltem semel in anno confiteantur, & ad minus in Pascha Sacramentum Eucharistiæ suscipiant, alias excommunicentur, & mortui ecclesiasticâ careant sepultura (*h*). Quem Canonem Tridentini Patres confirmarunt (*i*). Paschæ nomine in hac causa & hebdomada major & integra octava Paschatis venit: quod Eugenius IV. (*k*) declaravit. Quo vero præcepto communionis satisfiat, sumere Eucharistiam omnes

(*a*) Conc. Agath. Can. XLIV.
(*b*) Card. Bona lib. 2. R. L. cap. 16. n. 3.
(*c*) Conc. Nannetense an. 890. Can. IX.
(*d*) Conc. Agath. Can. XVIII.
(*e*) Conc. Turonense III. Can. L.
(*f*) Can. XVI. & XIX. de Consecr. D. 2.
(*g*) Can. XXI. eod.
(*h*) Cap Omnis utriusque sexus XII. ext. de Pœnitent. & remissionib.
(*i*) Trid. sess. XII. Can. IX. de Eucharist.
(*k*) Eugen. IV. Bull. Fide digna XX. in Bullar. Romano.

nes debent vel in Ecclesia cathedrali, quæ communis parœcia reputatur, vel in propria parochia, ut ita saltem semel in anno grex pastori adhæreat suo: nec sine Episcopi vel proprii Parochi venia, qui alibi accipiunt Eucharistiam, præcepto satisfecisse censentur (*a*); quamvis ad fovendam pietatem in omnibus Ecclesiis alias liceat Eucharistiam accipere. Et per sacrilegam communionem illuditur potius præcepto, quam satisfit in foro interno; Ecclesiæ enim lex spectat divinæ legis executionem: & jure divino judicium sibi manducant & bibunt, qui ad sacram mensam indigni accedunt (*b*). Sed de consilio proprii Sacerdotis ultra tempus Paschale ob justam caussam communio impune differtur, quod ipse Canon Lateranensis edicit.

Etiam hodie Ecclesia inculcat frequentem communionem.

§. IX. Quamvis autem in nova disciplina ad minus semel in anno christiani Christi corpus sumere teneantur; cave tamen putes, Ecclesiæ mentem esse, ut tantum semel in anno ad sacram mensam accedant. Sane exoptat etiam nunc Ecclesia, ut fideles frequenter Eucharistia utantur. Tridentini Patres hortantur omnes fideles, ut *panem illud supersubstantialem frequenter* suscipiant (*c*), optantque ut in singulis Missis fideles adstantes etiam reipsa Sacramentum sumant (*d*). Et quî alias tenere & docere potest Ecclesia, quando Eucharistia cibus est, quo spiritualis vita sustinetur? Annua communio tantum liberat à pœnis, non vero christianos perfectos facit. Nec præceptum obligat ad unam annuam communionem, sed *ad minus* ad unam. Ergo recte facient christiani, si sæpius per annum sumant Eucharistiam. Utrum autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa pro omnibus regula præscribi non potest, sed illa es regula certissima, quam Ambrosius, sed quisquis auctor sit librorum de Sacramentis, proponit, *sic vive, ut quotidie merearis accipere* (*e*). Et sane ad quotidianam communionem summa animi puritas & eximia charitas est necessaria: ac propterea non facile permittendum, ut singulis diebus Eucharistia sumatur. Et rectissime Innocentius XI. mandat confessariis, ut pro sapientia sua singulos ad frequentiorem rarioremve communionem dirigant (*f*).

CA-

(*a*) Fagnan. in cit. cap. 12.
(*b*) Conf. Drouven. de Re Sacram. lib. 4. q. 8. cap. 2.
(*c*) Trid. sess. XIII. cap 8.
(*d*) Id. sess. XXII. cap 6.
(*e*) Ambros. de sacram. lib. 5. cap. 4.
(*f*) Ap. Bened. XIV. de Synod. diœces. lib. 7. cap. 12. n. 8.

CAPUT XVI.

De Missarum celebratione.

Notio vocum Missæ & λειτουργίας.

§. I. Nomen *Missa* non Hebraicum nec Germanicæ originis, sed latinum est, à mittendo seu dimittendo populo factum: atque adeo Missa eadem est ac missio seu licentia discedendi, quod Cardinalis Bona plenissime demonstrat (*a*). Scilicet in sacris conventibus multæ fiebant dimissiones, quibus quotquot immorari amplius non poterant, vel fideles omnes dimittebantur, à quibus dimissionibus integro officio *Missæ* nomen inditum est (*b*). Et quoniam omnibus sacris officiis finitis fiebant dimissiones, in antiquis monumentis officia quævis ecclesiastica *Missæ* dicuntur: nec *Missæ matutinæ & vespertinæ* (*c*) aliud sunt; quam matutinæ & vespertinæ preces. Imo præsertim in regulis Monachorum Missæ pro ipsis lectionibus usurpantur (*d*). Quod Latini Missam, Græci, sed diversa originatione, λειτουργίαν appellant. Vox enim λειτουργία publicum ministerium sive profanum sive sacrum denotat, quod Casaubonus (*e*) observat; sensu vero strictiore significat omnia sacra officia, idque quod publice peragantur. Sed si liturgia cum epitheto *mystica* vel *sacra* dicatur, tum plerumque in veteribus monumentis denotat Eucharistiæ celebrationem. Nomina ἱερὰ ἱερουργία & θυσία ejusdem cum liturgia sunt significationis, sed ut plurimum officium eucharisticum denotant (*f*). Interim posteriori ætate Missæ nomen admodum restrictum est; recepta enim notione fere tantum denotat integram sacrificii divini celebrationem secundum formulas & ritus ab Ecclesia præscriptos, quo sensu de Missa deinceps agemus.

Liturgia primorum sæculorum simplicissima.

§. II. Jam vero inde usque ab initio nascentis Ecclesiæ officium eucharisticum certo ordine precum celebratum est, quæ simul cum verbis Christi integrum cursum eucharisticum confecerunt. Apostolis enim & eorundem successoribus Christus dedit, ut æquius melius sacra officia ordinarent. Sed quæ fuerint preces istæ & hymni, quos Ecclesia verbis Christi addidit, plane non constat. Certe vero secundo sæculo simplicissima erat liturgia, quod ex Justino mar-

(*a*) Cardin. Bona lib. 1. R. L. cap. 1.
(*b*) Isidor. lib. 6. Origin. cap. 19.
(*c*) Conc. Agath. Can. XXX.
(*d*) Confer. Cangius V. Missa.
(*e*) Casaub. exercit. 16. in Baron. n. 41.
(*f*) Confer. Bingh. Orig. eccles. lib. 13. cap. 1. §. 8.

martyre constat, qui eam ita describit (*a*). Die solis omnes, qui in oppidis & agris morabantur, in unum locum conveniebant: inde Scripturæ legebantur, & Antistes sermonem habebat. *Tum simul consurgimus omnes, & precationes fundimus, & sicuti retulimus, precibus peractis, panis offertur vinum & aqua: & præpositus itidem, quantum potest, preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauste acclamat, dicens, amen. Et distributio communicatione quæ fit eorum, super quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti, absentibus autem per Diaconos mittitur.* Simplicissima erat ista liturgia, prout tempus postulabat. Cui ordini si conferantur liturgiæ quæ SS. Jacobi, Matthæi & Marci nomen præferunt, facile apparebit, eas omnino apochryphas esse: adeo à Justini absunt simplicitate, quod vir doctus Nicolaus le Nourry pluribus demonstrat (*b*).

Variæ Ecclesiarum liturgiæ.

§. III. Quicunque vero fuerit ordo liturgiæ, quæ primis sæculis obtinebat, temporis lapsu post pacem Ecclesiæ datam, majori pompa & apparatu cæremoniarum sacra mysteria celebrari cœperunt, sed non uno & perpetuo in omnibus Ecclesiis ritu: dispares enim diversarum gentium mores diversas liturgias postulabant. Et singuli Episcopi libertate sua in suis diœcesibus varias condiderunt liturgias, in quibus verba Servatoris potiorem partem constituebant. Hinc variæ olim & apud Græcos & Latinos celebratæ sunt liturgiæ. Inter Græcos eæ in primis eminent, quæ Basilio & Chrysostomo tribuuntur, quæ quamvis initio ab ipsis compositæ esse possint, tot tamen inde additiones receperunt, ut non facile quid primum illi auctores ediderint, discernatur. Liturgiæ autem istæ fortasse scriptis non erant consignatæ, sed memoria potius & praxi videntur conservatæ (*c*), saltem pro ea parte, quæ preces ad altare fieri solitas spectat; constat enim ex Basilio (*d*), verba, quibus sacra mysteria fiebant, scripto non fuisse consignata. Sed in Occidente paulatim omnes unius provinciæ Ecclesiæ ad ordinem Ecclesiæ metropolitanæ adstrictæ sunt (*e*), quæ sane æquum erat, ad precuum unitatem inducendam. Postquam vero imperium Romanum Occidentis in varia regna tributum est, ortus est usus liturgiarum singulis nationibus peculiarium, quales Gallicana, & Hispanica, quam vulgo dicunt *Mozorabicam*; occupata enim ab Arabibus Hispania, christiani, quod essent Arabibus permixti, *Mixtarabes*, & corrupta voce *Mozorabes* dicebantur. In Italia erant liturgiæ Ro-

(*a*) Justin. martyr. apol. 2.
(*b*) Nicolaus le Nourry Appar. ad Biblioth. maximam veterum Patrum diss. XI. cap. 2. §. 10.
(*c*) Confer. Renaudot. Collect. liturgiar. oriental. diss. I. Bingh. Orig. eccles. lib. 13. cap. 5. §. 3.
(*d*) Basil. de Spir. sanct. cap. 27.
(*e*) Conc. Agath. Can. XXX. Epaon. Can. XXVII., Tolet. IV. Can. II.

Romana & Ambrosiana, quarum ista Mediolanensis Ecclesia, illa Romana & inde pendentes Ecclesiæ utebantur.

Liturgia Romana in toto fere Occidente recepta.

§. IV. Occidentales Ecclesiæ diu in sacris mysteriis & reliquis officiis celebrandis proprias retinuerunt liturgias, sed inde præsertim opera Pontificum Romanorum ritum & ordinem Ecclesiæ Romanæ receperunt. Inde usque à primis sæculis id sibi datum crediderunt Pontifices, ut suæ Ecclesiæ ritus longe lateque diffunderent, præsertim per occidentales Ecclesias, quæ à Romana fundatæ sunt, aut potius fundatæ creduntur. Ergo tempore Caroli M. Romanum ritum accepit Ecclesia Gallicana, quod probat Mabillonius (*a*): ejus enim Principis intererat sibi per omnia devincire Pontifices Romanos. Hispania autem instantia & studio Gregorii VII. tandem relicta Mozorabica Romanam liturgiam admisit (*b*). Sed remanent adhuc in Ecclesiis occidentalibus antiqui ritus monumenta; etenim Ecclesia Mediolanensis adhuc ritu Ambrosiano utitur, nec unquam passi sunt Mediolanenses ab Ambrosio sibi traditam liturgiam, quod passim receptum est, abrogari (*c*). Et in aliquibus Hispanicis Ecclesiis adhuc viget ritus Mozorabicus. Nihil vero officit ritui Romano, quod peculiares Ecclesiæ & regulares habeant proprios festos dies & peculiares aliquot ritus: nam ritus uniformitas ex forma & dispositione Missæ & unitate Canonis dependet, quod Cardinalis Bona (*d*) observat. Sed Romanus ritus non idem semper fuit. Ubi enim Sedes apostolica negotiorum multitudine obrui cœpit, duplex in urbe fuit divini officii modus, unus brevior, quo Romana curia, sive capella Pontificis utebatur, alter prolixior pro cæteris Ecclesiis urbis, qui proprie ritus Romanus dicebatur. Ex his duobus officiis fratres minores officium curiæ amplexi sunt. Sed Nicolaus III. ab Ecclesiis urbis libros liturgicos abstulit, & *mandavit, ut de cætero Ecclesiæ urbis uterentur libris & breviariis fratrum minorum, unde hodie in Roma omnes libri sunt novi & Franciscani*, ut loquitur Rodulfus decanus Tungrensis (*e*) vir doctissimus & sacrorum Canonum peritissimus, qui sub finem sæculi XIV. scribebat.

Missa alia catechumenorum, alia fidelium.

§. V. Jam vero ex veteri disciplina Missa proprie sic dicta alia catechumenorum, alia fidelium erat, quæ partitio ab arcani disciplina profecta est. Scilicet mysteria nostra ethnicos & Judæos latebant, nec iis hæretici, excommunicati & pœnitentes poterant interesse: contra vero psalmodia, Scripturarum lectio & subsequens verbi Dei prædicatio ad omnium institutionem pertinebant. Ergo *Missa catechumenorum* ea divini cultus pars erat, quæ communes communicantium preces ad altare antecedebat, continebatque propterea psalmodiam, Scripturarum lectionem, sermonem & speciales preces pro catechumenis, energumenis, & pœnitentibus, eique usque ad sermonis finem etiam ethnicis & Judæis licebat interesse (*a*). Hinc Patres in suis concionibus, quas in hac Missæ parte habebant, sæpe contra gentes, sæpe contra hæreticos tractant. Quotquot autem intererant, tempore & ordine suo clamante Diacono, Ecclesia egrediebantur (*b*). A catechumenis autem hæc Missa dicta videtur, quod olim major esset catechumenorum, quam pœnitentium numerus, ut Vicecomes (*c*) arbitratur. *Missa fidelium* continebat omnes preces ante altare fieri solitas, incipiebatque ab oblatione usque ad finem, eique tantum communicantes intererant. Hinc reliqui omnes sive profani sive pœnitentes dimittebantur: portæ Ecclesiæ claudebantur, easque Diaconi & Hypodiaconi, ne profanorum & indignorum aliquis intraret, custodiebant (*d*). Sed lapsu temporis in utraque Ecclesia desiit solemnitas Missæ catechumenorum; ubi enim nulli amplius fuerunt infideles, & Baptismi, Pœnitentiæ & sacræ liturgiæ in multis mutata est disciplina, pro maxima parte cessavit, & ad ipsum altare omnes passim cœperunt irrumpere, mysteriisque, etsi non participent, intersunt. Cæterum Græci retinent pristinum morem dimittendi catechumenos, licet in eorum Ecclesiis catechumeni nulli sint (*e*).

(*a*) Mabillon. præf. ad libros de Liturgia Gallicana.
(*b*) Espen. part. 2. tit. 5 cap. 1.
(*c*) Confer. Murator. diss LVII. Antiq. Italic.
(*d*) Cardin. Bona lib. 1. R L. cap. 7. n. 5.
(*e*) Rodulfus Tungrensis lib. de Canonum observantia, Confer. Bona loc. cit. n. 7.

Missa publica.

§. VI. Celebris vero est Missæ distinctio in *publicam* & *privatam*, quæ partitio non à loco, ubi Missa celebratur, sed à frequentia vel infrequentia populi circumstantis, offerentis & communicantis derivata est. Itaque publica Missa, quæ & *legitima* vocabatur, nunc vero passim audit *conventualis*, *canonica*, *capitularis* & *major*, ea erat, ad quam populus cum suo pastore conveniebat & communicabat, Clerici vero adstabant, suorum ordinum officia exercentes. Hinc veteres hanc Missam *collectam* & *synaxim* appellarunt, quod fideles una colligerentur ad offerendum & communicandum. Et quæ Missæ in monasteriis fiebant, quamvis in monachorum frequentia & cæremoniarum apparatu celebratæ, publicæ non erant, quod ad eas populus non conveniret (*f*). Nempe sacrificium initio principaliter institutum fuit, ut publice in cœtu fidelium communicantium

(*a*) Conc. Carthag. IV. Can. LXXXIV., Conc. Valentin. Can. I.
(*b*) Confer. Binghamus Orig. ecclesiast. lib. 14. cap. 5.
(*c*) Vicecomes lib. 10. de Missæ ritib. cap. 1.
(*d*) V. Cardin. Bon. lib. 1. R. L. cap. 16. n. 6.
(*e*) Morin. de Pœnit. lib. 6. cap. 10. n. 6.
(*f*) Gregor. M. lib. 4. ep. XLIII. Conf. Espen. part. 2. tit. 5. cap. 2.

tium fieret, quod totius Missæ ordo & œconomia satis superque demonstrat. Orationes & ipsa Canonis verba plurali numero concepta sunt, populum Sacerdos salutat, eum ad orandum invitat & multa recitat, quæ populi supponunt communionem (*a*). Etenim quotquot primis sæculis Missæ præsentes erant, offerebant & de oblatis participabant (*b*), exceptis pœnitentibus, qui *consistentes* dicebantur: hi enim in solis precibus sine oblatione communicabant (*c*). Sed temporis lapsu quum plane desiissent fideles frequenter Eucharistiam sumere, factum est, ut Missa publica & solemnis diceretur, quæ cum cantu & cæremoniarum apparatu fit, quamvis nemo aut pauci ad sacram mensam accedant.

Missa privata.

§. VII. Missa *privata* ea est, quæ sine cantu & cæremoniarum apparatu à solo Sacerdote celebratur, uno dumtaxat ministrante, sive pauci alii vel nulli intersint, sive solus Sacerdos, sive alii etiam Eucharistiam sumant. Privatæ Missæ perpetuus usus fuit in Ecclesia, quod Cardinalis Bona & N. Alexander (*d*) pluribus probant, at postquam desiit frequens fidelium communio, & mos invaluit, ut pro singulis, qui stipendia offerrent, sacrificium fieret, supra modum privatæ Missæ multiplicatæ sunt; singuli enim Sacerdotes cœperunt quovis die privatim celebrare. Cæterum exoptat Ecclesia, ut fideles, qui Missæ intersunt, etiam reapse Eucharistiam sumant (*e*): sic enim Missæ œconomiæ omnia respondent. Et profecto non bene de re christiana meriti sunt, qui primum fidelium adstantium communionem post Missam rejecerunt. Ergo quo Missæ œconomiæ actiones externæ belle conveniant, serio parœci curare debent, ut communio post Missam sine justa causa non administretur: idque obtinebunt nullo negotio, si fideles de legitimo tempore communionis ejusque uberiore fructu edoceant. Ita fiet, ut saltem in Missis parœcialibus semper adsint, qui corpus Christi sumant. Cæterum si nemo sit præter celebrantem, qui oblata percipiat, non propterea sacrificii integritati quidquam deest, aut eæ Missæ illicitæ sunt & abrogandæ; siquidem illæ quoque Missæ, in quibus unus Sacerdos Eucharistiam sumit, etiam publicæ sunt, partim quod in eis populus spiritualiter participat, partim quod à publico Ecclesiæ Ministro pro omnibus fidelibus celebrantur, quod contra hæreticos privatæ Missæ infensissimos hostes docent Tridentini Patres (*f*).

Mis-

(*a*) Confer. Card. Bona lib. I. R. L. cap. 13. n. 2.
(*b*) Can. X. apost. Conc. Antioch. Can. II.
(*c*) Conf. Morin. de Pœnit. lib. 6. cap. 17. n. 6.
(*d*) Bona lib. I. R. L. cap. 14., N. Alexander Theol. dogm. & mor. lib. II. de Eucharist. cap. 6. art. 5
(*e*) Trid. sess. XXII. de Sacrif. Missæ cap. 6.
(*f*) Trid. loc. cit.

Missa solitaria.

§. VIII. Distat autem à privata Missa, quæ saltem uno ministrante & præsente celebratur, Missa *solitaria*, quam nemine ministrante & præsente Sacerdos unus idemque celebrat. Id Missæ genus octavo sæculo primum monachi in suis solitariis cellis, ut propriæ devotioni, aut potius simplicitati satisfacerent, instituerunt, tum reliqui sæculares Presbyteri arripuere. Sed Ecclesia multis editis Canonibus Missas solitarias statim inventas prorsus eliminavit, quod absurdum erat, Sacerdotem, qui solus agebat, dicere *Dominus vobiscum, sursum corda, gratias agamus, oremus* (*a*). Interim non defuerunt, qui invitis sacris Canonibus solitarias Missas licitas judicarunt, in primis Petrus Damianus peculiari opusculo ad Leonem inclusum sive eremitam, quod *Dominus vobiscum* incripsit. Non absurde scilicet solitarios dicere posse *Dominus vobiscum* Damianus existimabat, quod Ecclesia est una in multis & tota in singulis: atque ita solitarias Missas celebrantes universam Ecclesiam salutare. Satis mystica explicatio, quæ vim infert toti Missæ œconomiæ. Et fortasse rectius tenebant, qui vel ante Petrum Damianum ne mendaces viderentur, si uno præsente sacris operarentur, ad celebrationem saltem duos præsentes requirebant, ut vere dicere possent *Dominus vobiscum, orate fratres*: quo spectat Canon quidam apud Gratianum falso Soteri Papæ (*b*), ab aliis Anacleto tributus: nec enim horum Pontificum tempore statuere necesse erat, ut duobus saltem præsentibus sacra mysteria fierent. Formulis Missæ satis convenienter isti judicabant; ac jamdiu obtinet, ut etiam uno tantum præsente & ministrante recte Missa celebretur.

Missæ concelebratio.

§. IX. Nec tantum Missæ legitimæ Clerici aderant sui ordinis munia implentes; verum etiam præsentes Episcopi & Presbyteri celebranti adhærebant & concelebrabant, et ejusdem sacrificii participes erant, ut pluribus Morinus demonstrat (*c*). Sane apostolicæ sic dictæ constitutiones (*d*) Episcopum describunt sacris operantem cum Presbyteris circumstantibus, offerentibus & communicantibus. Et Athanasius (*e*) Ischyræ calumniatori suo exprobrat, quod numquam cum aliis Presbyteris fecerit synaxim. Eundem morem Canones apostolici, Concilium Toletanum I. & Arvenense (*f*) aliaque monumenta supponunt. Et in Concilio Chalcedonensi Bassianus Episcopus

(*a*) Conc. Moguntin an. IϽCCCXIII. Can. XLIII. c., Conc. Parisiense VI. lib. I. cap. 48. Conc. Nennatense ap. Ivonem part. 3. c. 7.
(*b*) Can. LXI. D. I. de Consec.
(*c*) Morin. de Sacr. ordinationib. part. 3. exercit. 8. cap. I.
(*d*) Const. apost. lib. 8. cap. 2. & seqq.
(*e*) Athanas. apol. II.
(*f*) Can. apost. VIII., Conc. Tolet. I. Can. V. Conc. Arvern. Can. XIV.

pus de Stephano Presbytero suo dixit: *Quatuor annis Missas mecum celebrabat, mecum communicabat.* Concelebrantes autem Presbyteri etiam mystica consecrationis verba proferebant, & nunc proferunt. *Mos est*, inquit Amalarius (*a*), *Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione immolationis Christi adsint Presbyteri, & simul cum Pontifice verbis & manu conficiant.* Initio sæculi XIII. in Ecclesia Romana adhuc vigebat concelebratio (*b*), inde paulatim desiit in Occidente, apud Græcos vero adhuc obtinet; tantumque apud Latinos ejus vestigia in Missa, qua ordinantur Episcopi & Presbyteri, supersunt. Perstringit concelebrandi ritum audacter & temere Durandus, quem multi ex scholasticis secuti sunt, quorum aliqui negant, Ecclesiam Romanam unquam concelebrationem usurpasse: alii incommoda & pericula, ubi nulla sunt, somniarunt: quod nempe posset contingere, ut quis materiam consecratam consecret, vel consecret corpus, non sanguinem, prout nempe retardet vel festinet mystica verba pronunciare. Sed integra concelebratio quamvis à multis fiat, una moralis actio est: ac proinde tum oblata consecrata censentur, quum integra moralis actio peracta est. Desiit vero apud Latinos concelebratio præsertim quod fundatis ordinibus mendicantium & longe lateque diffusis, multiplicata sunt onera Missarum, atque ideo necesse fuit singulos Sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatim celebrare (*c*).

In Missa verum sacrificium offertur.

§. X. Jam vero in eo Missa stricte dicta à reliquis officiis ecclesiasticis distat, quod in ea perenne christianæ religionis proprium sacrificium peragitur. Generatim sacrificii nomine omne bonum opus propter Dei gloriam susceptum venit (*d*); at in specie & receptiori sensu venit oblatio rei sensibilis cum illius immutatione à legitimo Ministro peracta ad Dei cultum & propitiationem. In Missa autem corpus & sanguis Christi per Sacerdotem offeruntur, & vi divinarum verborum μυστιχῶς immutantur; siquidem vi consecrationis corpus à sanguine separatur, existitque tantum corpus sub specie panis, tantum sanguis sub specie vini (quamvis & sanguis sub specie panis, & corpus sub specie vini per necessariam unionem existat, quod Christus à mortuis resurgens jam amplius non moritur); idque ad victimæ immutationem in incruento sacrificio sufficit: spectatque universa actio Dei cultum & propitiationem: quæ omnia perpetua traditione semper Ecclesia docuit (*e*). Scilicet Jesus Chris-

(*a*) Amalar. lib. 1. de Offic. cap. 12.
(*b*) Innoc. III. lib. 4. de Myster. Missæ cap. 25.
(*c*) Confer. Cardin. Bona lib. 1. R. L. cap. 18. n. 9.
(*d*) Psalm. CXV., ad Hebr. XIII. 16., Aug. lib. 10. de Civ. Dei cap. 6.
(*e*) Confer. Juenin. de Sacram. diss. V. quæst. 1. cap. 2. & 3. & Drouven. de Re Sacrament. lib. 5. quæst. 4.

Christus pridie quam pateretur, quo cruentum illud, quod in cruce erat immolandum, sacrificium repræsentaret, ejusque memoria in sæculi finem permaneret, sacrificium incruentum sub speciebus panis & vini instituit, quo eadem hostia in cruce oblata offertur, ut virtus sanguinis Christi in remissionem eorum, quæ quotidie homines peccant, applicaretur. Quapropter idem Christus, qui in ara crucis semel sanguinem effudit, in Missa offertur & incruente immolatur. Nec propterea de vi sacrificii crucis quidquam decedit, aut ad nostram salutem satis non fuit sanguis Christi semel effusus; nam Missæ sacrificium totum inde pendet, & ab eo virtutem mutuatur suam, imo potius vim sacrificii crucis in nos derivat (*a*).

Essentia sacrificii Missæ.

§. XI. Tota autem sacrificii Missæ essentia in consecratione posita est, quod S. Thomas, & optimi quique theologi (*b*) docent. Duo nempe sacrificii naturam constituunt victimæ immutatio & oblatio: consecratio autem modo convenienti hostiam mutat, corpus enim exangue vi sua sistit & sanguinem μυστιχῶς effundit: eademque victimam non verbis, sed reipsa Deo repræsentat. Essentia ergo sacrificii Missæ tota in consecratione consistit. Ad rem Chrysostomus (*c*): *Vox illa, hoc est corpus meum, usque ad Christi adventum præstat sacrificio firmitatem:* quæ eadem est Justini martyris, Irenæi aliorumque veterum Patrum doctrina. Quoniam vero panis & vinum per consecrationem ad esum & potum ordinantur; hinc specierum sumtio non ad essentiam, sed ad integritatem sacrificii pertinet. Itaque Sacerdotes celebrantes utramque speciem jure divino sumere tenentur; perficere enim debent sacrificium. Quæ quum ita sint, Missa *sicca*, quæ Missæ seriem præter oblationem, Canonem, consecrationem & sumtionem continet, larva quædam est & simulatio veræ Missæ, sicca proculdubio & omnino jejuna, quod consecratione & sumtione careat. Eadem etiam *nautica* dicta est, quod in mari celebrari soleret, in quo sacrificium sine periculo effusionis vix poterat celebrari. Nata est Missa sicca ab intempestiva & privata quorundam devotione; qui quod vera Missa carerent, ejus larva uti voluerunt, ejusque sæculo XIII. & deinceps non exiguus usus fuit: nunc vero provida Episcoporum cura ubique videtur obliterata: quæ omnia de Missa sicca late Cardinalis Bona proponit (*d*).

Mis-

(*a*) Trid. sess. XXII. cap. 1. Con.. N. Alexand. lib. 2. Theol. dogm. & mor. de Sacram. Eucharist. cap. 6. art. 1.
(*b*) S. Thom. part. 3. quæst. 82. art. 10. Drouven. de Re Sacram. lib. 5. q. 5.
(*c*) Chrysost. hom. de prodit. Judæ.
(*d*) Card. Bona. lib. 1. R. L. cap. 15. n. 6.

Missæ sacrificium tantum Deo offertur.

§. XII. Soli autem Deo, non Angelis & Sanctis cum Christo regnantibus Missæ offertur sacrificium; ad cultum enim uni Deo debitum, qui Græce λατρεία dicitur, sacrificiorum oblatio pertinet: quæ catholicæ Ecclesiæ doctrina est. Constat enim ex omnibus liturgiis & Latinis & Græcis Deo tantum Missæ sacrificium olim oblatum fuisse & nunc offerri. Et calumniantur profecto protestantes, dum declamant, in Ecclesia Romana etiam Sanctis sacrificium offerri. Etenim quamvis in honorem & memoriam Sanctorum sacrificia Ecclesia offerre consueverit; non tamen illis sacrificium offertur, aut unquam oblatum fuit, sed soli Deo, qui illos coronavit. Hinc nunquam Sacerdos dicere solet, *offero tibi sacrificium Petre & Paule*, sed Deo de illorum victoriis gratias agit, & eorum patrocinia implorat, quod Tridentini Patres (*a*) ex sententia totius antiquitatis docent. Sane Cyprianus (*b*) dies, quibus martyres è vita excedebant, jussit adnotari, *ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* Apertius Augustinus (*c*) profitetur, populum christianum memorias martyrum celebrare ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur atque orationibus adjuvetur; martyribus vero non offerri sacrificia, sed quod offertur, quamvis in memoriis martyrum, Deo, qui illos coronavit, offerri. Quapropter Tridentini Patres anathema iis merito dixerunt, qui Missas in honorem Sanctorum celebrare veluti imposturam traducunt (*d*).

Virtus sacrificii Missæ.

§. XIII. Missæ autem sacrificium eo ipso quod in Dei cultum & gratiarum actionem offertur, ad peccatorum etiam remissionem prodest, & bona omnia hominibus procurat. Sed virtus sacrificii, quæ peccata expiat & bona hominibus procurat, fructum infinitum in eos, pro quibus offertur, non derivat. Scilicet virtus sacrificii Missæ ratione rei oblatæ & Christi principis offerentis infinita est; at non propterea infinitum effectum producit, secus superflua esset ejusdem sacrificii repetitio. Convenit in hoc Missæ sacrificium cum crucis sacrificio, quod infiniti valoris quoad effectum non fuerit. Virtus autem ista sacrificii Missæ ex Dei voluntate in eos, pro quibus offertur, ea mensura derivatur cujus per fidem & propriam dispositionem capaces sunt. *Non enim*, inquit Petrus Soto (*e*), *quantum celebrans intendit aut vult, consequitur is, pro quo celebrat, sed quantum sua fides & devotio digna vel capax est.* Et S. Thomas (*f*) do-

(*a*) Trid. sess. XXII. de sacrif. Missæ cap. 3.
(*b*) Cyprian. ep. XXXVII.
(*c*) Aug. lib. 20 contra Faustum cap. 3. & lib. 22. de civ. Dei cap. 10.
(*d*) Trid. loc. cit. Can. V.
(*e*) Petr. Soto de sacrif. Missæ lect. VII.
(*f*) S. Thom. part. 3. quæst. 79. art. 7.

docet, Missæ sacrificium *non habere effectum nisi in illis, qui conjunguntur huic Sacramento per fidem & charitatem.* Hinc monendi sunt fideles, Missæ virtutem non ex magnitudine honorarii æstimandam, sed potius ex ejus, qui illud offert, religione & charitate. Et melius & utilius fidelibus est, inquit idem Soto, *adstare sacrificio Missæ, & fide & devotione illi conjungi, quam curare, ut pro se sæpius celebretur:* qui enim adstant Missæ sacrificio, una cum Sacerdote suo modo offerre censentur. Quapropter Ecclesia inde usque ab initio omnibus fidelibus præscripsit, ut diebus dominicis & festis sacræ liturgiæ ex religione adessent, nec unquam mandavit ut quisquam pro se Missas celebrandas curaret (*a*). Et quamvis Sacerdotis intentio, præsertim si justus & Deo acceptus sit, multum prosit; tamen tantum Deo commendat illos, pro quibus orat; valoris autem æstimationem Deo relinquit.

Pro quibus possit offerri Missæ sacrificium.

§. XIV. Pro omnibus hominibus, qui adhuc in vivis sunt, etiamsi excommunicati, Judæi & ethnici sint, maxime vero pro fidelibus, qui cum Ecclesia communicant, offertur Missæ sacrificium. Deus enim vult omnes homines salvos fieri, & pro omnibus Christus in cruce passus est. Offertur quoque Missæ sacrificium pro fidelibus in Domino mortuis, sed nondum plene expiatis, quod perpetua traditione docet Ecclesia (*b*). Imo & pro Sanctis in cœlo regnantibus sacrificia offeruntur, quod universa testatur antiquitas, & liturgiæ omnes palam faciunt, in quibus pro Martyribus, Apostolis & Prophetis, & ipsa beata Virgine sacrificia oblata reperiuntur. Sed pro Sanctis oblata sacrificia non ad culpæ aut pœnæ remissionem prosunt; nihil enim coinquinatum in cœlum intrat; sed sunt sacrificia laudis & gratiarum actionis in Deum, qui Sanctos illos coronavit. *Injuria est*, inquit Augustinus (*c*), *pro martyre orare cujus nos debemus orationibus commendari.* Et alibi docet, sacrificia pro valde bonis oblata gratiarum actiones esse, pro non valde malis propitiationes; pro valde malis etsi nulla adjumenta mortuorum, qualescunque tamen virorum consolationes. Et Cyrillus Hierosolymitanus (*d*) ideo in sacris liturgiis Sanctorum mentionem fieri affirmat, *ut Deus propter illorum orationes & deprecationes nostras suscipiat preces.* Quæ doctrina quamvis vera sit, tamen in veteri disciplina pro mortuis in Christo non semper in gratiarum actionem sacrificia oblata sunt; alicubi enim memoria Sanctorum facta est, ut citius in resurrectione partem haberent. Scilicet veterum nonnulli non adhuc omnium dogmatum nostrorum detecta veritate, opinio-nem

(*a*) Espen. part. 2. tit. 5. cap. 4. n. 28.
(*b*) Drouven de re Sacrament. lib. 5 9. 7.
(*c*) Aug. serm XVII. de verbis Apostoli.
(*d*) Cyril. catech. mystag. V. n. 6.

nem de millenario sive regno Christi mille annorum in terra ante extremi judicii diem fovebant, simulque tenebant, fore, ut alii maturius, tardius alii in hoc regno resurgerent, prout in vita vixerant: quo fiebat, ut pro justis orarent, ut citius resurgerent, & partem in prima resurrectione haberent (*a*). Sed hæc potius theologorum sunt.

Panis & vini oblationes ad altare.

§. XV. Jam vero solemnis mos olim in Ecclesia obtinuit, ut fideles tempore oblationis ad altare res sacrificio congruentes offerrent, quæ veluti sacrificii pars quædam habebantur, indicabantque, christianos una cum Sacerdote sacrificium offerre. Ergo ad altare offerebantur panis & vinum (*b*). Et unus ex Canonibus apostolicis etiam oleum, incensum & novas spicas & uvas offerri permittit (*c*): quod vel ad usum sacrificii inserviebant, vel veluti elementa panis & vini censebantur. Cætera quæ ad usum sacrificii proxime non cedebant, ad Episcopi domum mittebantur (*d*); & pecuniæ etiam injiciebantur in arcam quæ in eum finem publice in Ecclesia prostabat. Sed in Gallia cujuscunque generis oblationes & munera ad altare delata videntur (*e*). Non omnes ad altare christiani offerre tenebantur, sed tantum qui poterant & divites erant (*f*), & in Eucharistia communicabant: indignum enim visum est, ut qui de Eucharistia non participabant, elementa unde conficiebatur, offerrent: quo factum, ut jus offerendi & us sumendæ Eucharistiæ conjuncta essent, & unum ab altero penderet (*g*). Hinc catechumenorum, pœnitentium & publicorum peccatorum oblationes rejiciebantur: imo consistentes, qui communicabant in precibus sine Eucharistia, quousque Eucharistia non donabantur, nec oblationes ad altare faciebant. Facta oblatione nomina offerentium à Diaconis publice recitabantur (*h*), qua in re multi adeo vanæ gloriæ cupidi erant, ut furari non erubescerent, quo majora dona ad altare se obtulisse nuntiarentur, quod Hieronymus testatur (*i*). Ex his oblationibus elementa ad Eucharistiam desumebantur (*k*), reliquum vero alendis Clericis & pauperibus inserviebat. Videtur usus oblationum ad altare ab agapis cœpisse: erant agapæ sacra convivia inter fideles sumtu ditiorum agitari solita, quibus conjuncta erat Eucharistia: qua stante disciplina etiam cætera edulia in Ecclesiam deferebantur. Inde quum agapæ ab Eucha-

(*a*) Tertull. de Monog. cap. 10., Ambros. de obitu Valent. versus finem.
(*b*) Can. III. Apostol., Can. XXXVII. C. Afric.
(*c*) Can. IV. Apostol.
(*d*) Can. V. Apostol.
(*e*) Conc. Arelat. I. Can. XVI. & seq.
(*f*) Cyprian. de Operibus & eleemosyna.
(*g*) Conf. Bingh. Orig. eccles. lib. 15. cap. 2. §. 2.
(*h*) Cyprian. ep. IX. al. XVII., Innocent. I. ep. I. ad Decent. cap. 2.
(*i*) Hieronym. in Ezechiel. XVIII.
(*k*) Card. Bona lib. 1. R. L. cap. 23. n. 13.

charistia sejunctæ essent, retentus est mos ad altare id solum offerendi, quod in sacrificii usum cederet.

Lapsu temporis desierunt.

§. XVI. Solemnes ad altare panis & vini factæ oblationes diu steterunt; in aliquibus enim Ecclesiis sæculo nono adhuc vigebant (*a*). Sed ubi apud Latinos panis azymus ad Eucharistiam cœpit adhiberi, qui à Clericis parabatur, sensim defecerunt; earumque loco farina, unde panis eucharisticus fieret, oblata est: & quoniam populus Eucharistiam raro admodum sumebat, atque ideo panis parvæ molis sufficiebat, paulo post farinæ loco denarii offerri cœperunt: quod Honorius Augustodunensis (*b*), qui sæculo XII. medio scribebat, aperte testatur. Fortasse denarii farinæ substituti sunt, ubi oblatæ denarii formam induerunt, ut oblatis denariis panis eucharisticus designaretur, qui à fidelibus offerri consueverat. Sed denarii in pauperum aut sacrificii usum cedebant, quod expresse Augustodunensis addit. Inde oblatos denarios sibi Sacerdotes cœperunt vindicare: cumque satis ex bonis ecclesiasticis haberent Sacerdotes ad alimenta, desierunt fideles etiam ad altare denarios, qui amplius in usum pauperum & sacrificii non cedebant, offerre. Ita desierunt in Occidente panis & vini ad altare oblationes, unde elementa ad Eucharistiam desumebantur: nam si quid postea oblatum est: *Id nequaquam ad sacrificium*, inquit Cardinalis Bona (*c*), *sed ad Clericorum vel pauperum sustentationem & monasteriorum constructionem pertinebat.* Et si in multis Ecclesiis præsertim in pagis & oppidulis adhuc viget mos offerendi inter Missarum solemnia, oblationes istæ post Evangelium non tempore oblationis fiunt, & Parochis cedunt, modo offerentes aliud non edicant. Passim recentiores Canones desuetas oblationes restituendas inculcant, ut inde fideles religionem testentur suam (*d*): qua ratione in tantis Ecclesiarum divitiis, ubi modicæ sunt, facile possunt admitti.

Missæ honorarium quo tempore receptum.

§. XVII. Desuetis ad altare panis & vini oblationibus sensim Missarum honoraria, seu stipendia invaluerunt. Honorarii Missæ nomine venit certæ pecuniæ seu proventuum quantitas ante vel post Missam Sacerdoti in ejus usum oblata, ut in sacrificio specialem offerentis memoriam recolat. Vir doctus Jo. Mabillonius (*e*) affirmat, sæculo octavo saltem in Missis privatis fieri cœptum, ut denarii pro

(*a*) Conc. Nannetense Can. IX.
(*b*) Honor. Augustodunensis in Gemma animæ cap. 58.
(*c*) Card. Bona lib. 2. R. L. cap. 8. n. 8.
(*d*) Conc. IV. Mediolan. sub S. Carolo part. 2. cap. 15.
(*e*) Mabillon. præf. in 1. part. sæc. III. Benedict. n. 62.

pro Missa oblati in usum peculiarem Sacerdotis celebrantis cederent: quod ex regula Chrodogangi constat. Semel usurpatus mos sensim invaluit. Scilicet postquam oblationes panis & vini, imo denariorum in Missis fieri solitæ plane cessassent, qui specialem sui in sacrificio memoriam fieri cupiebant, id ante Missam oblato vel promisso denario à Sacerdotibus cœperunt postulare: nec enim ex antiquis moribus de sacrificio partem habere posse putabant, nisi simul aliquid offerrent. Oblatos vero denarios in usum proprium Clerici verterunt, quamvis non deerant, qui veteris disciplinæ præferrent castitatem, & oblatos denarios vel rejicerent, vel pauperibus tribuerent, quo nomine in primis Petrus Damianus celebratur (*a*). Disciplina, qua oblatis donariis pro se suisque fideles à Sacerdotibus petebant Missas celebrari, passim sæculo XI. recepta erat: eamque etiam promoverunt ordinationes Presbyterorum, quæ sine titulo cœperant celebrari, sine titulo enim ordinati Presbyteri ex Missæ stipendiis vivere cogebantur; talisque profecto erat Presbyter ille Comensis, qui etsi vix legere sciret, tamen ob nimiam paupertatem, utcunque Missarum solemnia celebrare cogebatur, quod Petrus Damianus (*b*) testatur.

Missæ pro singulis celebratæ.

§. XVIII. Receptis Missarum stipendiis una invaluit, ut Missæ pro singulis speciatim offerrentur, earumque exuberans fructus uni offerenti stipendium privatim prodesset. Veteri stante disciplina uni sacrificio christiani intererant, offerebant & in commune participabant, illudque pro omni & ab omni Ecclesia offerebatur, nec ullus fidelium diffidebat, ne sua meritorum portio minueretur, si alii, si complures consortes accederent; oblata enim hostia inexhaustum gratiarum fontem continebat: quod Thomassinus, Espenius (*c*) aliique viri docti observant. At labentibus annis cœperunt Missæ ita etiam offerri, ut earum potior fructus uni offerenti stipendium cederet: quæ disciplina sæculo octavo cœpit, sensimque crevit & tandem passim recepta est. Nascentem hunc morem Walfridus Strabo (*d*) nono sæculo erroris coarguit, idque quia unus Christus pro omnibus mortuus est, & unus panis & sanguis est, quem Ecclesia offert: eademque Eugenii II. in Concilio Romano sententia videtur fuisse. Sed quando non omnes Missæ adstantes offerebant, sponte sua mos invalescebat, ut Missæ privatim pro iis, qui stipendia dabant, fierent: passimque pium & salutare judicatum est oblatis stipendiis in se, in proximos, amicos vitæ compotes adhuc vel defunctos Missarum, fructum derivare. Hinc tot Missa-

(*a*) Conf. Christ. Lupus de simoniæ crimine cap. 11. tom. IV. oper. E. V.
(*b*) Petrus Damian. lib. 6. ep. 21.
(*c*) Thomass. de Benef. part. 3. lib. 1. cap. 71. num. 8., Espen. part. 2. tit. 5. n. 11.
(*d*) Walfrid. Strabo de reb. Eccles. cap. 22.

sarum legata & anniversaria, hinc Missarum privatarum numerus immane quantum excrevit, hinc desiit apud Latinos concelebratio. Cæterum non ex eo, quod privatim pro singulis Missæ passim celebrentur, propterea Missæ sacrificium non omnibus prodest. Etenim etiam hodie pro tota Ecclesia sacrificium offertur, etsi pro aliquibus speciatim Sacerdos celebret, quod Tridentini Patres (*a*) docent. Ille vero, pro quo speciatim celebratur uberiorem etiam fructum capit, modo fide & charitate donatus fructus sacrificii capax sit. Intentio enim offerentis, inquit Petrus Soto (*b*), prodest *juxta dispositionem illorum, pro quibus offertur.*

Missæ honorarium est spontanea oblatio.

§. XIX. Jam vero Missarum stipendia semel recepta nihil ex intentione Ecclesiæ continent, quo rejici & damnari mereantur: sunt enim meræ spontaneæ largitates, quæ successerunt panis & vini oblationibus: nec pretii vicem subeunt, nec in laboris dantur æstimationem (*c*). Missa enim & labor, qui in ea celebranda impenditur, sunt extra commercium: omnino gratis Deo sunt offerenda sacrificia; & quod ministris datur, qui spiritualia serunt, est medium vitæ sustentandæ, non pretium laborum. Hinc calumniantur Lutherani & Calviniani, qui dictitant, pecunias Sacerdoti celebraturo in Missæ pretium in Ecclesia Romana dari. Tantum abest, ut Ecclesia doceat, stipendia Missarum pretii vicem subire, ut potius veluti turpes & simoniacas damnet & traducat pacta & stipulationes omnes, quæ pro celebrandis Missis ineuntur (*d*). Quapropter non debent Sacerdotes tantum quod accipiunt honoraria, Missas celebrare, multo minus offerre pro iis, qui in futurum daturi sint; sed potius sacris unice propter Deum operari, sic animo affecti & comparati, ac sic nemo aliquid offerret. Et profecto væ illis, qui sacra mysteria in quæstum objiciunt. *Quid est*, inquit Cardinalis Pullus (*e*), *Missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere, tanto nequius, quanto resurgendo est sublimatus?* Utinam vero turpi quæstu aut simoniaca labe non laborarent, qui ex stipendiis Missarum vitam sustentant. Et merito S. Franciscus voluit, ut fratres sui una Missa contenti essent, præscius, inquit Alvarus Pelagius, *fratres se velle justificare per Missas, & eas ad quæstum reducere, sicut videmus hodie fieri.* Quo vero illicitis pactionibus & illiberalibus stipendiis aditus, quoad fieri potest, occludatur, pro potestate sua Episcopi stipendii quantitatem definient pro

(*a*) Trid. sess. XXII. cap. 7.
(*b*) Soto de Sacrif. Missæ lect. 7.
(*c*) S. Thomas. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 2.
(*d*) Conc. Tolet. an. 1324. Can. VI., Trid. sess. XXII. in decr. de observandis & evitand. in celeb. Missæ.
(*e*) Pullus Summ. theol. part. 7. cap. 17.

pro temporum & locorum adjunctis; nec enim necesse est, ut eleemosyna diurnam sustentationem exæquet (*a*).

Tot Missæ celebrandæ quot honoraria.

§. XX. Quamvis autem etiam in nova disciplina ubi Missæ speciatim pro singulis offeruntur, toti Ecclesiæ prosint; tamen tenentur Sacerdotes pro eo specialiter sacris operari, à quo eleemosynam acceperunt. Fidem enim suam adstringunt Sacerdotes, ut pro uno Missam offerant, nec licet venire contra pacta: & deinde damnanda est Sacerdotum avaritia, qui facile in quæstum Missæ celebrationem verterent, ubi pro pluribus stipendiis unam Missam liceret celebrare. Ergo tot Missas debent Sacerdotes celebrare, quot stipendia acceperunt, etiamsi singula stipendia sint legitimo honorario minora, quod S. C. sub Urbano VIII. decrevit. Inde etiam est, quod obligatus ad Missam ratione beneficii aut capellaniæ non potest pro eadem Missa novam eleemosynam accipere, ut decreto ejusdem S. C. comprehensum est. Et Alexander VII. eam sententiam damnavit, quæ ferebat, nec contra justitiam, nec contra fidelitatem esse *pro pluribus sacrificiis stipendium accipere & sacrificium unum offerre* (*b*). Quod si Walfridus Strabo (*c*) nono sæculo erroris eos damnavit, qui docebant, unica Missa pro pluribus stipendia dantibus non satisfieri, id ex ejus ætatis disciplina affirmavit, quando non adhuc receptus erat mos, ut pro singulis, qui stipendia darent, Missæ fierent, quod Espenius (*d*) observat. Et sane postquam invaluerant Missarum honoraria, statim recepta est sententia, non liberari Sacerdotes una Missa pro pluribus stipendiis celebrata. Hinc, quod jam vetitum erat, pluries in die sacris operari, avari Sacerdotes Missas insititias, in quibus sub uno Canone & consecratione plures Missas coacervabant, invenerunt, ut ita tot Missas facere viderentur, quod stipendia acceperant. Appellabant ejusmodi insititias Missas *bificatas* & *trificatas*, quod duas vel tres facies habebant, easque veluti monstrosas & ab avaritia profectas Petrus Cantor (*e*) improbat & detestatur. Cæterum ubi numerus Missarum adeo excrevit, ut non omnes possint celebrari, aut ubi redditus earum stipendiis addicti imminuti sunt, potest Ecclesia numerum Missarum moderari, aut eas ad taxam diœcesanam reducere (*f*).

Cui

(*a*) Confer. Benedict. XIV. de SS. Sacrif. Missæ lib. 3. cap. 2. n. 12.
(*b*) Decret. Alexand. VII die 24. Septemb. 1665. n. 10.
(*c*) Walf. Strabo de Reb. eccl. cap. 22.
(*d*) Espen. part. 2. tit. 5. cap. 5. n. 18.
(*e*) Petr. Cantor in verbo abbreviato cap. 29. Confer. Card. Bona lib. 1. R. L. cap. 15. num. 7.
(*f*) Trid. sess. XXV. de Ref. cap. 4. Conf. Espen. loc. cit. c. 7. n. 24. & seqq.

Cui Missæ & quando debeant fideles interesse.

§. XXI. Jam vero solemni & publicæ Missæ semper ac fiebat, aderant christiani; at obligatio ad Missam frequentandam præcipue diebus dominicis & festis christianos semper adstrinxit (*a*), adeo ut veteres Canones deponant Clericos, communione vero privent fideles laicos, qui in urbe degentes, tribus dominicis una in Ecclesiam non conveniant (*b*). Missa autem, cui christiani debent interesse, est publica, quæ in propria parœcia celebratur: hæc enim eo spectat, ut fideles pastori adhæreant suo, atque uno ore & spiritu Deum precentur; Parochus vero pro grege sibi commisso sacrificium offerat. Hinc Synodus Nannetensis (*c*) jubet Presbyteros antequam Missas celebrent, plebem interrogare, an alterius Ecclesiæ parœcianus adsit, qui, proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire; quem si invenerint, statim Ecclesia ejiciant. Et Canone V. addit (*d*), *nullus Presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum*, hoc est licitum, *ibi habuerit, ad Missam recipiat*. Inde etiam privatæ Missæ, quæ diebus festis à Sacerdotibus fiunt, sic debent celebrari, ut populus per eas à parœciali & publica Missa non avocetur, quod in Theodulphi Aurelianensis capitulari circa an. IOCCXCVII. edito cautum est: & male id sub Augustini nomine Gratianus exhibet (*e*), quod recte Romani correctores adnotarunt. Inde etiam passim in Canonibus cautum, ut stata & commodiori hora, Missa parœcialis celebretur.

An hodie etiam parœciali Missæ oporteat interesse?

§. XXII. Per tredecim & amplius sæcula invariata stetit disciplina, quæ fideles ad Missam parœcialem jubet convenire; at deinceps ea obligatio opera præsertim mendicantium, ex parte laxata est. Sæculo XIV. & sequenti dictitare cœperunt nonnulli ex fratribus mendicantibus juri illo, quod sacra parœcialia frequentare jubet, per privilegia ordinibus suis indulta fuisse derogatum: eoque res tandem evasit, ut alicubi in Germania ea de re Parochis & Ecclesiarum præpositis controversiam facerent. Causa ad Sixtum IV., qui ex ordine mendicantium ad pontificatum assumptus erat, delata est, & utrinque rationibus expensis decretum, ut mendicantes non prædicent, non teneri christianos diebus dominicis & festis audire Missam in propriis parœciis, quum *jure cautum sit, illis diebus parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia*, nisi ex justa fortasse causa abesse cogerentur (*f*). Sed apertis mendicantium Ecclesiis,

(*a*) Confer. Grancolas. l' Ancien. Sacram. part. 1. pag. 360.
(*b*) Conc. Sardic. Can. XV. Conc. Trull. Can. LXXX.
(*c*) Cap 2. ext. de Parochis.
(*d*) Conc. Nannetense Can. V.
(*e*) Can. LII. de Consec. D. 1.
(*f*) Extravag. 2. de Tregua & pace, inter comm.

siis, & in tanta Missarum privatarum copia vix erat, ut obligatio ista suis viribus consisteret. Itaque non amplius excommunicari solent fideles, qui ad Missam parœcialem non conveniunt. Cæterum edicunt Tridentini Patres, monendum ab Ordinariis populum, *ut frequenter ad suas parœcias saltem diebus dominicis & majoribus festis accedat* (*a*). Ergo hodie tolerat, non probat Ecclesia, ut fideles extra propriam parœciam sacris mysteriis intersint: nec spes ulla affulget, rebus ita stantibus, ut sancta Patrum disciplina restituatur.

Quo modo christiani debent Missæ interesse.

§. XXIII. Quo vero christiani cum fructu sacrificio Missæ adsint & Ecclesiæ menti satisfaciant, non sufficit corpore præsentes esse, sed necesse est, ut cum Sacerdote saltem spiritu concelebrent. Missa origine & institutione sua certe tale officium est, quod populi adstantis & concelebrantis præsentiam requirit: sæpe enim celebrans fideles salutat, sæpe ad orandum excitat, eosque mentem sursum ad cælestia erigere admonet: ipsum quoque sacrificium veluti communem adstantis populi oblationem peragit: quæ omnia in veteri disciplina, quando lingua cujusque gentis propria Missæ fiebant, & omnes fideles psallebant, & precabantur, & responsiones reddebant, erant expressiora. Et quamvis postquam sermone populis ignoto sacra mysteria facta sunt, non amplius fideles videantur concelebrare; non tamen alia facta est Missæ interna constitutio. Quo fit, ut fideles, qui linguam sacrorum ignorant, saltem spiritu celebranti adjungi debeant, animo recolentes omnes & singulas Missæ actiones. Cujus rei causa jubent Canones, ut Parochi christianos docere debeant, quid agatur in Missa, & quibus partibus constet. Et certe christianis utilius & menti Ecclesiæ conformius ipsique sacrificio convenientius est intendere ad ea, quæ in Missa aguntur, quam preces alias quantumvis pias, sed sacrificio Missæ aut respondentes, recitare (*b*). Uberior quoque erit sacrificii fructus, si adstantes ipsam Eucharistiam percipiant, quod Tridentini Patres docent (*c*), qui addunt, christianos, ubi reapse corpori Christi non communicant, saltem spiritu communicare debere. Et quo omnia tanto mysterio respondeant, quicumque Missæ adsunt, decenter composito corporis habitu & devoto cordis affectu debent interesse (*d*), & quidem integræ Missæ, quamvis tempus aliquando fuerit, quod non communicantes ante Eucharistiæ distributionem Ecclesia exirent, quod pluribus Cardinalis Bona (*e*) docet. Plu-

(*a*) Trid. sess. XXII. in decreto de observand. & evitand. in celeb. Missæ.
(*b*) Espen. part. 2. tit. 5. cap. 9. n. 25.
(*c*) Trid. sess. XXII. cap. 6.
(*d*) Trid. sess. XXII. in decreto de observand. & evitand. in celeb. Missæ.
(*e*) Bona lib. 2. R. L. cap. 16.

Plura de Missæ audiendæ ratione Grancolasius habet (*a*).

Quibus diebus Missæ celebrantur.

§. XXIV. Jam vero in veteri disciplina non omni die sacra mysteria celebrata sunt. Medio sæculo secundo tantum die dominico id factum videtur, teste Justino martyre: at paulo post invaluit, ut etiam aliis diebus sacra mysteria fierent, veluti in martyrum natalitiis & jejunorum diebus. Imo in Ecclesia Africana medio sæculo tertio quotidie sacra mysteria fuisse celebrata Cyprianus (*b*) tradit. Ubi primum Ecclesiæ pax data est, poterant quidem fideles pro libertate sua sacros conventus agitare; at non omnes Ecclesiæ singulis diebus sacra mysteria celebrarunt. Erat id ex eo rerum genere, quæ liberas habent observationes. *Alibi*, inquit Augustinus (*c*), *nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi sabbato tantum & dominico, alibi tantum dominico.* Inter eas Ecclesias, quæ quotidie offerebant, Africana, Hispanica & Constantinopolitana censentur. Et S. Basilius (*d*) in sua Ecclesia quater per hebdomadam sacra mysteria fuisse celebrata testatur, dominico nempe die, feria quarta, in parasceve & sabbato, quibus addit martyrum memorias. Sed Ecclesia Romana singulis per hebdomadam diebus Missam non faciebat; inde vero paulatim in Occidente invaluit, ut fere omni die sacra mysteria fierent. Cæterum quibus diebus publicæ Missæ non fiebant, privatas Missas celebrari licuisse observat Cardinalis Bona (*e*), paucis diebus exceptis, quibus id vetitum erat. Etenim quamvis invaluerit, ut singulis diebus celebraretur, tamen sine Missa aliqui dies superfuerunt. Sane apud Græcos ex antiqua disciplina sacra mysteria non fiunt per quadragesimam, exceptis sabbato, dominica & festo Annuntiationis: & apud Latinos Missa vacant feria sexta & sabbato majoris hebdomadis: biduo enim isto hostia veluti ablata censetur: nec sacrificant amici, dum trucidant inimici. Sed in Ecclesia Mediolanensi omnes feriæ sextæ quadragesimæ Missa carent. Quibus vero diebus Græci non celebrant, & Latini feria sexta majoris hebdomadis adhibent Missam *præsanctificatorum*, hoc est corporis Christi ante consecrati, quam peculiari dissertatione Leo Allatius illustravit.

Qua hora Missa celebratur.

§. XXV. Diebus autem liturgicis non semper eadem hora sacra mysteria celebrata sunt: initio ad vesperam videntur celebrata; adhærebant enim agapis, quæ noctu agitabantur. Sed inde quum agapæ

(*a*) Grancolas. l' Ancien Sacramentaire part. 1. pag. 804. & seqq.
(*b*) Cyprian ep. XXXVI. ad Thiburitanos.
(*c*) Aug. ep. CXVIII.
(*d*) Basil. ep. CCLXXXIX. ad Cæsar. Patricium.
(*e*) Card. Bona lib. 1. R. L. cap. 18. n. 4.

pæ sine Eucharistia celebrari cœpissent, Missæ & noctis tempore & claro die celebratæ sunt, prout ab inimicorum insidiis christianis licebat convenire. *Eucharistiæ Sacramentum*, inquit Tertullianus (*a*), *& in tempore victus & omnibus mandatum est à Domino, etiam antelucanis cœtibus.* Quibus verbis indicat Septimius & una cum agapis & in cœtibus antelucanis & quovis alio tempore Eucharistiam consecrari consuevisse, prout erat occasio rei sacræ faciendæ. Ubi primum pax Ecclesiæ data est, certa hora die naturalis rei divinæ celebrationi tributa est, diversa tamen pro dierum temporumque diversitate. Diebus dominicis & festis Missa hora tertia matutina celebrata est, diebus jejuniorum per annum nona, & in jejuniis quadragesimæ vespertina (*b*). Jejunium & luctus stare non poterant cum gaudio & exultatione, qua per Eucharistiæ celebrationem & communionem fideles perfundebantur: & hinc in diebus jejuniorum Eucharistiæ celebratio ad horam, qua jejunia solvebantur, dilata est. Interim certis temporibus ad mysteriorum insigniorem commemorationem Missæ nocturnæ celebratæ sunt, veluti in nocte Natalis Domini, in vigiliis Paschæ & Pentecostes. In sabbatis quoque ordinationum Missæ ad vesperam sabbati celebratæ sunt, & per noctem poterant continuari (*c*): idque factum arbitratur Christianus Lupus (*d*), ne continuatio jejunii à feriæ sextæ vespere usque ad mane diei dominicæ, quo conferri ordines oportebat, ordinantes & ordinatos summopere defatigaret. Spectabant autem statæ Missarum horæ tantum Missas publicas, nam privatæ, ut recte observat Martene (*e*), omni hora fiebant. Sed temporis lapsu jejuniorum mitigata, seu potius desueta disciplina, hæc horarum præscriptio contrario usu infirmata est, vixque aliquod antiquitatis vestigium in solemnis Missæ celebratione superest: etenim Missa publica sive solemnis in diebus festis duplicibus & semiduplicibus, in dominicis & infra octavas dicta in choro hora tertia, in festis simplicibus & feriis per annum dicta hora sexta, in adventu & in diebus jejunii post nonam celebratur (*f*). Missam vero privatam ab aurora ad meridiem recitari jus est. Et ex Missis nocturnis fere sola remanet Missa nocturna Nativitatis.

Plures Missæ olim ab uno Sacerdote celebratæ.

§. XXVI. Porro diebus liturgicis per tria priora & amplius sæcula una Missa in singulis Ecclesiis videtur celebrata; sed inde invaluit, ut ab uno eodemque Sacerdote plures Missæ fierent, id-

que

(*a*) Tertull. de Coron. cap. 3.
(*b*) Card. Bona lib. 1. R. L. cap. 21.
(*c*) Leo M. ep. XI. edit. Quesnel. Gelas. Papa ep. IX. ad Episcop. Lucaniæ.
(*d*) Christ. Lupus sch. in decret. III. Leonis IX. tom. 4. oper. E. V.
(*e*) Martene lib. 1. cap. 3. art. 4. n. 10.
(*f*) Rubr. Missalis S. XV.

que ob necessitatem, puta quia non omnes fideles ad Missam convenerant, vel quia idem Presbyter duas Ecclesias regebat; ordinarium vero erat in Ecclesia Romana plures Missas uno die celebrari, ubi duo vel tria officia simul concurrebant, quod Cardinalis Bona & Martene pluribus probant (*a*). Ita calendis Januariis tres Missæ fiebant, una de octava Nativitatis, altera de S. Maria, & tertia *ad prohibendum ab idolis.* Similiter feria quinta in cœna Domini tres Missæ celebrari solebant, una pro reconciliandis pœnitentibus, secunda pro consecrando chrismate, & tertia serotina de ipsa diei solemnitate. Et in vigilia Ascensionis una Missa erat de rogationibus, altera de vigilia. In jejuniis post Pentecostem una Missa erat de Spiritu sancto, altera de jejunio. Similiter in die Natali & Paschatis, quia tria officia concurrebant, tres Missæ celebratæ sunt. Et in singulis octavæ Paschatis diebus una Missa erat de octava, altera pro neophytis. Et in natalitiis Sanctorum, si duorum vel plurium memoria esset, vel quia reliquiæ in diversis Ecclesiis erant, plures Missæ celebratæ sunt. Et si eodem die exequiæ defuncti alicujus contingerent, etiam secunda Missa pro sepultura defuncti celebrabatur. In his omnibus casibus idem Sacerdos omnes Missas celebrabat, quod observat Cardinalis Bona (*b*), nam proprius Presbyter erat, qui omnia officia sacra principaliter obibat, reliqui vero concelebrabant. Imo etiam pro mero arbitrio & devotione cujusque Sacerdotis plures ab uno Missæ celebrari poterant, quod notat Walfridus Strabo (*c*), qui de Leone III. etiam refert, eum septem eodem die, interdum etiam novem celebrasse Missas. Dum vero plures Missas uno die Sacerdotes faciebant in omnibus Eucharistiam sumere debebant (*d*). Sed tandem plures ab uno Missas eadem die celebrari interdictum est, die Nativitati Dominis, casu necessitatis aliisque paucis speciebus exceptis; quæ interdictio sæculo XII. facta est (*e*); inductis enim Missarum stipendiis ad turpem quæstum numero Missarum Sacerdotes abutebantur: nec amplius necesse erat, unum Sacerdotem plures sacris operari, quando singuli Sacerdotes seorsim celebrabant. Ergo in præsenti disciplina tantum tres Missæ in die Nativitatis Domini celebrantur, nec fere licet aliis diebus eidem Sacerdoti Missam iterare, nisi duas parochias teneat, aut necessitatis causa ab Episcopo examinanda & probanda (*f*).

Lo-

(*a*) Card. Bona lib. 1. R. L. cap. 18. n. 5. & seqq., Martene lib. 1. cap. 3 art. 3. n. 5. & seqq.
(*b*) Bona loc. cit. n. 8.
(*c*) Strabo de Reb. eccles. cap. 21.
(*d*) Conc. Tolet. XII. Can. V.
(*e*) Can. LIII. D. 1. de Consecr. cap. 3. ext. de Celebr. Missar.
(*f*) Confer. Benedict. XIV. de SS. Missæ sacrif. lib. 3. cap. 5.

Locus celebrandæ Missæ.

§. XXVII. Celebrari autem debet sacra liturgia in Ecclesiis consecratis, aut saltem jussu Episcopi benedictis, quod semper Ecclesia docuit (*a*). Unitatem enim mysterii & Ecclesiam ipsam in partes scindunt, qui extra Ecclesiam conveniunt, & privatim mysteria unitatis celebrant. Quod si necessitas in Ecclesia sacra mysteria fieri non permittat, quovis commodo & decenti loco recte celebrantur. Hinc ubi in christianos persecutiones inserviebant, *ager*, *solitudo*, *navis*, *stabulum*, *carcer instar templi ad sacros conventus peragendos fuit*, quod Dionysius Alexandrinus testatur (*b*). Et in longo itinere, si Ecclesia defuerit, sub dio, vel in tentoriis, si tabula altaris consecrata & reliqua sacra ministeria præsto sint, Missarum solemnia possunt celebrari: quod Concilium Moguntinum (*c*) statuit. Præter regulam quoque in privatis sacellis sacra mysteria fiunt. Sæculo sexto Synodus Agathensis in agro *oratorium* & in eo Missas celebrari permisit *propter fatigationem familiæ*, exceptis præcipuis per annum festis, in quibus omnes in parœcias jussit convenire (*d*). Sed postquam numero creverunt Presbyteri, & præsertim postquam Missarum honoraria invaluerunt, nobiles fere omnes & divites domi sacella obtinuerunt, in quibus Missæ celebrarentur. Promoverunt quoque Missarum extra Ecclesias celebrationem privilegia, quæ Pontifices & Episcopi mendicantibus & sæcularibus Presbyteris dederunt, ut quovis loco in altari mobili sacrificium offerrent. Sed tandem Tridentini Patres decreverunt, ut Episcopi non patiantur in privatis domibus & omnino extra Ecclesiam & ad divinum cultum dicata oratoria sacrificium peragi (*e*): quo decreto altaria mobilia sublata sunt; at non negatum videtur Episcopis sacella privata ex causa concedendi etsi sacra congregatio sæpe censuerit, Synodum Episcopis talem potestatem ademisse (*f*). Scitum est, sacram Congregationem Decreta Tridentina passim contra Episcopos interpretari. Quisquis vero sit, qui concedit privata sacella, magna de causa permitti debent, & quidem ita ut sacra parœcialia quam minime lædantur.

Christianorum agapæ.

§. XXVIII. Quo vero hanc de celebratione Missarum tractationem absolvamus, de *agapis*, quibus initio conjuncta erat Eucharistia, aliquid monendum. Erant agapæ convivia sacra charitatis, amo-

(*a*) Basil. de Bapt. cap. 8., Cyrill. Alexand. advers. Anthropomorphitas cap. 12.
(*b*) Ad Euseb. lib. 7. cap. 22.
(*c*) Can. XXX. de Consec. D. 1.
(*d*) Can. XXXV. eod.
(*e*) Trid. sess. XXII. in decret. de observ. in celeb. Missæ.
(*f*) Conf. Espen. part. 2. tit. 6. cap. 8. n. 13.

amoris & religionis plena, quæ expensis divitum christiani inter se mutuo ad vesperam in Ecclesiis agitabant: nomenque sortitæ sunt ab amore & charitate, qua christiani se mutuo complectebantur (*a*). Sacra Judæorum convivia, quibus panis & vini mensæ secundæ accedebant, inter christianos continuata agapas nostras videntur induxisse, quod Boehmerus (*b*) multis probat. Agitabant autem christiani agapas vesperi, iisque conjuncta erat Eucharistia, idque ad insigniorem passionis dominicæ commemorationem. Inde nata est ἀνθρωποφαγίας, in christianos calumnia, quasi fideles in conviviis suis infantes vorarent, & sanguinem humanum biberent. Initio agapæ Eucharistiam præcesserunt; agapas enim & Eucharistiam Apostolus (*c*) sic describit, ut eas præcessisse aperte demonstret. Erat quoque Eucharistia cœnæ dominicæ commemoratio, ac proinde ad exemplum Christi agapas sequebantur: idque Estius, Suicerus, Caveus (*d*) aliique probant. Sed inde quum christiani aucti numero essent, ac ideo frequenter agapas non possent agitare, ab iis separata est Eucharistia: cui separationi in aliquibus provinciis causam etiam dederunt severa edicta, quibus *hæteriæ*, hoc est convivia & sodalitates vetabantur (*e*). Separata ab agapis Eucharistia in sacris matutinis secundo sæculo celebrabatur (*f*): sed usque ad initium sæculi tertii nulla hac de re generalis regula recepta videtur; id enim ex eo rerum genere erat, quæ liberas habebant observationes. *Eucharistiæ Sacramentum*, inquit Tertullianus (*g*), *& in tempore victus & omnibus* (scilicet temporibus) *mandatum est à Domino, etiam antelucanis cœtibus*. Inde penitus ab Eucharistia agapæ separatæ sunt: & pauca admodum pristini ritus vestigia superfuerunt. Etenim Ægyptii quinto sæculo vesperi post convivium Eucharistiam, teste Socrate (*h*), celebrabant: idemque ad insigniorem cœnæ domincæ commemorationem plures Ecclesiæ feria quinta majoris hebdomadis faciebant (*i*). Ipsis Apostolorum temporibus agapæ vitia quædam contraxerant; sed data Ecclesiæ pace in luxus & ebrietates versæ sunt. Ergo agapas in Ecclesiis celebrari iteratis Canonibus vetitum est (*k*); nec enim semel extirpari potuerunt mores, qui antiquitate & religione commendabantur.

CA-

(*a*) Tertull. Apolog. cap. 39.
(*b*) Boehmer. diss. IV. ad Plin. & Tertull. §. 8. & seqq.
(*c*) 1. ad Cor. XI.
(*d*) Estius in 1. ad Cor. XI. 20., Suicer. Thesaur. eccles. v. ἀγάπη, Caveus prim. christ. part. 1. cap. 11.
(*e*) L. 1. pr. D. de Colleg. & corpor. Conf. Boehmerus loc. cit. §. 31. & seqq.
(*f*) Just. martyr. apol. 2.
(*g*) Tertull. de Coron. cap. 3.
(*h*) Socr. lib. 5. cap. 22.
(*i*) Aug. ep. CXVIII. ad Januar., Conc. Carthag. III. Can. XXIX., Conc. Matiscon. Can. VI.
(*k*) Conc. Laodic. Can. XXVIII. Conc. Carth. III. Can. XXX. Conc. Trull. Can. LXXIV.

CAPUT XVII.

De Sacramento Pœnitentiæ, & primum de potestate à peccatis absolvendi.

Notio vocis pœnitentiæ.

§. I. Generatim *pœnitere* tam apud profanos, quam ecclesiasticos scriptores est, quum quæ ipsi fecimus aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis postea incipiunt displicere, sententiamque in iis nostram demutamus. Ita pœnitentiæ tria insunt, sententiæ mutatio, animi dolor propter factum aut consilium, cujus nos pœnitet, & cautio ne postea in idem incidamus. Quo generali sensu non semper pœnitentia errorem aut delictum antecedens supponit; non enim omne factum & consilium, cujus nos pœnitet, semper erratum aut vitium est. Verum si pœnitet propter aliquod delictum antecedens, quod frequentius accidit, tum pœnitentia etiam punitionem quam delinquens sponte subit, complectitur; idque præsertim apud Judæos & Christianos; ethnicis enim propter factum aut consilium pœnitendum seipsos punire familiare certe non fuit (*a*). Et certe ad mores christianorum accommodate Isidorus à punitione pœnitentiam derivat (*b*), *à punitione pœnitentia nomen accepit, quasi punitentia, dum ipse homo punit pœnitendo, quod male admisit.* Quod pœnitentiæ nomine Latini, id novi testamenti libri & Græci ecclesiastici scriptores dicunt μετάνοιαν, quæ vox ad verbum significat sententiæ mutationem; est enim ex μετὰ & νοεῖν composita, quasi *post erratum sapere;* sed ex natura adjunctorum eadem etiam, quæ pœnitentia latinorum continet. Itaque propter crimen pœnitentia quatuor significat, sententiæ mutationem, animi dolorem, cautionem, ne deinceps in idem aut aliud crimen incidamus, & spontaneam satisfactionem ad crimen laboriosis operibus expiandum.

Virtus pœnitentiæ.

§. II. Sic autem accepta pœnitentia, quando propter Deum, in quem peccarunt, homines peccatorum pœnitet, virtus religionis est, qua homo se ad Deum convertit, peccata commissa detestatur, plangit, punit & deinceps se non peccaturum serio proponit. Virtus ista pœnitentiæ ad peccatorum veniam à Deo impetrandam semper homini necessaria fuit, quod recte Tridentini Patres (*c*) observant etenim secundum divinæ justitiæ œconomiam Deus peccatori non parcit,

(*a*) Confer. Morin. de Pœnit. lib. I. cap. I.
(*b*) Isidor. in Exhort. ad pœnit.
(*c*) Trid. sess. XIV. cap. I.

cit, nisi pravæ voluntati, qua peccans Deo resistit, abrenuntiet, & pœnas peccato debitas sponte subeat. Et quî alias impii justificatio, salva Dei justitia, potest obtineri? Hinc Deus Patribus in Prophetis & nobis in Filio pœnitentiam ad peccatorum remissionem inculcavit (*a*). Quo fit, ut adultis etiam ante Baptismum pœnitentia sit necessaria, eamque Baptismo præmittendam Petrus Apostolus (*b*) edixit. Cui doctrinæ consentit Ecclesiæ praxis, quæ etiam operibus pœnalibus, quamvis non adeo luctuosis, ad Baptismum catechumenos præparabat. Ut vero pœnitentiæ virtute peccata expientur, dolor & contritio peccatorum malitiam superare aut saltem æquare debet; morbis enim extirpandis major aut saltem par vis medicamentorum esse debet. *Quam magna delinquimus*, inquit Cyprianus (*c*), *tam granditer defleamus: alto vulneri diligens & longa medicina non desit.* Idque est lege naturæ, quæ veluti talionis pœnam criminibus proponit; & hinc immania quædam scelera inexpiabilia ipsis ethnicis visa sunt, quod pares pœnæ ad ea expianda deessent, ut Morinus (*d*) observat.

Definitio Sacramenti Pœnitentiæ & ratio institutionis.

§. III. Sed apud christianos pœnitentia est etiam Sacramentum, quo corde dolentibus, confessis & pœnas peccatis debitas luentibus peccata post Baptismum admissa per Sacerdotis absolutionem remittuntur. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ pœnitentiam virtutem continet, & præterea habet peccatorum confessionem & Sacerdotis absolutionem. Scilicet Christus abundans in misericordia etiam christianis, qui post regenerationem labuntur, novo Sacramento succurrere voluit, ut ita facilius esset partam in Baptismo justitiam per peccata deperditam recuperare: ardua enim prorsus est virtus pœnitentiæ, quæ ad eluenda peccata sufficiat: nec sine speciali Dei auxilio tanta doloris acerbitate concipitur, quæ cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit. Hinc Christus pro nobis omnia factus, pœnitentiam ad Sacramentum elevavit, ut virtute sanguinis ejus à peccatis christiani facilius emergant. Quæ enim auxilia per Sacramenta dantur homini, robustiora & perfectiora sunt, quam quæ sunt ex opere operantis. Et recte S. Thomas (*e*) observat, inter pœnitentiam virtutem & Sacramentum distare, quatenus enim virtus gratiæ effectus est, quatenus Sacramentum, gratiam elargitur. Sacramentum vero pœnitentiæ tum præcipue Christus instituit, quum antea promissam post resurrectionem reipsa Apostolis dedit remittendorum & retinendorum peccatorum potestatem (*f*).

Fe-

(*a*) Conf. Drouven. de Re Sacram. lib. 5. q. I. cap. 3.
(*b*) Act. II. 38.
(*c*) Cypr. de Lapsis.
(*d*) Morin. de Pœnit. lib. I. cap. 24. n. 2.
(*e*) S. Thomas part. 3. q. 89. art. I. ad I.
(*f*) Joan. XX. 21. Trid. sess. XIV. cap. I.

Ecclesia remittendi peccata habet potestatem.

§. IV. Jam vero Christum Ecclesiæ suæ reapse dedisse peccatorum remittendorum potestatem in compertis est. Sane ante resurrectionem ligandi atque solvendi potestatem Christus Apostolis suis fecit (*a*). Ligant autem Sacerdotes, dum peccata ob legitimas causas retinent, & dum satisfactionem imponunt; solvunt vero, dum pœnitentes à peccatis absolvunt, aut aliquid de injectis pœnitentiis remittunt. In primis vero manifesta sunt verba Christi post resurrectionem, dum Apostolis ad peccatorum remissionem Spiritum sanctum communicavit (*b*), *accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus præcipue verbis Ecclesiæ factam fuisse potestatem per pœnitentiam remittendi peccata omnium Patrum concors sententia est (*c*). Et hinc Montanistæ & Novatiani olim tanquam hæretici damnati sunt, quod ad gravia peccata dimittenda nullam esse in Ecclesia potestatem contendebant. Nec audiendi sunt recentiores hæretici, qui quod Pœnitentiam ab albo Sacramentorum expungunt, verba *quorum remiseritis peccata &c.* ad prædicationem Evangelii traducunt: asseruntque, eo tantum sensu Ministros peccata remittere, quod per prædicationem excitant fidem, qua ipsa remissio obtinetur. Sed hæc interpretatio prorsus coacta est, & à Christi mente aliena, nec in mentem eorum quibuscum Christus loquebatur, facile venire poterat: alias enim verbo *remittendi* usus est Christus, videlicet quum paralytico & mulieri peccatrici peccata dimisit (*d*): quibus occasionibus Evangelium non annuntiavit, sed vere peccata condonavit: quod adeo verum est, ut qui præsentes erant, offensi sint, dixerintque, quis est is, qui peccata dimittit: hic blasphemat, quando solus Deus tanta potestate pollet.

Claves Ecclesiæ.

§. V. Hæc autem à peccatis absolvendi potestas in clavibus regni cœlorum, quas Christus ante mortem Petro & cæteris Apostolis promiserat, continetur (*e*). Clavis stilo Scripturarum summam quandam auctoritatem & domesticam administrationem significat; qui enim claves domus habet, omnia quæ in domo sunt discernit & moderatur, secretissima cubicula reserat & concludit, & pro jure suo quoslibet admittit vel excludit. Et hinc in civilibus negotiis clavium traditio possessionis & translationis dominii symbolum est. Venit autem Christus ad colligendam Ecclesiam non tan-

(*a*) Matth. XVIII. 18.
(*b*) Joan XX. 21.
(*c*) Conf. Drouven. de Re Sacram. lib. 4. q. 2. §. 3.
(*d*) Matth. IX. 2., Luc. VII. 48.
(*e*) Matth. XVI. 19.

tanquam servus, sed tanquam Filius, cui in domo Patris æterna & summa potestas data est (*a*). Claves igitur Ecclesiæ habuit Christus, potestatem nempe, qua tota domus regitur & administratur, peccata remittuntur & retinentur, & sontes & contumaces foras ejiciuntur. Quo spectat illud Apocalypsis (*b*): *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David; qui aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit.* Quoniam autem usque ad sæculi consummationem Ecclesia stat, hinc Christus reversurus ad Patrem, claves regni cœlorum Apostolis eorumque successoribus demandavit; nec enim alias in æternum Ecclesia stare poterat: *Tibi dabo claves regni cœlorum:* qua clavium datione universam spiritualem potestatem Ecclesiæ demandavit; eadem enim potestate Apostolos misit, qua ipse à Patre missus erat (*c*). Itaque pars potestatis clavium est potestas dimittendi peccata. Habuerunt autem Apostoli claves non tanquam domini, sed ut Ministri, qui legatione pro Christo funguntur in ædificationem corporis ejus, quod est Ecclesia. Hinc theologi potestatem Christi *clavem excellentiæ*, Sacerdotum vero *clavem ministerii* appellant.

Sacerdotes vere peccata dimittunt.

§. VI. Potestate autem ligandi atque solvendi donati Domini Sacerdotes, dum ea utuntur, non nudum exercent ministerium, quo à Deo remissa esse peccata declarant, aut communioni Sacerdotum & Ecclesiæ restituunt; sed verum exercent actum judicialem, quo mandata sibi potestate à peccatis absolvunt: veram enim ligandi atque solvendi potestatem Ecclesiæ suæ Christus demandavit, & quidem ita ut in cœlis solveret, quos in terris ipsa solvebat. Et in hoc distant christiani Sacerdotes à Sacerdotibus judaicis; hi enim non purgabant corporis lepram, sed purgatos declarabant; illi vero animi sordes proprio judicio eluunt; quam differentiam Chrysostomus observat (*d*). Verum enim est, solum Deum peccata remittere posse; at Ecclesiæ Ministri dum peccata remittunt, id non propria sed à Deo mandata potestate faciunt: qua observatione veteres Patres Novatianos confutabant, qui quod solus Deus peccata remittere posset, contendebant, Ecclesiam omnium peccatorum remittendorum non habere potestatem. *Solus hoc*, peccata nempe dimittere, *inquies, Deus poterit*, sunt verba Paciani ad Sympronianum Novatianum (*e*). *Verum est, sed quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est.* Et quamvis per plura sæcula in Ecclesia Latina, & nunc etiam in Græca, Sacerdotes, dum absolvebant à peccatis,

(*a*) Matth. XXVIII. 18.
(*b*) Apocalip. III. 7.
(*c*) Jo. XX. 21.
(*d*) Chrysost. lib. 3. de Sacerdot.
(*e*) Pacian. ep. I. ad Sympronian.

tis, Deum rogabant, ut peccata donaret, non ipsi dimittebant; tamen id non probat veteres Latinos Sacerdotes & nunc Græcos verum non exercere judicium; siquidem qui vice Dei judicant, non à se peccata dimittunt, sed tanquam ejus, qui peccata donare potest, Ministri. Causa autem ministratrix dum vice Dei operatur, & indicativo & optativo & imperativo modo de effectu producendo loqui potest, quod Morinus (a) pluribus probat.

Sed ex regulis à Christo datis.

§. VII. Verum enimvero non passim pro arbitrio solvendi potestate uti debent Domini Sacerdotes, sed secundum leges ab ipso Deo & Ecclesia præscriptas. Ministri scilicet Dei in dimittendis peccatis Sacerdotes sunt; atque eos tantum valent absolvere, quos Deus in cœlis absolvit. Deus autem non parcit, nisi seria pœnitentia peccata sua peccatores defleant, & operibus bonis ipsi placere studeant, & in melius pravam voluntatem reforment. *Deus*, inquit Augustinus (b), *conversis ad se peccata donat, non conversis non donat.* Et Fulgentius: *Ipsa justitia Dei talis est, ut aversos damnet, conversos salvet.* Hinc eos tantum reconciliare possunt Sacerdotes, qui fructus dignos pœnitentiæ edunt, qui peccata sua confitentur & detestantur, & deinceps non peccaturos proponunt. Egregie Gregorius M. (c): *Causæ pensandæ sunt, & tum ligandi atque solvendi potestas exercenda.* Et Gregorio antiquiores Patres Cyprianus & Augustinus (d) docent, viventes & gratia Dei suscitatos absolvi debere non mortuos: quod non eo spectat, quasi Sacerdotes debeant tantum eos absolvere, quibus ipse Deus ante pepercit; cui enim parcitum est, frustra iterum parcitur; sed ut intelligamus eos tantum absolvendos, qui gratia Dei excitati confessione, lacrymis & perseverantia in bonis operibus ad absolutionem præparantur (e).

Ecclesia omnia peccata dimittit.

§. VIII. Potestas autem Ecclesiæ, qua per Pœnitentiæ Sacramentum peccata dimittit, generalis est; nec profecto peccatum ullum licet invenire, cujus dimittendi potestatem Ecclesiæ suæ Christus non fecerit: quæ Ecclesiæ catholicæ doctrina est. Sane nulla exceptione ligandi & solvendi potestatem Ecclesiæ suæ Christus demandavit (f). Et Apostolus pacem dedit christiano cuidam Ecclesiæ Corinthiacæ, qui in scelus lapsus erat, quod nec inter gentes audiebatur (g). Joannes quoque Apostolus adolescenti, qui post Bap-

(a) Morin. de Pœnit. lib. 8. cap. 19. n. 16. & cap. 20. & seqq.
(b) August. in Psalm. XXXII.
(c) Greg. M. hom. XXVI. in Evang.
(d) Cyprian. ep. LII. August. serm. VIII. de Verbis Domini.
(e) Confer. Morin. de Pœnit. lib. 1. cap. 7. n. 11.
(f) Jo. XX. 23.
(g) 2. ad Cor. II.

tismum latro evaserat, & tot homines occiderat, pacem dedit, quod narrat Clemens Alexandrinus (a). Ad rem auctor apostolicarum constitutionum (b), *nullum majus peccatum quam idolorum cultus; est enim impietas in Deum; tamen per veram pœnitentiam remissum est.* Errarunt itaque Montanistæ & Novatiani, qui docebant ad peccata graviora dimittenda nullum Ecclesiæ jus esse. At peccatum in Spiritum sanctum *non habebit remissionem in æternum* (c). Non convenit inter Patres, in quo peccati in Spiritum sanctum natura consistat, quod multis Binghamus (d) adstruit; sed Augustini, Fulgentii (e) aliorumque sententia videtur præferenda, qui eo nomine intelligunt perversitatem & obstinationem animi in aliquo crimine usque ad mortem, quo fit, ut in Spiritum sanctum peccantes impœnitentes moriantur. Ita acceptum convicium in Spiritum sanctum vere est irremissibile; etenim secundum divinam justitiam peccata non remittuntur, nisi eorum peccatores pœniteat. Verum in hac specie non est venia peccato in Spiritum sanctum, non quod Ecclesia potestate remittendi destituatur; sed quia deficit in homine pœnitentia & recipiendæ gratiæ apta conditio.

Multis criminibus olim absolutio denegata.

§. IX. Quamvis autem omnium peccatorum dimittendorum potestate Ecclesia donata sit; tamen in plerisque occidentalibus Ecclesiis fortasse post sæculi secundi medietatem invaluit, ut gravioribus criminibus pax & venia etiam in exitu denegaretur, idque etiamsi peccatorum admissorum reos pœniteret, quod Petavius, Sirmondus, Albaspinæus aliique pluribus probant. Ea crimina in primis erant idolatria, homicidium & adulterium, quibus etiam in fine Ecclesiam Romanam absolutionem denegasse aperte Tertullianus (f) affirmat; qui licet Montanista, ex vero rem proposuit, inde enim contra potestatem dimittendi peccata, quam sibi Ecclesia vindicabat, argumentatur; nec veri speciem ullam habet, hominem severum ex falsa hypothesi catholicos adgredi voluisse (g). Severitatem vero longe intenderunt Patres Illiberitani, qui præter idolatras (h) negant etiam *in fine communionem* lenonibus, puerorum stupratoribus, fratrum delatoribus, si ex delatione fratres interfecti aut proscripti essent, aliisque peccatoribus, qui uno crimine duo aut tria scelera simul perpetrarent, aut unum grande crimen admitterent (i).

Com-

(a) Ap. Euseb. lib. 3. cap. 17.
(b) Const. apost. lib. 1. cap. 23.
(c) Matth. XII. 31., Marc III. 29.
(d) Bingh Orig. eccles. lib. 16. cap. 7. §. 3.
(e) Aug serm. XI. de Verbis Domini, & expos. in Rom. I, Fulgent. de Fide ad Petrum cap. 3.
(f) Tertull. de Pudicit. cap. 5. 6. & ult.
(g) Confert. Duguetus dissert. 16. §. 2.
(h) Conc. Illiber. Can. I.
(i) Conc. Illiber. Can. XII. LXXI. LXXIII. Confer. Bingh. Orig. Eccles. lib. 18. cap. 4. §. 4.

Communio autem in Canonibus Illiberitanis absolutio erat non Eucharistia, quod viri rerum ecclesiasticarum scientissimi observarunt; origine enim sua ea vox fidelium societatem denotat, ad quam fideles lapsi per absolutionem reducebantur (*a*): nec recte sentit N. Alexander, dum *communionem* in Illiberitanis Canonibus Eucharistiam interpretatur (*b*). Porro in exitu denegabatur venia iis, qui in quolibet peccato mortali consenuerant, nec nisi in summis vitæ angustiis pœnitentiam petebant (*c*); carebant quoque venia, qui post actam publicam de criminibus pœnitentiam iterum eadem vel alia grandia crimina admitterent (*d*); rei ultimo supplicio damnati (*e*); & Episcopi qui ambitione ducti ab una ad alteram Ecclesiam transibant (*f*). Tanta severitate monitos fideles Ecclesia voluit, ut summopere à lapsu sibi caverent; & tempore præsertim persecutionis videbatur necessarium rigorem intendere, *ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu*, ut Innocentius I. loquitur (*g*). Itaque qui grandia ista crimina admitterent, privati Sacramentorum auxilio, contritionis vi à Deo poterant veniam obtinere. Negabat autem Ecclesia omnino veniam gravibus criminibus non defectu potestatis, sed severitate disciplinæ, quo à Novatianis distabat (*h*). Sed lapsu temporis à veteri severitate Ecclesia descivit, & omnibus peccatoribus etiam iis, qui in fine pœnitentiam petebant, pacem dedit, quod variis Canonibus statutum est.

CAPUT XVIII.

De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ necessario.

Sacramenti Pœnitentiæ quasi materia.

§. I. Quemadmodum cætera Sacramenta, sic etiam Pœnitentia constat signis sensibilibus, elemento & verbis, quibus gratia significatur & confertur. Tres pœnitentis actus, contritionem scilicet, peccatorum confessionem & satisfactionem esse Sacramenti pœnitentiæ *quasi materiam* docet Ecclesia; nec sine iis haberi potest peccatorum remissio. *Sunt quasi materia hujus Sacramenti*, ajunt Tridentini Patres (*i*), *ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti & ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, pœnitentiæ partes dicuntur.* Non autem tres isti actus ejusdem necessitatis sunt, ut singuli reipsa præstari debeant: etenim sine contritione omnino venia non obtinetur; nemo quippe venia dignus est, nisi à via sua mala convertatur, & peccata sua plangat & detestetur. At confessio & satisfactio desiderio in quibusdam casibus suppleri possunt. Nam si quis casu quolibet linguam habeat impeditam, signis & nutibus, vel vitæ bene actæ testimonio oris confessio suppletur, et satisfactio ex integro omitti potest, ejusque sufficit propositum, ubi pœnitens in mortis periculo absolutione donatur (*a*).

(*a*) Confer. Albaspinæos Observ. lib. 2. cap. 8.
(*b*) N. Alexander diss. VII. in 3. sæcul. prop. 3.
(*c*) Cyprian. ep. LII. ad Antonian., Conc. Arelat. I. Can. ult., Innocent. I. ep. III. ad Exuperium.
(*d*) Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 10., Aug. ep. LIV. ad Macedon.
(*e*) Confer. Martene lib. 1. cap. 6. art. 2. n. 6.
(*f*) Conc. Sardic. Can. I. & II.
(*g*) Innoc. I. cit. ep. III.
(*h*) Albaspin. loc. cit. cap. 21., Bevereg. not. ad Can. VIII. Conc. Nicæni, Card. Bona Rer. liturg. lib. 1. cap. 27. n. 3.
(*i*) Trid. sess. XIV. cap. 3.

An tres actus pœnitentis sint vera materia Pœnitentiæ.

§. II. In his consentiunt catholici omnes; sed quo sensu tres pœnitentis actus *quasi materia* Pœnitentiæ sint, inter theologos non convenit. Plerique post S. Thomam contendunt, contritionem, confessionem & satisfactionem propriæ sic dictæ materiæ rationem habere, idque quia Christus virtutem pœnitentiæ ad Sacramentum elevavit (*b*); ideo vero dici *quasi materia*, non quod veræ materiæ rationem non habeant, sed quod ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus exhibetur. Contra Scotus & Scotistæ aliique theologi, in primis Maldonatus, docent Sacramenti Pœnitentiæ essentiam in sola absolutione positam esse, tres vero pœnitentis actus esse Pœnitentiæ partes, quatenus sunt conditiones, ut Sacramentum peccata remittat, non quod illis intrinsece, veluti ex aqua Baptismus, constet. Et quoniam absolutio potius forma est Sacramenti Pœnitentiæ quam materia, hinc Maldonatus ait, eam diverso respectu & materiam & formam esse, & materiam quidem quatenus ritus est sensibus subjectus, formam vero quatenus absolutionem significat. Et his duabus sententiis plausibilis prima est: at non pertinet ad fidem, & præterea in eo peccare videtur, quod quæ ad Sacramenti effectum sunt dispositiones, ejusdem elementum constituat. Sed altera illud habet incommodi, quod non vere sed relate materiam Sacramenti à forma distinguit; & ex natura Sacramentorum verbum ad elementum accedat oportet, ut fiat Sacramentum.

An manuum impositio sit vera Pœnitentiæ materia?

§. III. Porro non desunt theologi, qui elementum, unde conficitur Pœnitentiæ Sacramentum, manuum impositionem faciunt, cui verbum absolutionis accedens Sacramentum constituit. *In confessione quando fit absolutio*, inquit Alexander Halensis (*c*), *ponit Sacerdos ma-*

(*a*) Confer. N. Alex. II. Theol. dogm. & mor. de Sacram. Pœnit. cap. 4. art. 4.
(*b*) Confer. Drouven. de Re Sacram. lib. 6. q. 3. cap. 2. art. 3.
(*c*) Alexand. Halens. in Summ. part. 4. q. 5. memb. 1. art. 1.

manum super caput pœnitentis in signum, & benedicit, & ita assumit aliqua signa sensibilia. Idem etiam tenent Guilelmus Parisiensis Episcopus, Guilelmus Antissiodorensis, Vincentius Bellovacensis, Marianus Victorius aliique. Constat quippe ex universa antiquitate semper absolutionem à peccatis per manuum impositionem datam fuisse (*a*): à quo ritu Sacramentum Pœnitentiæ *manuum impositio*, & distinctionis causa *manuum impositio reconciliatoria* à Patribus appellatur (*b*). Porro Sacramenti Pœnitentiæ naturæ videtur convenire, ut ejus elementum sit manuum impositio: in compertis enim est, Christum & Apostolos manuum imponendarum ritum ad miracula & magnos effectus producendos usurpasse: & qui major & divinior effectus, quam ut homines peccata dimittant? Quod vero idem ritus aliis Sacramentis Confirmationi nempe & sacris Ordinibus etiam conveniat, id nihil quidquam obturbat; nam verbum elemento accedens ritum manuum imponendarum ad proprium effectum determinat. Cæterum sententia ista inter scholasticos non adeo multos patronos invenit; post medium enim sæculum XIII. eorum multi tanquam meram cæremoniam manuum impositionem in absolvendis peccatis tenuerunt; quo factum, ut à multis tanquam supervacua negligeretur; sed multa Concilia ad hunc usque diem eam non omitti jusserunt.

Definitio contritionis.

§. IV. Ex tribus pœnitentis actibus, unde Sacramenti absolutionis quasi materia constat, primus & ad pœnitentis reconciliationem omnino necessarius dolor est, qui recepta in Ecclesia voce appellatur *contritio*. Est contritio à *conterendo*, quod est in pulverem redigere: at in Scripturis ea vox usurpatur ad magnam afflictionem & altum dolorem, qui cor frangit, lacerat & veluti in partes minuit, indicandum. Usu vero ecclesiastico contritio designat dolorem, qui ad obtinendam sive in Baptismo, sive in Pœnitentia peccatorum veniam necessarius est. Itaque *contritio est animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*, ut Tridentini Patres definiunt (*c*). Nempe contritio est voluntatis actio, & ita interna est & dolor intrinsecus, lacrymæ autem & alia externa signa interioris contritionis, quæ foras erumpit, testes sunt. Et potest esse dolor etiam sine lacrymis & signis externis: imo in altis doloribus homines obstupescunt: quo spectat illud poetæ, *curæ leves loquuntur, ingentes stupent*. Porro dolor iste debet esse de peccato commisso, hoc est generalis de omnibus peccatis, & cum proposito non peccandi de cætero: etenim contritionis vis malæ actæ vitæ odium & expiationem continet, & præte-

(*a*) Confer. Morin. de Pœnit. lib. 8. cap. 15.
(*b*) Conc. Arausic. I. Can. III.
(*c*) Trident. sess. XIV. cap. 4.

terea vitæ novæ instituendæ propositum: contriti enim à via sua mala convertuntur, quod fit ut præterita plangant, & plangenda iterum non committant. Et quoniam dolor iste impium ad justitiam ducit, hinc debet esse ex argumentis supra naturam positis conceptus, hoc est motu fidei, non rationibus naturalibus excitatus; dolor enim peccatorem ad Deum convertere debet; tantumque ad Deum convertuntur, qui ex rationibus supra naturam positis de peccatis dolent.

Contritio perfecta.

§. V. Est autem contritio duplex, perfecta nempe & imperfecta, quarum illa nomine generis *contritio*, ista vero *attritio* dicitur. Perfecta contritio est dolor de peccato commisso ex amore Dei super omnia conceptus, & charitate perfectus, cum proposito in posterum non peccandi. Scilicet fit aliquando, ut peccatores Deum veluti summum bonum & omnis justitiæ fontem concipiant. Hinc vitam suam animo repetentes, anguntur & dolent, quod in Deum omnis bonitatis & justitiæ fontem peccarunt; dolentque profecto alto summoque dolore, qui nempe respondeat summo, quod amiserunt, bono. Summus autem hic dolor in desperationem non adigit, imo potius in spem veniæ erumpit; sciunt enim, qui propter Deum dolent, illum miseria suarum creaturarum non delectari; & ita eo ipso quod dolent, spe veniæ attolluntur. Cæterum sine speciali Dei auxilio tantam contritionis vim hominibus concipere non datur, idque ut plurimum paulatim peccatores adsequuntur. Primum nempe lumine fidei illustrantur, tum peccatorum suorum recensione torquentur & anguntur, quod Deum judicem timent; dehinc spe veniæ obtinendæ confisi, Deum tanquam omnis justitiæ & bonitatis fontem amare incipiunt, sensimque in amore crescunt, prout idea Dei perfectior & robustior evadit.

Non est necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ.

§. VI. Jam vero contritio ubi Dei beneficio charitate perfecta est, voto Sacramenti instructa hominem Deo reconciliat, priusquam Sacramentum actu suscipiatur, quod Tridentini Patres docent (*a*); passim enim in Scripturis Deus veniam & vitam æternam iis pollicetur, qui ad se toto corde convertuntur, eumque vere diligunt. Hinc necessario Pœnitentiæ Sacramento præmitti non debet: peccata enim dimittenda non dimissa Sacramentum Pœnitentiæ supponit: & deinde veri judices non essent Domini Sacerdotes, nec vere peccata dimitterent si perfecta charitate instructi ad Sacramentum Pœnitentiæ peccatores accedere deberent. Interim ex schola theologi pene omnes ante Concilium Tridentinum tenebant, perfectam contritio-

(*a*) Trident. sess. XIV. cap. 4.

tionem Sacramento Pœnitentiæ præmittendam, nec posse Sacerdotes quemlibet absolvere, quem probabiliter à Deo absolutum non crederent. Hac autem posita sententia non uno modo absolutioni virtutem scholastici conciliabant, plerique enim post Magistrum (*a*) tenebant, Sacerdotes sententia sua declarare judiciali ratione pœnitentem à Deo absolutum, & eidem congruas satisfactiones imponere: alii vero (nam cæteras sententias mitto) culpam à solo Deo per contritionem, reatum æternæ damnationis à Sacerdote per absolutionem donari: quam doctrinam Hugo à S. Victore (*b*) proponit. Post Concilium Tridentinum non defuerunt viri graves, qui contritionem veram absolutioni dandæ tenuerunt necessariam; at plerique omnes theologi contrariam sententiam amplexi sunt, docueruntque, imperfectam contritionem ad veniam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam sufficere. Quæ sententia & potestati clavium & Sacramenti Pœnitentiæ institutioni consentanea est. Cæterum antiquorum scholasticorum sententia etsi absolutionis virtutem veluti exanguem relinquat; non tamen ab Ecclesia explosa est, quod Launojus & Drouvenus pluribus probat (*c*).

Contritio imperfecta seu attritio.

§. VII. Imperfecta contritio, quæ recepto vocabulo *attritio* dicitur, est dolor & detestatio de peccato commisso, vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennæ & pœnarum metu conceptus, qui veniæ concepta spe peccandi voluntatem excludit (*d*). Antiquis Patribus vox *attritionis* ignota fuit: & ut observat Morinus circa an. Christi CIↃCCXX. in scholis audiri & per theologorum ora volitare cœpit (*e*). Scilicet raro admodum unico veluti momento impius justificatur; quin potius ad justitiam quibusdam dispositionibus, sic ordinante divina providentia, impii præparantur. Præparationes istæ contritionis nomine dici non poterant; ex sententia enim ejus ætatis scholasticorum gratiam contritio sequitur, non præcedit. Itaque necessario fuit illis nomen aliquod invenire, quo præparationes ad justificationem necessarias significarent; quum philosophando ad id parum idonea antiqua nomina *contritionis* & *compunctionis* observassent. Hinc *attritionis* nomen invenerunt, quo indicaretur ad justitiam dispositio, quæ nondum est charitate perfecta, sed per Dei gratiam ad contritionem tendit. Primi hoc nomen celebre fecerunt Alexander Halensis, Albertus M. & Guilelmus Parisiensis Episcopus. Satis vero aptum ad rem præsentem attritionis nomen scholastici judicarunt: ex eorum enim sententia attritum

(*a*) Magister lib. 4. dist. XVII.
(*b*) Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 14. cap. 8.
(*c*) Launojus in lib. de Mente Concilii Trid. circa contritionem part. 1., Drouven. de Re Sacram. lib. 6. q. 4. cap. 2. art. 1.
(*d*) Conc. Trid. sess. XIV. cap. 2.
(*e*) Morin. de Pœnit. lib. 8. cap. 2. n. 14.

tum est imperfecte contritum, cujus singulæ partes non sunt adhuc satis tritæ & comminutæ. Semel invento vocabulo deinceps theologi omnes usi sunt, illudque etiam Ecclesia suum fecit & consecravit.

Merus pœnarum æternarum timor utilis.

§. VIII. Jam vero attritio seu timor pœnarum æternarum ex fide, sed non ex amore Dei & justitiæ conceptus, homini peccatori utilis est. Et male profecto Lutherus docuit, timorem gehennæ malum esse, & facere hominem hypocritam. Sane dum homines pœnas sine amore justitiæ metuunt, saltem à peccatis abstinent: quo sensu Augustinus timorem ex solo metu conceptum passim commendat. *Fac*, inquit uno loco (*a*), *vel timore pœnæ*, *si nondum potest amore justitiæ*. Sunt quidem justi justitia externa, qui oderunt peccare formidine pœnæ, atque ita si sperare possent impunitatem, in omne genus flagitiorum erumperent, *sit spes fallendi, miscebis sacra profanis*: at est aliquid à malo, ex quocunque tandem principio fiat, abstinere, ac proinde timor gehennæ homini utilis est, saltem quod externum peccati opus prohibet. Quid quod pœnarum timor sæpe homines ad charitatem & justitiam perducit? Scilicet sæpe homines pœnarum metu conterriti bonam mentem induunt, & auxilio divinæ gratiæ paulatim remotis impedimentis, quod erat ex necessitate & timore cœptum, fit charitate perfectum. Eleganter Augustinus (*b*) de eo, qui tantum timore pœnarum à malo abstinebat: *formido mali in eo est*, *nondum dilectio boni*: *sed time tamen*, *ut ista formido custodiat te*, *& perducat ad dilectionem ..... est enim quidam custos timor & quasi pædagogus legis*. Quæ quum ita sint, merito Tridentini (*c*) Patres eam exploserunt sententiam, quæ ferebat, gehennæ metum, quo ad Dei misericordiam dolendo confugimus, ut à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores majores facere.

Attritio sine Dei amore ad Sacramentum non sufficit.

§. IX. Utilis quidem est homini peccatori dolor ex mero gehennæ aut turpitudinis peccati metu sine Dei amore conceptus; at num ad peccatoris reconciliationem in Sacramento Pœnitentiæ sufficiat, inter theologos à Concilii Tridentini tempore non convenit. Et magis est, attritionem omni charitatis erga Deum actu, etiam inchoato, destitutam nec in Sacramento ad hominis justificationem prodesse. Sane quousque peccatores peccatis adhærent, nec Deum amant, ma-

(*a*) August. serm. 13. de Verbis Apostoli.
(*b*) August. serm. 18. cap. 8. de Verbis Apostoli vet. edit.
(*c*) Trid. sess. XIV. cap. 4.

manent in morte (*a*); & sunt anathema (*b*): non ergo qui Deum non amant, unquam justificantur. Porro peccata in Sacramento Pœnitentiæ non dimittuntur, nisi peccatores se ad Deum convertant: qui autem tantum pœnas æternas timent, peccatis adhuc hærent; atque adeo ad Deum conversi non sunt (*c*). Ipsi quoque Tridentini Patres etsi de re nihil definire voluerint, tamen non obscure ad gratiam & reconciliationem requirunt Dei amorem: docent enim attritionem in Sacramento Pœnitentiæ ad gratiam disponere, *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ* (*d*); attritio autem ex solo pœnarum æternarum metu voluntatem peccandi non excludit: qui enim non peccant tantum quod pœnas timent, peccarent profecto, si id facere possent impune. Hinc merito clerus Gallicanus, an. CIↃIↃCC. veluti falsam & Patribus Tridentinis adversam hanc transfixit propositionem, *attritio ex gehennæ metu sufficit etiam sine ulla Dei dilectione & sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta & supernaturalis est.* Nec est, quod scholastici oggerant, vi Sacramenti *attritum fieri contritum*, quod est verbum per omnium ora jactatum; nam tantum vera hæc doctrina est si peccator propter Deum de peccatis suis dolet, sed non ea, qua par est, charitate: ignota enim Patribus doctrina est, omnino mortuos, nec Deum amantes per Sacramentum ad vitam revocari. Tantum in ea specie attritio ex gehennæ metu ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam sufficit, seu potius disponit, si peccator gehennæ metu conterritus Deum tanquam omnis justitiæ & bonitatis fontem amare incipit. Sed hæc sunt theologornm.

CAPUT XIX.

De sacramentali confessione.

§. I. Alter pœnitentis actus, qui quasi materia Sacramenti reconciliationis pars censetur, confessio est. *Confiteri* alias apud sacros & ecclesiasticos scriptores est Deum laudare, vel gratias ei agere (*e*); at notione magis propria & usu scriptorum etiam profanorum recepta est aliquid arcanum alteri incognitum privatim aut publice, sponte aut per vim revelare: quo sensu in re sacramentali accipitur. Itaque confessio sacramentalis est manifestatio seu potius accusatio peccatorum Sacerdoti facta ad veniam vi clavium impetrandam. Scilicet qui sua peccata Domini Sacerdotibus aperiunt, non tam ea narrare debent, quasi propriæ vitæ historiam exhibentes, quam

(*a*) 1. Joann. III. 14.
(*b*) 1. ad Cor. XVI. 22.
(*c*) Confer. Drouven. de Re Sacrament. lib. 6. q. 4. cap. 4.
(*d*) Trid. sess. XIV. cap. 4.
(*e*) Hieron. in cap. 38. Isaiæ, & in Daniel. cap. 11.

quam seipsos accusare & reos profiteri, quod in Deum peccarint. *Quid est peccatorum confessio*, inquit Gregorius M. (*a*), *nisi quædam vulnerum ruptio: quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente?* Græci scriptores confessionem passim dicunt ἐξαγόρευσιν, quam dictionem Pollux elegantem esse testatur; ἐξαγορεύειν scilicet proprie est profiteri, in vulgus edere, manifestum reddere. Appellant etiam ἐξομολόγησιν, quod dum faciunt stricte hanc vocem accipiunt; ἐξομολογεῖσθαι enim à Patribus sæpe sumitur pro universa pœnitentiæ actione, cujus pars confessio erat (*b*).

Jure divino confessio instituta.

§. II. Peccatorum autem confessio ex divina institutione Sacramenti Pœnitentiæ pars est & quovis tempore apud christianos obtinuit, quod est fidei dogma contra recentiores hæreticos definitum. Non est quidem in Scripturis aperte proditum confessionem à Christo institutam, quod S. Thomas agnoscit (*c*), at sponte sua ex auctoritate clavium derivatur. Et quî alias retinere vel donare peccata possent Domini Sacerdotes? judices incognita causa quî judicabunt? Deinde nisi peccata manifestentur, apta remedia iis non possunt adhiberi, quod pertinet ad ligandi & solvendi potestatem. Fulget porro doctrina de necessitate confessionis in Patrum scriptis, qui passim docent Sacerdotibus peccata esse aperienda, vel quod ipsis eorum remittendorum & retinendorum jus est, vel quod Sacerdotum est criminum expendere gravitatem & apta parare remedia: idque productis Patrum locis late demonstrant theologi (*d*). Agnoscunt recentiores hæretici in primis Jo. Dallæus primis sæculis usum secretæ confessionis in pluribus speciebus obtinuisse, sed sponte sua nullo divino præcepto fideles id fecisse contendunt: & hinc doctrinam de necessitate confessionis novitiam faciunt, ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi scilicet inductam. Sed quod boni isti viri novitium affirmant, clavium potestate continetur, & Patres ad curandas animi sordes docent necessarium. Id autem verum est, nono & sequentibus sæculis fuisse theologos, qui sacramentalem confessionem jure divino non esse necessariam tenebant, quorum sententiam tum ferebat Ecclesia, quod veritas in plenario Concilio non erat eliquata (*e*). Et hinc forte docuit Gratianus, necessitatem sacramentalis confessionis ad fidem non pertinere (*f*), in quo turpiter erravit. Nec in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. aliquid de

(*a*) Greg. M. hom. LX. in Evangelia.
(*b*) Confer. Morin. de Pœnit. lib. 2. cap. 2.
(*c*) S. Thom. Supplem. quæst. 6. art. 6. ad 2. argum.
(*d*) Confer. N. Alexander diss. XIV. in sæcul. XIII. & XIV. & Juenin. de Sacram. diss. VI. quæst. 5. cap. 1.
(*e*) Confer. N. Alexander cit. diss. §. 24.
(*f*) Grat. ad calcem Can. LXXXIX. C. 33. D. 1. de Pœnit.

de novo inductum est, sed potius antiqua Ecclesiæ doctrina confirmata. Sed hæc pertinent ad theologos.

Sed sufficit ut secreto fiat.

§. III. Quocunque tandem modo peccata Sacerdoti aperiantur, sive secreto uni Sacerdoti, sive palam coram tota Ecclesia, ad confessionis essentiam non pertinet, sed tantum ad modum, qui varius esse potest. Id ad naturam confessionis spectat ut sit peccatorum omnium lethalium distincta & voce facta manifestatio ad veniam obtinendam. Hinc sufficit, ut clam ad aures Sacerdoti peccata deponantur; nec enim extat ullum divinum præceptum, quo edicitur, christianos peccata sua omnia palam debere confiteri, quod Leo M. agnoscit (*a*), *quum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta.* Idem quoque Tridentini Patres (*b*) observant, qui addunt non satis consulte humana lege præcipi, ut delicta præsertim secreta, palam aperiantur. Tantum postulat divinum præceptum, ut pro publicis peccatis publica pœnitentia agatur, ut ita Ecclesiæ, propter publica crimina offensæ, satisfiat. Cæterum si qui ad majorem suorum scelerum vindictam & humilitatem & aliorum exemplum velit publicam confessionem edere, is laude dignus reputatur, nec tanta humilitas fructu suo carebit.

Olim ut plurimum palam facta confessio.

§. IV. Quamvis autem nullum extet divinum præceptum, quo christiani ad publicam confessionem adigantur, tamen in veteri disciplina & apud Græcos & Latinos solemne fuit, peccata etiam occulta palam confiteri: quod multis productis monumentis Morinus (*c*) probat. Et sane Tertullianus, Pacianus, & Ambrosius (*d*) fideles ad publicam occultorum criminum confessionem hortantur, quod qui audiunt fratres earundem passionum consortes sunt, nec de alterius crimine in risum solvuntur, aut de alterius ruina lætantur; quin potius comprecatores pro manifestatis criminibus apud Deum existunt. Sed non omnia omnino occulta peccata vulgari solebant, sed tantum ea, quæ in utilitatem Ecclesiæ cedebant, nec periculum aliquod peccatori ingerebant. Hinc prius peccata omnia clam Sacerdoti aperiebantur, qui pro prudentia sua ea annotabat, quæ inde pœnitens evulgaret. *Si intellexerit & prævideret Sacerdos*, inquit Origenes (*e*), *talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortasse & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari*, *multa hoc deliberatione & satis perito medici il-*

(*a*) Leo M. ep. LXXX. ad Episcop. Campaniæ.
(*b*) Trident. sess. XIV. cap. 5.
(*c*) Confer. Morin. lib. 2. de Pœnit. cap. 9. & seq.
(*d*) Tertull. de Pœnit. cap. 10. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 10.
(*e*) Orig. hom. 2. in Psalm. XXXVII.

lius consilio procurandum est. Et in Ecclesiis, ubi institutus erat pœnitentiarius, unum ex ejus officiis fuisse videtur secernere & indicare, quæ peccata in Ecclesia deberent evulgari. Videtur hic mos inductus quod Patres rigide verba Apostoli acceperint (*a*), *peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.* Stetit publica quorundam occultorum criminum pœnitentia in oriente usque ad Nectarium, qui quod per scelus à Diacono cum matrona pœnitentiam in Ecclesia agente admissum Ecclesia Constantinopolitana offensa esset, & pœnitentiarium & publicam confessionem & publicam pœnitentiam abrogavit (*b*); exemplumque Nectarii cæteræ per Orientem Ecclesiæ imitatæ sunt. Et errant profecto, qui putant, Nectarium omnem confessionem abrogasse; constat enim ab eo tempore fideles in Oriente privatim sua peccata confiteri consuevisse & pœnas canonicas pro iis tolerasse, quod ex Græcorum pœnitentialibus libris constat (*c*). Sed in Occidente sæculo VIII. una cum publica occultorum criminum pœnitentia desiit obligatio ad quædam occulta crimina manifestanda.

Confessio debet esse integra.

§. V. Ut vero sacramentalis confessio recta & justa sit, integra esse debet, hoc est aperiri debent peccata omnia mortalia, quorum post diligentem sui discussionem memoria suppetit, eorumque adjuncta, quæ peccatorum speciem mutant: quæ est Ecclesiæ doctrina à Patribus Tridentinis confirmata (*d*). Non enim alias judices damnare & absolvere possunt, quam si de criminibus ante constiterit: & pœnitentiarum impositio recte non procedit, nisi cognita singulorum peccatorum malitia. Num vero etiam aperiri debeant adjuncta, quæ in eadem specie aggravant peccati malitiam, theologi inter se non conveniunt, nec ea de re Patres Tridentini quidquam habent. Sed magis est, etiam adjuncta, quæ multum peccatorum gravitatem augent, esse aperienda, quod alias apta remedia applicari non possint (*e*). Dubia etiam peccata mortalia Sacerdoti sunt aperienda, sive quod ea admisisse dubitemus, sive quod utrum mortalia an venialia sint nobis non constet (*f*). Sed peccata venialia, quæ à gratia Dei minime excludunt, & facile aliis remediis possunt expiari, non necessario sunt in confessione aperienda: quamvis semel in anno teneantur confiteri, qui solis peccatis venialibus adstringuntur, ut ita Ecclesiæ præcipienti obediant, quod merito contra Dominicum Sotum, Estium aliosque Jueninus (*g*) tuetur.

(*a*) 1. ad Tim. V. 20.
(*b*) Socrat. lib. 5. cap. 19., Sozomen. lib. 7. cap. 16.
(*c*) Confer. Morin. de Pœnit. lib. 6. cap. 23. n. 3.
(*d*) Trid. sess. XIV. cap. 5.
(*e*) Confer. Nat. Alexander Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. de Pœnit. cap. 5. art. 6.
(*f*) Confer. Drouven. de re Sacram. lib. 6. cap. 2. q. 5.
(*g*) Juen. de Sacram. diss. VI. q. 5. cap. 3. art. 2.

tur. Quod si physicum impedimentum obstet, quominus integra confessio sit, non propterea denegari debet reconciliatio, modo saltem aliquo signo de pœnitentia & bona voluntate constet (*a*).

Quando complices in confessione manifestari oportet.

§. VI. Una cum criminibus etiam criminis participes, tacito eorum proprio nomine in confessione describi debent, ubi peccati species vel gravitas alio modo non potest internosci: quæ praxis semper in Ecclesia obtinuit (*b*). Et si complicis descriptio sæpe ejus personam manifestat, non propterea detractores & maledici confitentes censendi sunt; nam non odio, nec detrahendi, sed potius accusandi sui causa socium describunt Sacerdoti, qui alias summa silentii lege tenetur (*c*). Imo olim in confessione sive privata, sive publica socii criminum aperiebantur etiam ubi id necessarium non erat ad crimen detegendum, modo inde nihil offensionis in Ecclesiam, nec periculum in ipsum denuntiatum redundaret, quod Morinus pluribus docet (*d*). Ecclesia vero contra detectos criminis socios judiciali quadam ratione procedebat, spectabatque inquisitio ista Pœnitentiæ Sacramentum, & christianorum emendationem. Sed postquam Pœnitentiæ Sacramentum omnem externi judicii formam deposuit, fere desiit sociorum descriptio, ubi ad crimen detegendum non est necessaria: tantumque hodie quando socii manifestatio non spectat confessionis integritatem, possunt ex lege charitatis complices detegi, ut arcani religione & prudentiæ regulis servatis & venia confitentis habita Sacerdotes salutem reorum detectorum procurent. Quod si socio criminis etiam ex integritate confessionis detecto, alicui grave damnum timeatur, tum si alteri confiteri non possumus, recte pro ea vice complicis adjunctum reticetur (*e*).

Confessio spontanea esse debet.

§. VII. Id porro ad sacramentalia confessionis naturam pertinet, ut sponte fiat, ut scilicet peccator delictum suum recognoscens & detestans, illud sponte ad Ecclesiam deferat. Peccata equidem non dimittuntur, nisi ea peccatores defleant, & confiteantur: & qui animo dolent, sponte confitentur, utpote qui malis affectionibus cupiunt adhibere medicinam. Quo fundamento veteres Patres recte judicabant, peccata ultro confessa esse leviora, majora vero quæ obtegebantur, & demum per delationem Ecclesiæ innotescebant. *Non est*

(*a*) Conc. Carthag. IV. Can. LXXVI. Conc. Arausic. I. Can. XII.
(*b*) Morin. loc. cit. cap. 12. n. 2. & seqq.
(*c*) Confer. N. Alexander lib. 2. Theol. dogm. & moral. de Sacram. Pænit. cap. 5. art. 7.
(*d*) Morin. loc. cit. cap. 13. n. 8.
(*e*) S. Thom. in 4. Sententiar. disd. 17. q. 3. art. 3.

dubium, inquit Ambrosius (*a*), *levius esse crimen, ubi peccatum suum ultro homo confitetur & pœnitet.* Et quoniam ubi delicta leviora sunt, ibi mitiores pœnitentiæ, veteres Canones & Patres mitius esse puniendos peccatores edicunt, qui sponte peccata confitentur quam si de iis accusati legitime convincuntur: quo spectant multi Canones Concilii Illiberitani, aliquot Gregorii Thaumaturgi, Basilii M. & Gregorii Nyseni, quos Morinus (*b*) enarrant. Spontanea autem confessio non diu est differenda; dilatio enim confessionis ex impœnitentia est, crescitque impœnitentiæ argumentum, quo magis in longum conversio & confessio differuntur. Et recte Ecclesia semper suspectam habuit eorum pœnitentiam, qui tantum in morte reconciliationem petebant (*c*).

Delatio criminum ad Ecclesiam.

§. VIII. Quod si sponte peccatores crimina sua Ecclesiæ non confiterentur, tum in veteri disciplina reliqui christiani, quibus crimina fratrum etiam occulta innotescebant, eos ad Ecclesiam deferre tenebantur, quod nisi fecissent, aut si tardius fecissent, ipsi puniebantur, idque ex Basilio, Augustino (*d*) aliisque monumentis constat. Delatio autem ista ex regula fraternæ charitatis erat facienda, nempe primum peccatores clam conveniebantur, & tum si admonitionibus non obtemperassent, deferebantur ad Ecclesiam. Reos delatos Episcopi privatim admonebant, ut peccata confiterentur, & pœnitentiam agerent, qui si id facere detrectarent, instituebatur judicium & testes audiebantur; spectatque inquisitio ista pœnitentiæ Sacramentum, quod olim non omnem judicii formam respuebat, & christianorum emendationem. Praxis ista nitebatur veterum christianorum sanctitate, quibus vetitum erat cum malis hominibus communicare, ne modicum fermentum totam massam corrumperet. Instituto judicio, si de criminibus non constaret, & reus negabat, nulla publica aut privata pœnitentia irrogabatur, sed sibi relinquebatur, donec compunctus crimen confiteretur, & pœnitentiam posceret (*e*). Si vero crimina probarentur, & accusati agere pœnitentiam detrectarent: primum tantum extra Ecclesiam projecti, inde etiam pœnis temporalibus per magistratum Episcopis petentibus ad pœnitentiam coacti sunt (*f*). In Oriente usque ad Nectarium stetit fratres accusandi consuetudo, sed in Occidente diutius perduravit, desiitque tandem ubi sæculo XII. Sacramentum Pœnitentiæ externam judicii formam deposuit, tantumque ejus disciplinæ vestigia supersunt in admonitioni-

(*a*) Ambros. ad virginem lapsam cap. 8.
(*b*) Morin. de Pœnit. lib. 2. cap. 6.
(*c*) Aug. hom. XLI. ex. L.
(*d*) Basil. in regulis fusius disputatis interrog. XLVI., Aug. hom. XLIX. ex. L. Confer. Morin. loc. cit. cap. 7.
(*e*) Aug. hom. ult. ex. L.
(*f*) Confer. Morin. de Pœnit. lib. 7. cap. 4. & seq.

nibus, quæ sub pœna excommunicationis ad finem revelandi in Ecclesia fiunt.

Conscientiæ examen.

§. IX. Quo autem peccata omnia eorumque variæ species & adjuncta, quæ malitiæ multum addunt, in confessione aperiantur, necesse ut ante christiani vitam suam bene recolant, & peccatorum reminiscantur: quod nostri *conscientiæ discussionem* seu *examen* appellant. Ut vero rite conscientia excutiatur, actiones & omissiones nostras omnes cum regulis, quæ officia sive hominis, sive civis, sive christiani præscribunt, oportet conferre: in qua collatione nihil sibi indulgeant, & eam diligentiam adhibeant christiani, quam in gravioribus negotiis homines probi solent adhibere. Utile in primis est homini christiano, ut singulis diebus ante somnum omnes diei actiones recolat, & de recte factis lætetur, male vero facta satagat emendare. Etiam sapientes inter ethnicos quotidie ante somnum conscientiam suam discutiebant. Auctor Pythagoreorum carminum Lysis ter nos ad animum diei facta revocare jubet, quo iverimus, quid gesserimus, quid gerendum omiserimus: malefactis dolendum, rectis lætandum: ita demum virtutis vestigiis inhæsuros. Quæ omnia ex doctrina Pythagoræ expressa fuisse Diogenes Laertius & Porphyrius in ejus philosophi vita testantur. Seneca quoque commendat morem, quo animus quotidie ad rationes reddendas vocatur (*a*); idque à Sextio fieri exacto quolibet die in nocturna quiete, à se vero sublato lumine etiam fieri affirmat. Hinc non levem sibi fructum spondeat Seneca (*b*), quippe qui illud Epicuri, *initium est salutis notitia peccati*, usurpat atque laudat. Quod si post diligentem sui discussionem aliquod grave peccatum memoriæ non occurrat, non propterea minus integra censetur confessio, sed omissa per oblivionem censentur confessione inclusa, quod Tridentini Patres docent (*c*).

Sigillum confessionis.

§. X. Peccata & reliqua omnia in ordine ad confessionem manifestata sancto secreto subjecta sunt, nec ea ex quavis causa aut verbis, aut signis manifestare, aut prodere Sacerdotes possunt: quod *sigillum confessionis* appellamus. Una cum confessione invaluit ejus secreti obligatio: qui enim legem dixit, ut fideles sua peccata Sacerdotibus confiteantur, idem etiam jussit, ne in confessione excepta peccata Sacerdotes proderent, aliter confessio odiosa esset & onus importabile. Et reipsa veteres Patres inculcant, nefas esse peccata confessionibus audita manifestari, quod productis eorum verbis Morinus & Lenglet du Fresnoy abunde demonstrant (*a*). Nec tantum Sacerdotes, verum etiam omnes, qui peccata pœnitentis ex confessione aut in ordine ad illam cognoverunt, eadem sacra silentii lege tenentur: quamvis major sit Sacerdotum quam aliorum obligatio. Hinc christiani, qui publicas fratrum confessiones olim audiebant, audita crimina potius complangere, quam revelare poterant. Imo nec scientia peccatorum in confessione habita uti possunt superiores ad exteriorem Ecclesiæ gubernationem (*b*); cavendum enim omnino est, ne confessio aliquo modo odiosa reddatur. Et si peccatum in confessione auditum in reipublicæ & Ecclesiæ perniciem tendat, Sacerdotes quidem monebunt Principes aut Ecclesiæ præpositos de imminenti periculo, sed ita ut directe vel indirecte rei non manifestentur (*c*). Tantum habita pœnitentium venia de auditis in confessione Sacerdotibus loqui fas est. Quod si contra silentii legem audita in confessione peccata Sacerdotes prodant, sacrilegii rei sunt, & depositi in arctum monasterium in pœnitentiam perpetuum includuntur (*d*): quas pœnas nova disciplina contra revelatores confessionum proponit (*e*).

(*a*) Senec. lib. 3. de Ira cap. 36.
(*b*) Id. ep. XXVIII.
(*c*) Trid. sess. XIV. cap. 6.

Quo corporis situ facta confessiones.

§. XI. Universus confessionis actus non uno eodemque corporis situ à peccatoribus fiebat. Omni ætate in genua flexi videntur peccatores à Sacerdotibus postulasse sua peccata se velle confiteri, quod Grancolasius (*f*) observat: quo eodem situ petebant & accipiebant pœnitentiam. Sexto sæculo & deinceps sedentes peccata sua christiani in plerisque Ecclesiis confessi sunt (*g*), non vero Constantinopoli, ubi stantes id faciebant, quod pœnitentialis Joannis Jejunatoris edicit. Ideo vero sedentes sua peccata pœnitentes aperiebant, quod longæ admodum erant confessiones, tum propter peccatorum distinctam narrationem & ad singula interrogata responsiones, tum præsertim propter pœnitentiæ impositionem & illius secundum Canones distributionem. Hinc laboriosum & vix tolerabile fuisset, pœnitentem tandiu genuflexum jacere. Ergo sedentes peccatores peccata sua confitebantur, & tantum in principio & fine confessionis genuflectebant, quo duplici tempore à Presbytero benedicebantur, ut à Deo auxilium gratiæ ad peccata sua recte manifestanda, & ad pie implendam pœnitentiam impetrarent. Sedentes quoque Sacerdotes confessiones exceperunt, & nunc excipiunt; sessio

(*a*) Morinus de Pœnit. II. cap. 19., Lenglet du Fresnoy Traité du sécret de la confession. chap 2. & seqq.
(*b*) Cap. 2. ext. de Offic. ordin. Confer. S. Thom. quodlib. 5. q. 7. art. 1.
(*c*) Confer. Drouven. de re Sacram. lib. 6. q. 5. cap. 3. q. 10.
(*d*) Cap. 12. ext. de Pœnit. & remiss.
(*e*) Conf. Lenglet. du Fresnoy in cit. tractatu chap. 14. n. 4.
(*f*) Grancolas. l' Ancien Sacramentaire part. 2. p. 316.
(*g*) Confer. Morin. de Pœnit. lib. 4. cap. 20. n. 3.

sio enim judicum propria est; sed Constantinopoli tempore Joannis Jejunatoris etiam Sacerdos stabat, dum pœnitens sua peccata stans manifestabat. Lapsu temporis in Occidente canonicæ pœnitentiæ imponi desierunt, & ideo non adeo longæ evaserunt confessiones: quo factum ut sedendi in confessione obsolesceret consuetudo, & peccata sua in genua flexi peccatores aperirent, & absolutionem acciperent; sed in Oriente ubi adhuc ex Canonibus pœnitentiæ imponuntur, adhuc sedentes sua peccata peccatores confitentur, quod Leo Allatius & Jacobus Goarius tradunt.

Locus excipiendæ confessionis.

§. XII. Locus autem, ubi fieri debent confessiones, Ecclesia est, nisi aliud necessitas jubeat, quod passim sacris Canonibus comprehensum est. Ad majorem vero pœnitentis humilitatem primis sæculis in inferiore Ecclesiæ parte narthece scilicet, peccata sua peccatores videntur manifestasse (*a*). Inde receptum est, ut ante altare confessiones fierent; ut enim constat ex pœnitentiali Joannis Jejunatoris, pœnitens, dum sua peccata aperiebat, stabat *in parte ingressus ad altare*, ab altera vero Presbyter adstabat; & in antiquis latinis confessionis formulis pœnitentes confiteri dicuntur *Deo & coram altari & sanctis reliquiis*. Id profecto plus timoris & spei pœnitentibus inspirabat. Et quamvis non minus pœnitens, quam Sacerdos tempore confessionis sederent; tamen ante altare vel in alia Ecclesiæ parte nulla videntur fuisse loca in usum solius confessionis destinata, sedes istæ erant mobiles, & finita confessione tollebantur. Sed tandem ubi confessiones frequentiores fieri cœperunt, peculiaria loca iis excipiendis constituta sunt, quæ *confessionali* Italis vocantur, eaque in locis Ecclesiæ patentioribus locari Canones jubent (*b*).

CAPUT XX.

De satisfactionibus.

Quid satisfactiones, & quo jure inductæ.

§. I. Postremus pœnitentis actus, qui ad Sacramenti reconciliationis, quasi materiam pertinet, satisfactio est; quæ alio nomine etiam *pœnitentia*, sed stricto sensu, nuncupatur; nam alias pœnitentia etiam dolorem & sententiæ mutationem exprimit. Veniunt satisfactionis nomine opera laboriosa & dura, quæ à Sacerdote imposita peccatores sponte subeunt ad peccatorum suorum vindictam & in-

(*a*) Grancol. l' Ancien Sacramentaire part. 2. pag. 787.
(*b*) Confer. N. Alexander lib. 2. Theol. dogm. & moral. de Sacram. Pœnit. cap. 3. art. 7. reg. 22.

injuriam Deo illatam expiandam. Equidem jure divino satisfactiones pœnitentibus necessariæ sunt, ut injuriam Deo illatam peccatores pro modulo suo rependant, sub qua conditione Deus indulgentiam per pœnitentiam elargitur: in quo pœnitentia distat à Baptismo, qui sine congruis satisfactionibus omnimodam concedit indulgentiam. Exigebat quippe divina justitia, ut qui ignorantes ante Baptismum deliquerunt, faciliori ratione in gratiam & omnimodam indulgentiam reciperentur; aliter vero qui illuminati amplissimum patrimonium profligarunt. Et deinde etiam pœnarum freno christiani erant coercendi, ne spe facilioris reconciliationis justitiam parum curarent. Hinc pœnitentia remittit quidem omnem culpam, at non semper omnem pœnam: sæpe enim peccato, quod spectat ad culpam, remisso pœna temporalis, in quam vi Sacramenti æterna commutata est exsolvenda superest. Satisfactiones autem istæ vim omnem suam à meritis Christi mutuantur: tantum abest, ut satisfactionibus nostris pretium sanguinis Christi vel minimum enervetur. Quæ omnia docet Ecclesia (*a*), & theologi late demonstrant (*b*). Et certe errant hæretici recentiores, qui contendunt, humana non divina lege inductas satisfactiones, ut Ecclesiæ per peccata offensæ satisfiat: quam hæresim in primis Boehmerus ex confœderatæ disciplinæ regulis exornavit (*c*). Equidem antiqui Patres docent, Deo non Ecclesiæ peccatores laboriosis operibus satisfacere (*d*): & deinde quî occulta crimina pœnitentiis obnoxia fuissent, si per pœnitentiam Ecclesiæ offensæ satisfaceret?

Opera in pœnitentiam imposita.

§. II. Jam vero quæ in pœnitentiam vi clavium imponi debent, sunt opera religiosa, quæ molestiam & dolorem peccatoribus ingerunt, non quod Deus humanis cruciatibus delectatur, sed quod nos ei placere studemus, dolorem in peccatorum expiationem tolerantes. Et quî alias Deo peccatis offenso poterit satisfieri? Itaque pœnitentiæ opera sunt orationes, piæ meditationes & lectiones, jejunia, fletus, vestium asperitas, vigiliæ, humi cubationes, silentium, solitudo, eleemosynæ, & si quæ alia sunt charitatis & religionis opera. Quæ omnia ad tria reducuntur, orationem nempe, jejunium & eleemosynam. *Tria sunt*, inquit Leo M. (*e*), *quæ maxime ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, jejunium & eleemosyna*. Et quamvis sæpe fiat, ut pœnitentes sibi imposita pœnalia opera libenter impleant, quod Deum ament; id tamen Deo magis accep-

(*a*) Trid. sess. XIV. cap. 8. disert.
(*b*) Confer Juenin. de Sacram. part. 6. quæst. 6. cap. 1. & Drouven de re Sacram. lib. 6. quæst. 6. cap. 1.
(*c*) Boehmer. diss. III. ad Plinium & Tertull. §. 23. & seqq.
(*d*) Tertull. de Pœnit. cap. 9. & 11., Cyprian. ep. LV., August. hom. L. ex. quinquaginta, aliisque passim.
(*e*) Leo M. serm. I. de Jejun. dec. mens.

ceptam facit pœnitentiam, quæ tum demum vera est, si ex Deî amore procedit. Equidem sponte pœnalia opera sibi imposita subire debent pœnitentes, adeo ut si invitis pœnitentia detur, pœnitentiæ rationem amittat. Cæterum tanta est Dei in homines benignitas, ut non solum pœnis à nobis in peccatorum vindictam susceptis, aut vi clavium impositis, sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis satisfaciamus: quæ est Ecclesiæ doctrina (*a*). Sed pœnæ à Sacerdotibus impositæ ad satisfactionem plus aliquid virtutis habent, quam quæ à pœnitentibus sponte sumuntur aut tolerantur: & in veteri disciplina pœnitentiæ nisi auctoritate clavium imponerentur, ad Ecclesiæ pacem obtinendam nihil quidquam valebant, quod Albaspinæus (*b*) observat.

Pœnitentia alia privata, alia publica.

§. III. Imposita autem pœnitentiæ opera aut clam, aut palam coram Ecclesia impleri debent. Privata pœnitentia hoc tempore frequentissima est, contra publica in veteri disciplina magis obtinebat, ejusque vim ad peccatorum veniam à Deo impetrandam Patres magni fecerunt (*c*). Qui eam subibant Ecclesia ejiciebantur, nec interim communibus fidelium precibus & Eucharistia communicabant. Initio nullis certis stationibus, nec certis definitis spatiis acta est; pendebat enim ab Episcopi arbitrio, qui pro prudentia sua aptas pœnitentias irrogabat, & pœnitendi spatium pro vario pœnitentium studio definiebat: quæ disciplina usque ad schisma Novatianum, quod medio ferme sæculo tertio erupit, videtur perdurasse (*d*): antiquiores enim Patres nec stationes pœnitentiarum veluti ab Ecclesia impositas, nec tempus in puniendis peccatis definitum unquam commemorant. Jubet quidem unus ex Canonibus Apostolicis, laicum, qui seipsum abscindit, tres annos pœnitere (*e*); at certe Canones apostolici non tantam antiquitatem præ se ferunt, quantam eis Apostolorum nomen videtur conciliare. Sed exorta hæresi Novatiana, quæ negabat esse in Ecclesia potestatem ad gravia peccata post Baptismum admissa dimittenda, Ecclesia pœnitendi methodum præscripsit, severiores quam antea indixit pœnas, & tempora, quibus singula crimina purgarentur, cœpit definire, sic proculdubio exigente temporum iniquitate: quo factum, ut ratio curandorum per pœnitentiam criminum veluti in artem abierit.

Pu-

(*a*) Trid. sess. XIV. cap. 9.
(*b*) Albasp. observ. lib. 2. cap. 3.
(*c*) Conf. Morin. lib. 5. cap. 6. & seq.
(*d*) Conf. Morin. lib. 6. cap. 1. & Cardin. Bona de reb. liturg. lib. 1. cap. 17. §. 3.
(*e*) Can. Apost. XXIV.

Publicæ pœnitentiæ stationes.

§. IV. Methodus ista & ars agendæ publicæ pœnitentiæ potissimum in distributione pœnitentium in quatuor classes seu stationes consistebat. Vocabantur autem pœnitentes per eas classes tributi προσκλαίοντες, ἀκροώμενοι, ὑποπίπτοντες & συνιστάμενοι, *flentes*, *audientes*, *substrati & consistentes* (*a*). Flentes dicebantur, qui pro foribus Ecclesiæ stabant, ubi iniquitatem suam confitebantur & flebant, & fidelibus Ecclesiam introeuntibus, ut pro se precarentur, postulabant. Ab ipso Ecclesiæ initio consueverunt peccatores pro foribus Ecclesiæ lacrymis & cinere conspersi petere pœnitentiam; at fletus iste sponte suscipiebatur, nec in partem pœnitentiæ ab Ecclesia impositæ ante inductas pœnitentium stationes veniebat (*b*). Audientes stabant intra portam in loco, qui *narthex* dicebatur, & divinam Scripturam & sermonem audiebant, quibus finitis cum reliquis audientibus sive ethnicis sive catechumenis Ecclesia exibant. Quod graviter peccassent, videbantur audientes rudimenta fidei vix didicisse, ac proinde ad ea iterum discenda mittebantur, quod profecto maximum erat opprobrium. Substrati in Ecclesia usque ad ambonem stabant, ubi post ejectos audientes in genua provoluti manus impositionem sub certis precibus ab Episcopo accipiebant, & inde similiter Ecclesia exibant: interim vero duris & laboriosis operibus se exercebant. Etenim hæc statio proprie erat pœnitentialis, aliæ namque ad pœnitentiam præparabant; quo factum est, ut substrati sine alio addito *pœnitentes* dicerentur (*c*). Consistentes demum cum fidelibus in Ecclesia consistebant & precabantur, sed in Christi corpore non communicabant: idque erat χορὶς προσφορᾶς κοινονεῖν τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν *sine oblatione cum populo in precibus communicare*, ut Nicæni & Ancyrani Canones habent (*d*). Fuerunt hæ stationes apud orientales quarto sæculo solemnes, easque in suis Canonibus Gregorius Thaumaturgus primus usurpat; sed in Ecclesia occidentali præsertim fletus & auditio non adeo frequentes fuerunt (*e*).

Quæ peccata publicis pœnitentiis vindicata.

§. V. Peccata levia oratione quotidiana & privata compunctione, gravia vero clavium ministerio in Sacramento Pœnitentiæ curantur: quæ est Patrum doctrina. Sed num omnia mortalia peccata per publicam pœnitentiam vetus Ecclesia expiarit, inter doctos disputatur. Jo. Morinus, cui multi subscribunt, contendit, primis fer-

(*a*) Confer. Morin. lib. 6. cap. 1. & seqq. & Albaspin. Observ. lib. 2. cap. 22. & seqq. & Bingh. Orig. eccles lib. 18. cap. 1.
(*b*) Morin. lib. 6. cap. 2. n. 3.
(*c*) Conc. Laodic. Can. XIX.
(*d*) Conc. Nicæn. Can. XI. Conc. Ancyr. IV.
(*e*) Conf. Morin. loc. cit. cap. 2. n. 16. & cap. 4. n. 8. & seqq.

ferme quatuor sæculis tria tantum immania crimina idolatriam, homicidium & mœchiam, eorumque species, inde etiam quæcumque gravissima censebantur, per publicam pœnitentiam fuisse expiata (a). Contra vero Duguetus (b) omnia peccata mortalia publicis pœnitentiis credit expiata. In hac opinionum discrepantia magis videtur esse, omnia peccata mortalia saltem in multis Ecclesiis curata fuisse per publicam pœnitentiam, quæ initio fere ab arbitrio Episcoporum pendebat, lapsu vero temporis in plerisque criminibus per Canones determinata est. Sane veteres Patres in primis Tertullianus & Cyprianus ad gravium peccatorum remissionem non aliam quam publicam pœnitentiam videntur agnoscere, omnesque sive mente, sive opere lapsos ad eam amplectendam passim hortantur (c). Augustinus quoque pluribus locis triplicem distinguit in Ecclesia pœnitentiam, unam, quæ Baptismum antecedit, alteram fidelium justorum, qua purgantur delicta venialia, tertiam luctuosam & publicam pro peccatis, *quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (d). Et si alicubi agnoscat Augustinus esse peccata, quæ non publica & luctuosa pœnitentia, sed *quibusdam correptionum medicamentis* expiantur (e); peccata ista non videntur esse mortifera, quando meris correptionibus curabantur. Nec porro obstat, quod Gregorius Nyssenus, Basilius M. aliique veteres tantum gravioribus criminibus publicam dicunt pœnitentiam, nam verba faciunt de pœnitentia per Canones statuta; nec inde sequitur, reliqua crimina publicæ pœnitentiæ, quæ arbitrio Sacerdotum imponeretur, non fuisse subjecta.

Qualis publica pœnitentia pro criminibus occultis.

§. VI. Quidquid vero sit de criminibus, quibus vetus Ecclesia publicam pœnitentiam irrogabat, illud videtur exploratum, crimina etiam occulta publicis & canonicis pœnitentiis fuisse curata, quod apertis argumentis Morinus demonstrat (f). Intererat vero multum inter publicam publicorum & publicam occultorum criminum pœnitentiam. Publica pœnitentia manifestis peccatoribus palam & ab Episcopo, occultis vero clam & etiam à Presbytero imponebatur: rei quoque publicorum criminum censuris cogebantur ad pœnitentiam, non vero occulti peccatores, quibus tantum clam denegabatur reconciliatio, si agere pœnitentiam detrectarent: & demum publici ob publica crimina pœnitentes palam & à solo Episcopo pacem accipiebant, nisi aut Episcopus juberet, aut in ejus absentia urgeret necessitas; qui vero ob crimina clam admissa publicæ pœnitentiæ subjecti erant, clam & sine solemnibus etiam à Presbytero poterant reconciliari (a). Ex publica autem occultorum criminum pœnitentia licet ex Canonum præscripto peracta, crimina non manifestabantur: etenim felicioribus illis Ecclesiæ sæculis multi nullorum criminum rei, præsertim in Hispania, eam sponte suscipiebant, adeo veteres publicam pœnitentiam magni faciebant: & deinde sacri Canones multis criminibus sæpe similem pœnitentiam imponebant. Quod si forte timeri poterat, ex publica pœnitentia occultum crimen prodi, tum Sacerdos publicam pœnitentiam in occultam commutabat; ut Morinus observat (b).

(a) Morin. lib. 5. cap. 2. & 4.
(b) Duguetus dissert. XXXIX. §. 2. & seq.
(c) Tertull. de Pœnit. cap. 4., Cyprian. ep. X.
(d) Aug. hom. L. ex. L. Conferat. Duguet. loc. cit. §. 2.
(e) Aug. de Fide & operib. cap. 26.
(f) Morin. lib. 5. cap. 9. & seqq. Conf. N. Alexand. diss. VI. in 3. sæc.

Pœnitentiæ impositio.

§. VII. Pœnitentia autem sive publica, sive privata Ecclesiæ auctoritate est imponenda: quum enim ligandi atque solvendi potestas penes Ecclesiam sit, haud dubie ejus auctoritate æstimandum est, quidquid ad peccata eluenda pertinere & valere debet. Hinc phrases illæ in antiquis monumentis *pœnitentiam dare*, *pœnitentiam accipere*, quibus non peccatorum absolutio, sed pœnitentiarum impositio plerumque designatur. In veteri vero disciplina per manuum impositionem & preces dabatur pœnitentia (c), iisque rogabatur Deus, ut auxilium gratiæ suæ ad recte pœnitentiæ labores obeundos in pœnitentem effunderet: idque publice vel occulte fiebat, prout peccata publica vel occulta essent. Dabatur autem publica pœnitentia quovis tempore: sed post sæculum sextum peculiaris dies ejus dationе solemnis esset cœpit, feria nempe quarta ante dominicam primam quadragesimæ, qui à cineribus in capita pœnitentium spargi solitis *dies cinerum* audit, non quod tantum eo die pœnitentia daretur, sed quod datione pœnitentiæ solemnis esset (d). Hac autem pœnitentiæ datione species infima ecclesiasticæ communionis concedebatur, & præterea à Deo auxilium infundi in pœnitentem credebatur, ad pœnalia opera fortiter implenda (e): quo spectant Concilii XII. Toletani Patres, qui pœnitentiæ dationem dicunt *pœnitentiæ donum, quod nescientibus illabitur* (f). Sed in nova disciplina pœnitentia sive privata sive publica sine ullis solemnibus imponitur, nec ejus impositio gratiæ donum effundere creditur; præsentibus enim moribus fere absolutioni adhæret datio pœnitentiæ: & quæ beneficia ex pœnitentiæ datione effluebant, multo uberiora absolutio præstat.

Ha-

(a) Conf. Morin. cap. 16. & Espen. part. 2. tit. 6. cap. 2.
(b) Morin. lib. 5. cap. 8. n. 20.
(c) Conc. Agath. Can. XV.
(d) Can. in. cap. 64. D. 50. Confer. Morin. lib. 7. cap. 19.
(e) Confer. Albaspin. Observ. lib. 2. cap. 3.
(f) Conc. XII. Can. II.

Habitus publicæ pœnitentiæ.

§. VIII. Toti autem ad mœstitiam compositi & habitu pœnitentiæ induti peccatores petebant & accipiebant publicam pœnitentiam. Ergo pœnitentes propriis depositis vestibus cilicium induebant, & corpus cinere spargebant, ad mœstitiam & dolorem indicandum. *Totum corpus*, inquit Ambrosius (*a*), *incuria maceretur, cinere adspersum & opertum cilicio.* Videtur hic habitus à Judæis in Ecclesiam derivatus; apud Judæos enim cilicium & cinis mœstitiæ & doloris signi erant. Pœnitentes quoque si mares essent, capillos tondebant, aut capita radebant (*b*); feminæ vero velum pœnitentiæ sumebant (*c*), vel crines tondebant (*d*), vel illis per humeros sparsis & confusis in Ecclesia comparebant (*e*). Scilicet tonsio capillorum & rasura capitis in multis locis veluti signa doloris & mœstitiæ habebantur. Atque hinc nata est pœnitentium tonsura, quam monachi, utpote continuæ pœnitentiæ mancipati, assumpserunt. Sed in multis Hispanicis & Gallicanis Ecclesiis pœnitentes capillos & barbam nutriebant ut ita indicarent copiam criminum, *quibus caput peccatoris gravabatur*, inquit Isidorus (*f*). Erat hic pœnitentium habitus pars exomologesis, quæ, ut loquitur Tertullianus (*g*), *de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare.* Etiam qui clam deliquissent, pœnitentiæ habitu publicam agebant pœnitentiam, eoque distabant à publicis peccatoribus, quod clam nec tanta solemnitate saccum & cilicium induebant. Semel susceptus pœnitentiæ habitus gerebatur quousque durabat pœnitentia, & altari pœnitentes reconciliabantur; habitu enim pœnitentiæ pacem accipiebant: *Qui sub cilicio*, ait Concilium Toletanum I. (*h*), *divino reconciliatus est altario.*

Exercitia pœnitentium etiam post pœnitentiam.

§. IX. Quo tempore durabat publica pœnitentia, & præsertim in *substratione*, opera pœnalia pœnitentes tolerabant. Ergo continuis jejuniis corpus macerabant, eleemosynas erogabant, diebus dominicis & festis, & integra Pentecoste, quibus cæteri fideles stantes orabant, flexis genibus preces fundebant, &, quod maxime in Ecclesiis Africanis solemne erat, mortuos efferebant & sepeliebant (*i*). Pœnitentes quoque à multis aliis, quæ cæteris fidelibus erant licita, abs-

(*a*) Ambros. ad Virginem lapsam cap. 8. Confer. Morin. lib. 4. cap. 17. & seqq.
(*b*) Conc. Agath. Can. XV., Conc. Tolet. III. Can. XII.
(*c*) Conc. Tolet. III. Can. cit.
(*d*) Ambros. loc. cit.
(*e*) Hieronym. ep. XXX.
(*f*) Isidor. de Ecclesiast. offic. lib. 2. cap. 16.
(*g*) Tertull. de Pœnit. cap. 9.
(*h*) Conc. Tolet. I. Can. II.
(*i*) Conf. Bingh. Orig. eccles. lib. 18. cap. 2.

stinebant. Etenim nec balneis utebantur, nec convivia agitabant (*a*), & in Occidente etiam usu matrimonii interdicebantur, multo minus novas nuptias durante pœnitentia poterant contrahere (*b*). Voluptates enim à balneis, conviviis & usu matrimonii derivatæ non bene cum pœnitentia conveniebant. A vetito autem pœnitentibus matrimonii usu factum est, ut pœnitentia conjugatis nonnisi ex alterius conjugis consensu daretur (*c*). In Occidente quoque quarto & sequentibus sæculis pœnitentes militiam & sæcularia negotia, quæ peccatis erant occasioni, veluti mercaturam, forenses causas, officia publica deponebant (*d*). Quin etiam eo severitatis in Ecclesiis occidentalibus, & præsertim Romana, evasit pœnitentia, ut etiam post pacem datam ad militiam, sæcularia negotia & matrimonii jam contracti usum amplius redire non liceret, nec reliquo vitæ tempore novas nuptias contrahere: quod Siricius Papa & Leo M. (*e*) testantur. Una erat publica pœnitentia: hinc quo magis christiani sibi caverent à peccatis, videtur inductum, ut perpetuum negotiis omnibus, quæ criminibus erant occasioni, renuntiarent. Usque ad sæculum septimum integra stetit disciplina, quæ propter publicam pœnitentiam usu conjugii & negotiis sæcularibus perpetuum interdicebat: tum aliam peperit severitatem, ut nempe qui atrocia crimina sive palam sive clam, veluti parricidium, homicidium, adulterium, raptum admitterent, interdictis illis tenerentur: desiit enim eo sæculo in Ecclesia occidentali publica occultorum criminum pœnitentia: & ita qui publicæ pœnitentiæ erant effectus, certis criminibus, ne rei pœnis meritis & consuetis eximerentur, tributi sunt (*f*). Sed tandem una cum canonicis pœnitentiis hæc disciplina post sæculum XI. sensim desuevit.

Explicatur vox exomologesis.

§. X. Universus autem pœnitentiæ publicæ apparatus & ritus externi, luctus & dolor, quibus ea peragebatur, *exomologesis* Patribus & Græcis & Latinis dictus est. Ἐξομολογεῖσθαι proprie est confiteri. Apud septuaginta Interpretes ἐξαγορεύειν est confiteri, ἐξομολογεῖσθαι vero Deum laudare: qui enim confitentur Deum esse, eique peccata sua aperiunt, eum laudant, & supra humanam naturam attollunt. Sed Apostoli hanc distinctionem non observarunt, & verbo ἐξομολογεῖσθαι in utraque notione usi sunt (*g*). Ecclesiastici scriptores peccatorum confessionem aliquando exomologesim appellant; frequentius vero eo nomi-

(*a*) Pacianus parænes. ad Pœnit.
(*b*) Hieronym. in Joel cap. 2.
(*c*) Conc. Arelat. II. Can. XXII.
(*d*) Confer. Morin. lib. 5. cap. 18. & seq.
(*e*) Siric. ep. 1. cap. 5. ad Himer. Tarrac., Leo M. ep. XCII. ad Rustic. Narbon. edit. Quesn.
(*f*) Confer. Morin. lib. 5. cap. 22.
(*g*) Conf. Morin lib. 2. cap. 2.

mine universam pœnitentiæ actionem designant (*a*). Scilicet qui peccata sua confitebantur, ea cilicio & sacco induti plangere & detestari, & in humilem statum se conjicere solebant; hinc universæ pœnitentiæ actio fletibus, petitione pœnitentiæ, humili veste & sui dejectione constans *exomologesis* à Patribus dicta est. *Exomologesis*, inquit Tertullianus (*b*), *est prosternendi ac humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ ilicem. De ipso quoque habitu & victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare.* Ampla autem hæc exomologesis significatio sæpe restringitur, significatque unum pœnitentiæ actum, quo peccatores reconciliationi proximi fletibus & gemitibus peccata sua detestabantur; quo sensu apud Cyprianum sæpe occurrit, quod Petavius & Albaspinæus observant (*c*). Quæ quum ita sint, errant profecto quotquot, ubi apud veteres *exomologesis* vox occurrit, confessionem arcanam interpretantur.

Publica pœnitentia semel dabatur.

§. XI. Publica autem pœnitentia una erat, & ideo sive propter publica, sive propter occulta scelera semel peracta, iterum eidem in eadem vel alia scelera relapso non dabatur, quod Hermes, Tertullianus, Origenes, Ambrosius, Augustinus aliique testantur & inculcant (*d*). Tantæ autem severitatis causa videtur fuisse, ne fideles Ecclesiæ matris indulgentia abuterentur, *ne lusisse de dominica communione videantur*, ut Patres Illiberitani loquuntur (*e*), seu, ut habet Augustinus (*f*), *ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis.* Qui autem secundam non accipiebant pœnitentiam, perpetuum Ecclesiæ communione separabantur, nec privata pœnitentia & absolutione unquam videntur reconciliati, quod Petavius, Albaspinæus & Morinus recte observant (*g*). Etenim docet Augustinus, relapsos copia lacrymarum & abundantia doloris tantum à Deo, non ab Ecclesia sperare potuisse peccatorum remissionem: & deinde absurdum videri debet, privata pœnitentia reconciliari potuisse, quos publica & luctuosa non expiabat. Sub Nectario, qui publicam pœnitentiam abrogavit, disciplina unius pœnitentiæ in Oriente desiit, sed in Ecclesia latina, quamvis ad humanitatem proclivior, diutius perduravit. Exeunte enim sæculo quarto Siricius Papa statuit, ut post pœ-

(*a*) Albaspin. lib. 2. Observ. cap. 26.
(*b*) Tertull. de Pœnit. cap. 9.
(*c*) Petav. in Epiph. hær. 69. Albasp. loc. cit.
(*d*) Hermes post lib. 2. mandat. 4. Tertull. de Pœnit. cap. 9. Origen. hom. XV. in Levitic. Ambr. de Pœnit. lib. 2. cap. 10., Aug. ep. LIV. ad Macedon. Conf. N. Alexand. diss. X. prop. 1.
(*e*) Conc. Illiber. Can. III.
(*f*) Aug. loc. cit.
(*g*) Petavius in Epiphan. hær. LIX., Albaspin. Observ. lib. 2. cap. 5. Morin. lib. 5. cap. 27.

pœnitentiam relapsi, quoad viverent, orationibus & sacris mysteriis sine oblatione communicarent, & in fine viaticum & pacem acciperent (*a*). Sed tandem octavo sæculo ubi criminibus occultis non amplius publica pœnitentia cœpit iterari, tantumque in mores posteriorum sæculorum derivavit, ut solemnis pœnitentia semel daretur.

Qui subjecti non erant publicæ pœnitentiæ.

§. XII. Quamvis autem publicis pœnitentiis graviora saltem crimina expiarentur; non tamen christiani omnes ob enormia crimina publicæ pœnitentiæ subdebantur; multi enim crimina sua secretis pœnitentiis vindicabant. Sane publicam pœnitentiam non subibant juvenes *propter ætatis fragilitatem*, quemadmodum Synodus Agathensis (*b*) habet: mulieres adulteræ, quod facile proderentur, iisque pœnitentia mortis causa esse posset (*c*): & conjugati, nisi alterius conjugis consensu (*d*) idque receptum videtur, ne usu matrimonii conjux innocens privaretur. In primis vero majores Clerici publicæ pœnitentiæ non subdebantur: quæ disciplina si non ante (non enim convenit inter doctos, utrum tribus primis sæculis publicæ pœnitentiæ Clerici majores obnoxii essent) certe quarto & sequentibus sæculis obtinuit, quod Synodus Carthaginensis V., Siricius Papa & Leo M. testantur (*e*). Imo Leo M. affirmat, *ex apostolica traditione* esse, ne Presbyteri & Diaconi per manus impositionem pro criminibus remedium pœnitendi accipiant; quæ verba aperte non probant, etiam tribus prioribus sæculis majores Clericos publicam non subiisse pœnitentiam: nam Leo M. de more aliquot antecessorum & successorum Pontificum nomine *traditionis apostolicæ* consuetudines in Ecclesia Romana tum receptas subinde appellat. In tanta humilitate, qua agebatur publica pœnitentia, præsertim post stationes inductas, indignum fortasse visum est, majores Clericos publice pœnitere. Ergo propter crimina ab officio suo dejecti, clam aut in monasteriis, aut aliis locis, à conspectu hominum remotis, crimina sua deflebant, nisi sponte publicam pœnitentiam elegissent, quam spontaneam eorum pœnitentiam Arausicani Patres admittunt, *pœnitentiam desiderantibus Clericis non negandum* (*f*). Cæterum Clerici minores non secus ac laici publicæ pœnitentiæ addicti sunt (*g*).

Pœ-

(*a*) Siric. ep. I. ad Himer. Tarrac. cap. 5.
(*b*) Conc. Agath. I. Can. XV. Conc. Aurelian. III. Can. XXIV.
(*c*) Basilius ad Amphiloch. Can. XXIV.
(*d*) Conc. Arelat. II. Can. XXII.
(*e*) Conc. Carth. V. Can. II., Siric. ep. I. ad Himer. Tarrac. cap. 14. Leo M. ep. XCII. ad Rustic. Narbonens. edit. Qûesn. Conf. N. Alexand. diss. XI. in 3. sæcul. prop. 2.
(*f*) Conc. Arausic. I. Can. IV.
(*g*) Confer. Juenin. diss. VI. quæst. 6. cap. 8. art. 1. §. 3.

Pœnitentiæ debent esse congruæ.

§. XIII. Jam vero pœnitentiæ non eadem mensura & eædem singulis imponi debent, sed spectata peccatorum gravitate & pœnitentium conditione; qua proportione & prudentia impositæ satisfactiones congruæ & salutares dicuntur, & eo ipso quo peccatis debitas pœnas expiant, animi affectiones medentur, qui sunt duo pœnitentiarum fines. Ut autem congruæ sint satisfactiones, gravitati criminum proportione quadam respondere debent, quod ex naturæ lege derivatur. Sunt peccata post illuminationem admissa majora iis, quæ Baptismum antecedunt (*a*): & hinc ad ea expianda graves & duras subire pœnitentias necesse est. *Justum est, ut quam magna deliquimus, tam graviter defleamus .... pœnitentia crimine minor non sit*, sunt verba Cypriani (*b*), cui cæteri Patres consonant. Sed in æstimandis congruis pœnitentiis initio Ecclesia benignior fuit, quod probat Morinus (*c*), tum aucto christianorum numero, & tot caussis ad perdendam virtutem inductis, severiora remedia Ecclesia cœpit adhibere, ut qui virtutis amore ad justitiam non componebantur, saltem formidine pœnæ à peccatis abstinerent. Ex qua pœnarum gravitate veteres Sacramentum Pœnitentiæ *laboriosum Baptismum* dixerunt (*d*). Et inde est, quod veteres vix unquam congruam pœnitentiam esse crederent. *Facilius inveni*, inquit Ambrosius (*e*), *qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam.*

Et salutares.

§. XIV. Pœnitentiæ porro salutares esse debent, & in peccantium medicinam, ut veluti quodam freno à peccatis revocent, habitus vitiosos emendent, & bonos mores instillent: qua in re spiritualis medicina corporali similis est. Itaque non eædem pœnitentiæ singulis imponi debent, sed prout variant peccata, varia remedia adhibenda sunt. Quo sensu Chrysostomus illud Joannis Baptistæ *facite fructus pœnitentiæ* hom. X. in Matth. ita commentatur. *Aliena rapuisti? incipe jam donare propria. Longo tempore fornicatus es? præscripto tempore ab uxore abstine: meditare continentiam. Proximum verbo vel facto violasti? refer benedictionis verba convitiis, & percutiones te beneficiis placare contende*, & ita porro. Atque ex hac pœnitentiarum singulis criminibus attributione veteres sæpe eas appellant *medicinas*, & Sacerdotes *medicos animarum*. Quos imitatus Burchardus lib. XIX. decretorum, qui in docenda confitendi pœnitendi & reconciliandi ratione totus est, *correctorem* & *medicum* appellavit.

Pœ-

(*a*) Trid. sess. XIV. cap. 8.
(*b*) Cypr. de Lapsis sub finem, Ambr. de Pœnit. lib. I. c. 2., Innocent. I. ep. I.
(*c*) Morin. lib. 4. cap. 9. & seq.
(*d*) Apud Morin. lib. 3. cap. 4. n. 6. & seqq.
(*e*) Ambros. de Pœnit. lib. 2. cap. 10.

Pœnitentiæ longæ sint oportet.

§. XV. Congruæ & salutares satisfactiones ex sententia veterum Patrum non horæ momento absolvi debent, sed in longum tempus sunt continuandæ. Peccata sunt animi morbi; morbi autem momento non curantur. Tempore opus est ad amovendas peccati occasiones, ad imagines peccatorum abolendas, & animi affectus componendos, ad malos habitus evellendos & bonos instillandos, & ad animi consilium, ut amplius non peccemus, roborandum. Deinde longa pœnitentia quod malum peccator perpetravit, melius intelligit: & diligentius in posterum à peccatis sibi cavet. *Quod enim facile sanatur*, inquit Augustinus (*a*), *non multum cavetur. Ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia receptæ sanitatis.* Facilitas veniæ veluti peccandi stimulus habetur. *Si cito redderet hominem ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem*, sunt ejusdem Augustini verba (*b*). Ex remissionis quoque difficultate cognoscebant boni, quantæ impiis pœnæ præparabantur, sicque aliorum exemplo cautius à peccando abstinebant. Et quamvis contritio tanta doloris acerbitate concipi possit, ut momento pœnas omnes expiet, & peccatorem à via sua mala ad Deum convertat; tamen id raro contingit, & ubi contingit, nonnisi temporis lapsu & externis signis Ecclesiæ innotescet (*c*). Et hinc diligenter inspiciebant Episcopi, quo studio impositos labores sustinerent pœnitentes: & si constabat de eorum vera conversione, pœnitentias minuebant adeo ut audientes transferrent.

Unde exorti libri pœnitentiales.

§. XVI. Quæ quum ita sint, summa fuit veterum Patrum cura, ut propria remedia & justa pœnitendi tempora singulis criminibus tribuerent. Tractabant ea de re in Conciliis, quæ ad alias Ecclesiæ necessitates primario erant indicta; sæpe etiam ubi peccatorum gravitas postulabat, extraordinariam Synodum cogebant, quæ tantum imponendam pœnitentiam definiret (*d*). Et profecto Canones Illiberitani, Ancyrani, Nicæni & Concilii Arelatensis I. pro maxima parte sunt pœnitentiales. Consulebantur quoque primarum sedium Episcopi, & qui scientia & probitate inter alios eminebant (*e*): & consulti Episcopi in gravibus & novis peccatis Synodum, quæ de imponenda pœnitentia tractaret, indicebant. Hinc tot editæ epistolæ canonicæ, veluti Dionysii Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Gregorii Nysseni & omnium amplissima Basilii

(*a*) Aug. comm. in hæc verba Psalm. VI. *Et tu Domine usquequo.*
(*b*) Aug. serm. XXXIV. de Divers.
(*c*) Aug. in Enchir. cap. 65. apud Grat. Can. LXXXIV. de Pœnit. D. I.
(*d*) Morin. lib. 6. cap. 14.
(*e*) Cypr. ep. LIII.

lii M., quæ omnes totidem sunt congestæ regulæ, pœnitentias & earum tempus variis criminibus definientes. Ex his Conciliorum & Patrum regulis, quæ labentibus annis numero creverunt, collecti sunt *libri pœnitentiales*, libelli nempe, qui pœnas singulis criminibus imponendas, modum ritumque edendæ confessionis, dandæ pœnitentiæ & reconciliationis præstandæ complectuntur. Compositi sunt Episcoporum jussu vel approbatione in gratiam fortasse inferiorum Sacerdotum, quibus sub Nectario in Oriente integra pœnitentiæ administratio etiam permissa est, & in Occidente septimo sæculo peccatorum occultorum pœnitentia cessit; nec enim facile erat inferioribus Presbyteris Canonum codices evolvere in quos, præter pœnitentiales, de universa re ecclesiastica Canones conjecti erant. In Occidente pœnitentiales Theodori Cantuariensis, Bedæ, Rabani Mauri & Romanus in primis celebres fuerunt (*a*), in Oriente vero pœnitentialis Joannis Jejunatoris, & alter Joannis Monachi facile primas tenent.

Pœnitentiæ ex Canonibus impositæ.

§. XVII. Latis Canonibus pœnitentialibus, ex eorum auctoritate, non pro arbitrio Sacerdotum, pœnitentias imponi necesse fuit. Erant Sacerdotes pœnitentiæ præpositi instar judicum Romanorum, qui formulæ erant addicti. Hinc Carolus M. unumquemque Parochum monebat, ut Canones pœnitentiales legeret, animoque infigeret, *ut de Canonibus doctus sit, & suum pœnitentiale bene sciat.* Et qui ad sacerdotium promovebantur, ante ordinationem etiam pœnitentialem discere debebant. Et dum Episcopi Synodum celebrabant, inter alia Presbyteros admonebant, ut *non ex corde, sed sicut in pœnitentiali scriptum est*, pœnitentias darent: & dum parœcias visitabant, ab iisdem quærebant, num pœnitentialem, ex quo pœnitentias decernerent, haberent (*b*). Cumque sæculo nono non defuerint, qui pestifera indulgentia minus æquas pœnitentias injungerent, utentes quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos pœnitentiales vocabant, Synodus Parisiensis VI. edixit, ut Episcopi in suis parœciis falsos codices diligenter investigarent; & inventos igni traderent (*c*). Dum pœnitentiæ ex Canonum auctoritate impositæ sunt, quotquot de expiandis per pœnitentiam criminibus scripserunt, nil aliud quam Canones & Patrum dicta cumularunt, vixque de suo aliquid addiderunt: quæ scribendi methodus fere ad exitum sæculi XII. perduravit. Sed inde quum pœnitentiæ sensim evasissent arbitrariæ, scholastici scribendi methodum mutarunt, & potius ex propriis ratiociniis, quam ex sacris Canonibus de imponendis pœnitentiis scripserunt: qua in re plerique casuistarum tanta benignitate usi sunt, ut pœnitentiam enervarint, quorum libros utinam exemplo Patrum Parisiensium Episcopi conquirerent & igni traderent.

(*a*) Confer. Douviatius Prænot. lib. 3. cap. 32.
(*b*) Apud Reginon. lib. 1. cap. 98.
(*c*) Conc. Parisiense an. 839. lib. 1. cap. 32.

Publica pœnitentia in Oriente abrogata.

§. XVIII. Jam vero pœnitentiarum disciplina per antiquos Patres statuta, lapsu temporis in utraque Ecclesia fere per omnia mutata est. Et apud Orientales quidem sub quarti sæculi finem publica, & in tot gradus tributa pœnitentia, non minus pro occultis quam pro publicis criminibus, abrogata est. Equidem Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus ob constupratam à Diacono matronam, quæ in Ecclesiæ agebat pœnitentiam, & pœnitentiarium confessionibus & pœnitentiis præpositum, & publicam quorundam occultorum criminum confessionem, & publicam pœnitentiam sustulit, quod Socrates & Sozomenus (*a*) narrant. Exemplum Ecclesiæ Constantinopolitanæ mox reliquæ orientales Ecclesiæ secutæ sunt. Hinc brevi per Orientem pœnitentiarum disciplina mutata est, nec amplius manus super pœnitentes impositæ, & pœnitentium stationes præter consistentiam, quam Græci deinceps constanter retinuerunt, abolitæ sunt. Sed non simul abrogatæ sunt canonicæ peccatorum pœnitentiæ: etenim deinceps Græci vel secundum Canones, vel pœnitentiales libros, qui de Canonum severitate non admodum remittebant, semper imposuerunt pœnitentias. Quo spectant Canones Chalcedonenses, Trullani aliique (*b*), qui pœnitentias sic afferunt κανονικοῖς ἐπιτιμίοις ὑποκεῖσθαι, *canonicis pœnitentiis subjiciatur*. Hinc Græci pœnitentiam κανόνα dicunt, & κανόνα ποιεῖν illis est in pœnam peccatis impositam exsequi. Tantum igitur quod publicum erat, occultum evasit, & sublato qui pœnitentiis præerat, Presbytero, canonicæ pœnitentiæ à Presbyteris, qui confessiones excipiebant, impositæ sunt, easque pœnitentes ipsi pro sua fide & religione, nemine conscio & judice, implere cœperunt (*c*). Quod etiam receptum est in criminibus publicis in quibus etiam clam Canonem implere solent; sed dum sacra mysteria celebrantur ab Ecclesia ναῷ, sive templo secedunt & in narthece subsistunt.

Et inde etiam in Occidente.

§. XIX. Sed quod spectat ad Ecclesiam latinam, in ea diutius invariata stetit pœnitentialis disciplina; tandem vero septimo sæculo invaluit, ut publica crimina publicis, occulta vero occultis pœnitentiis, sed ex Canonum regulis, expiarentur; cui innova-

(*a*) Socrates lib. 5. cap. 19., Sozomen. lib. 7. cap. 16.
(*b*) Conc. Chalced. Can. III. VIII. IX. Conc. Trull. Can. XLVI. & LIII.
(*c*) Confer. Morin. lib. 6. cap 22. & seqq. & Renaudot, Perpetuit. fidei tom. 5. lib. 3. & 4.

vationi Græcorum disciplina præcipuam causam præbuit (*a*). Scilicet Theodorus monachus Græcus Romam venit, ubi à Vitaliano Papa an. IↃCLXVIII. Episcopus Cantuariensis creatus est. Postquam in Angliam pervenit Theodorus, ex moribus præsertim Græcorum *pœnitentiale* composuit, in quo publicis peccatis publicam, occultis vero occultam imposuit pœnitentiam, omissis manuum impositionibus & stationibus pœnitentiarum. Statim hi mores per Angliam recepti, & fama sanctitatis & doctrinæ Theodori longe lateque per Occidentem diffusa, brevi reliquas latinas Ecclesias permearunt. Ita invaluit in Occidente regula, *de peccatis occultis occulte, de publicis publice pœnitendum* (*b*). Recepta hac nova disciplina nihil quidquam diminutum de canonicis pœnitentiis, tantumque quod antea palam fiebat, deinceps clam cœpit impleri. Sed in publica pro criminibus publicis pœnitentia totius substrationis gradus in desuetudinem abiit, & ex fletu inter audientes translati pœnitentes, tempore sacrorum mysteriorum Ecclesia non excludebantur, sed in angulo Ecclesiæ versus portam consistebant. Ita solemnis pœnitentium dimissio cessavit, & auditio posterioris ætatis quasi antiquæ consistentiæ vicem subiit (*c*). Et quamvis capitularia Regum Francorum & collectiones Canonum Reginonis, Burchardi, Ivonis aliæque antiquos Canones exhibeant; non tamen κατὰ λέξιν relati Canones observabantur, sed cum modificationibus, quas nova disciplina induxerat, quod ex pœnitentialibus constat.

Nova pœnitentiarum genera.

§. XX. Desueta in Occidente publica occultorum criminum pœnitentia, alias mutationes pœnitentiæ negotium subire cœpit. Inventa in primis sunt genera publicarum pœnitentiarum antiquis ignota, qualia circulus & nexus ferreus, quo membra corporis, præsertim homicidis, arctissime per plures annos constringi solebant; incertæ & vagæ per urbes & pagos peregrinationes; virgæ & cruenta flagella, quibus corpus pœnitentes dilacerarent; & monasticæ vitæ in pœnitentiam professio (*d*). Ipse quoque pœnitentium habitus durior & gravior evasit; pœnitentiæ tempore nudis pedibus incedere debebant, nec lineis vestibus, nec vehiculo uti poterant. Ex his pœnitentiarum generibus pleraque barbariem sapiunt, nec ad cordis conversionem sunt accommodata. Quid enim crudius quam membra circulis ferreis adstringere? Peregrinationes vagæ & incertæ potius nocent, quam prosunt cordis conversioni: vagi enim & incerti pœnitentes variis vitiis se conspurcant, & gulæ illecebris ser-

Carte lege.

(*a*) Confer Juenin. diss. VI. de Sacram. quæst. 6. cap. 4. art. 1. §. 3.
(*b*) Beda de Remediis peccator. cap. 7., Capitul. Reg. Francor. lib. 5. cap. 52. Cap. 1. ext. de Pœnit. & remissionib. Confer. N. Alexander diss. VI. in 3. sæcul. quæst. 2. art. 1. propos. 2.
(*c*) Confer Morin. lib. 7. cap. 7. & seq.
(*d*) Confer. Morin. lib. 7. cap. 13. & seq.

serviunt: spiritus enim conversionis & doloris quietem requirit; imo potius qui in desperationem aguntur, vagam & incertam vitam seligere solent. Flagella autem, quibus corpus excarnificetur, vix pœnitentiarum, quibus Deo satisfit, rationem habent; nec enim Deus à peccatoribus sanguinis effusionem postulat; & præterea flagella admodum sanitati nocent, & sæpe magis ad lasciviam provocant, quod ex rationibus physicis Jacobus Boileau probat (*a*), exemplisque etiam Henricus Meibomius (*b*) & Christianus Franciscus Paulini (*c*) confirmant. Et tamen sæculo XI. & sequenti flagella admodum celebria erant in Italia, adeo ut inde nata sit *secta flagellantium*, cujus historiam laudatus Boileau conscripsit. Quot absurda in religionem versa, quod vel natura humana, vel ipsa religio ignorabatur! Utinam vero non adhuc ignorantiæ vestigia superessent, vel in dies nova monstra non erumperent!

Publici peccatores vi ad pœnitentiam coacti.

§. XXI. Porro illud etiam in negotio pœnitentiæ innovatum est, ut publici peccatores vi & ministerio magistratus ad pœnitentiam cogerentur. Initio Ecclesia tantum petentibus dabat pœnitentiam; & publici aut convicti peccatores, qui eam sponte non petebant, tantum à corpore Christi separabantur, nec ulla vi cogebantur ad vitæ conversionem. Sed labentibus annis vi & imperio magistratus pœnitentia publicis peccatoribus objecta est, idque primum Patribus Milevitanis placuisse videtur (*d*); sed sæculo septimo & deinceps in regulam ordinariam abiit ut publici peccatores, qui in peccatis persistebant, vi armata aut privatione bonorum temporalium ad pœnitentiam, veluti obtorto collo, adducerentur (*e*). Hinc quod Ecclesia publica vi erat destituta, Episcopi Ministrorum regiorum implorabant auxilium, & *Missi dominici* & inferiores magistratus habebant in mandatis, ut Episcopis vi armata ad obstruendam pœnitentiam præsto essent. Verum per coactionem pœnitentiæ natura mutata est, quod recte Fleuryus observat (*f*): vera enim pœnitentia in cordis contritione consistit, & si cogatur, hypocritas potius, quam bonos christianos format. Imo Tridentini Patres longius progressi sunt; Episcopis enim faciunt potestatem, ut publicas concubinas ter admonitas, nec resipiscentes ipsi oppido vel diœcesi, invocato, si opus, auxilio magistratus expellant (*g*). Quod decretum, utpote fines gladii spiritualis egrediens, nec alibi, nec apud nos receptum

(*a*) Jac. Boileau Hist. flagellant. §. 1. & 2.
(*b*) Meibom. ep. de usu flagror. in re venerea.
(*c*) Christ. Franc. Paulin. flagell. salut. sect. 4. cap. 13.
(*d*) Conc. Milevitan. Can. XVII.
(*e*) Capitul. Regum Francor. lib. 2. cap. 23. & lib. 5. cap. 149., Confer. Morin. lib. 7. cap. 5.
(*f*) Fleuryus Discurs. histor. III. n. 16.
(*g*) Trid. sess. XXIV. de Reform. matrim. cap. 8.

tum es. Vis autem ad publicos peccatores corripiendos adhibita est: at occulti peccatores, si agere pœnitentiam detrectent, etiam in nova disciplina per vim ad conversionem non adiguntur, tantumque iis clam absolutio denegatur.

Nova pœnitentias computandi methodus.

§. XXII. Illud quoque novitatis genus in pœnitentias sæculo ferme decimo apud Latinos irrepsit, quod earum continuatio ita cœpit computari, ut in immensam annorum summam cresceret, cui implendæ nec longæva Patriarcharum vita sufficeret. Etenim nescio qua ratione ejus ætatis Sacerdotes tenebant, singulis ejusdem speciei peccatis in Canonibus præscriptam pœnitentiam deberi: quo fiebat, ut ejusdem speciei multiplicatis criminibus, tot annorum pœnitentia imponeretur, quot essent simul anni pro singulis peccatis, veluti si ponas unum adulterium pœnitentia decem annorum expiandum esse: centum annis in pœnitentia pro decem adulteriis erat incubandum (*a*). Sic Petrus Damianus numerasse videtur pœnitentiam, dum de quodam monacho, cujus audiverat confessionem, ita affirmat, *debebatur illi septuaginta, si recte capio, annorum pœnitentia, sicut nobis ex sacrorum Canonum sententia videbatur* (*b*). Non ita certe pœnitentiæ negotium æstimarunt veteres Patres, qui ubi plura ejusdem generis peccata expiari oportebat, intendebant quidem pœnarum rigorem, at eas vitæ humanæ accommodabant, non arithmetica, sed geometrica proportione, iisque minuendis demonstrata cordis contritio plurimum conducebat, nec nisi in enormibus criminibus usque ad vitæ finem extendebant pœnitentiam. Interim nova hæc pœnitentias computandi methodus & Canones ridiculos & pœnitentiam impossibilem faciebat: quod recte Fleuryus (*c*) observat. Quis enim centum & amplius annorum pœnitentiam unquam impleret? Et quis non parvi penderet & derideret regulas, quæ in usum deduci non poterant?

Canonicæ pœnitentiæ in Occidente desuetæ.

§. XXIII. Pœnitentiæ canonicæ apud Græcos adhuc perdurant, sed apud Latinos sæculo XII. & sequentibus sensim, non aliquo Ecclesiæ decreto, desierunt. Circuli ferrei & flagella & alia dura pœnalia opera de novo inventa, itemque nova pœnitentiæ computandæ methodus, qua pro singulis ejusdem speciei peccatis tempora pœnitendi multiplicari solebant, eo severitatis adduxerant canonicas pœnitentias, ut necessario ruere deberent. Ergo plures rationes, quibus pœnitentiæ redimerentur & commutarentur, inventæ sunt,

(*a*) Confer. Morin. lib. 10. cap. 18.
(*b*) Petrus Damian. de Perfect. monach. cap. 6.
(*c*) Fleuryus discur. 3. Histor. n. 16.

sunt, quas Morinus enarrat (*a*). In primis receptæ pœnitentiarum redemtiones, quibus impositas pœnas canonicas cum certis precibus, corporis flagellis, & præsertim cum pecunia & agris arbitrio pœnitentium commutare, seu, ut antiqui dicebant, *redimere* liceret: quæ praxis sub finem sæculi septimi fortasse inventa (*b*), deinceps magis convaluit, & in usum assiduum versa est. Inde commutari quoque cœperunt pœnitentiæ cum aliquo laborioso opere, quod in evidentem vel apparentem Ecclesiæ utilitatem cederet, quale opus tum censebatur arma capere contra infideles & hæreticos, occasionem præbente Hierosolymorum expeditione. Relaxatæ porro sunt canonicæ pœnitentiæ ob pecuniæ erogationem in ædificationem aut reparationem Ecclesiarum, & in pontium, itinerum, rerumque similium refectionem. Ex his tribus causis longi temporis decursu canonicæ pœnitentiæ fere intermissæ sunt, nec amplius facile erat finitis sacris expeditionibus eas restituere. Sic enim natura comparati sunt homines, ut postquam benignitate usi sunt, vix ad austeritatem reducantur. Porro Episcopi raro administrabant pœnitentiam, ejusque fere integrum negotium ad fratres mendicantes, tum exortos, devolutum erat. Mendicantes autem missi transeuntes erant, qui per provincias discurrebant, ac ita longo tempore pœnitentium vitam & conversationem non poterant observare (*c*). Hinc sponte sua factum, ut arbitrio Sacerdotum pœnitentiæ imponerentur & penderent: quæ est theologorum sæculi XIII. doctrina.

Pœnitentiæ congruæ & salutares etiam in nova disciplina.

§. XXIV. Desuetis apud Latinos Canonibus pœnitentialibus, Sacerdotis tanquam boni viri arbitrio pœnitentiæ decerni cœperunt; at arbitrium hoc non mera voluntas est; quin potius pro peccatorum gravitate & personarum qualitate leges habent suas. Sunt pœnitentiæ opera laboriosa & dura, quibus injuria Deo illata vindicatur, & animi morbi & affectiones curantur: quæ pœnitentiarum natura una est & immutabilis, tantumque ritus, quibus exercentur, mutari possunt. Hinc etiam post desuetos Canones pœnitentiales pœnitentiæ convenientes & salutares esse debent, tales nempe, quæ gravitati peccatorum respondeant, & animi morbos curare queant. Sane quo tempore pœnitentiæ arbitrariæ esse cœperant, tenuerunt S. Thomas & S. Augustinus (*d*), pœnas pro ratione criminum & personarum imponendas. Et Tridentini Patres docuerunt (*e*), debere Sacerdotes *salutares & convenientes satisfactiones injungere*, quæ sint tam in vitæ novæ custodiam & infirmitatis medicinam, quam ad pecca-

(*a*) Morinus lib. 10. cap. 16. & seq.
(*b*) Confer. Murator. diss. LXVIII. antiq. Italiæ.
(*c*) Fleuryus disc. Hist. 6. n. 11.
(*d*) S. Thom. in 4. Sententiar. quæst. 18. art. 3., S. Antonin. part. 3. tit. 17. c. 20.
(*e*) Trid. sess. XIV. cap. 8.

catorum vindictam & castigationem. Hinc eo sensu arbitrariæ sunt hodie pœnitentiæ, quod non debeant adamussim ex Canonibus imponi, non quod tantum ab arbitrio Sacerdotum dependeant. Quo vero Sacerdotes convenientes & salutares pœnitentias irrogent, necessaria iis est Canonum pœnitentialium peritia, quatenus inde gravitas peccatorum dignoscitur, & congrue satisfactiones eruuntur: quod probe tenens S. Carolus (*a*), voluit, ut *Confessores Canones pœnitentiales bene noverint*: eosque ex variis Conciliis & Canonum collectionibus excerptos & ad decalogi seriem digestos una cum instructionibus pro Sacramento Pœnitentiæ vulgavit. Utinam vero ex hoc fonte saperent Sacerdotes!

Divisio publicæ pœnitenciæ in solemnem *&* publicam.

§. XXV. Eodem tempore, quo Canones pœnitentiales desuescebant, etiam publica pro peccatis publici pœnitentia rarior evasit, quod Morinus observat. Interim opera scholasticorum publica pœnitentia in *solemnem* & *publicam* stricte sic dictam tributa est contra morem vetustatis, qua omnis publica pœnitentia etiam solemnis erat. Solemnis pœnitentia scholasticis dicta est, quæ die cinerum ob enormia delicta ab Episcopo imponebantur ex forma sub nomine Concilii Agathensis apud Gratianum proposita (*b*); eique præter solemnitatem hæc dederunt attributa, Clericis nempe non imponi, laicum ea functum ad ordines promoveri non posse, non esse iterandam, matrimonium ea peracta contrahi non posse, militiam deserendam, & negotiis sæcularibus amplius non vacandum. Contra publica pœnitentia erat, quæ palam quidem fieri debebat, sed sine solemnitate etiam à Presbyteris imponebatur, nec aliquid ex attributis solemnis pœnitentiæ importabat. Nata est hæc partitio ab ignorantia antiquitatis. Nempe in monumentis apud Gratianum (*c*) relatis publica pœnitentia modo dictis attributis donatur, modo veluti quæ nihil eorum habeat, describitur. Hæc autem inter se contraria non erant, sed uni eidemque pœnitentiæ pro varietate Ecclesiarum & temporum conveniebant. Sed scholastici contraria reputantes, ad concordiam in sæculo distinctionibus assueto duplicem excogitarunt pœnitentiam *solemnem* & *publicam*; easque veluti diversas descripserunt (*d*). Solemnis pœnitentiæ in aliquibus Ecclesiis pauca supersunt vestigia, eamque suscipiunt rustici rusticæve mulieres, quæ infantulos suos somno oppressæ suffocant. Sed publica pœnitentia etiam jure novo, imo potius evangelico, debetur publicis peccatis, quamvis Episcopus, si in rem Ecclesiæ id esse judicaverit, eam in privatam possit commutare (*e*).

CA-

(*a*) Conc. I. Mediolan. part. 2. tit 6. & Conc. V. par. 3. §. 2.
(*b*) Can. in capite 64. dist. 50.
(*c*) Gratian. cit. dist.
(*d*) Morin. lib. 5. cap. 25. n. 14.
(*e*) Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 2.

CAPUT XXI.

De indulgentiis.

Definitio & varia nomina indulgentiarum.

§. I. Nomine *indulgentiæ*, ubi de pœnitentia agitur, venit remissio pœnarum temporalium, quas pœnitentes in suorum criminum expiationem subire debent, facta Ecclesiæ auctoritate. Videtur Ecclesia hoc indulgentiæ nomen à re civili mutuasse: constat enim Imperatores consuevisse ob publicam lætitiam generalem criminum remissionem concedere, extatque ea de re in C. Th. titulus *de Indulgentiis criminum*. Et quoniam per indulgentiam pœnæ peccatis debitæ condonantur, hinc in antiquis monumentis sæpe dicitur *donatio & remissio*, atque inde titulus Decretalium *de Pœnitentiis & remissionibus*. Græci Canones & Patres dicunt etiam *φιλανθρωπίαν humanitatem* (*a*), quasi per humanitatem Episcopi donarent, quod alias summo jure pœnitentes implere oportebat. Non ergo peccata ipsa indulgentiæ remittunt, hoc enim proprium est absolutionis; sed potius pœnas temporarias, in quas æternæ vi Sacramenti reconciliationis commutantur. Duplicis vero generis est indulgentia, plenaria nempe & partialis, prout vel integra pœnitentia peccatis debita, vel ejus pars per humanitatem relaxatur.

Concessio indulgentiarum est juris divini.

§. II. Jam vero Ecclesia jure divino indulgentiarum concedendarum habet potestatem: quod est fidei dogma, semper in Ecclesia inculcatum & in praxim deductum, & demum in comitiis Tridentinis confirmatum (*b*), & ita Spiritui sancto adversantur recentiores hæretici qui indulgentias eo spectasse contendunt, ut publicæ satisfactiones, quæ ad bonum exemplum imponebantur, humana non divina auctoritate minuerentur. Sane ligandi & solvendi jure concesso etiam indulgentiarum potestatem Christus Ecclesiæ suæ fecit: solvunt enim Domini Sacerdotes non minus dum peccata remittunt, quam quum impositas pœnas relaxant. Porro aperte Apostolus, & Ecclesia Corinthica Christi auctoritate partem injectæ pœnitentiæ donavit (*c*), ut hinc manifesto constet, non jure humano sed divino niti indulgentiarum potestatem. Veteres quoque Patres à divina potestate, unde pendet absolvendi facultas, indulgentias repetunt.

(*a*) Conc. Ancyr. Can. V., Nicæn. Can. XII., Chalc. Can. XVI.
(*b*) Trid. sess. XIV. in decreto de Indulgentiis. Confer. Juenin. de Sacram. diss. XIII. Drouv. de Re Sacram. lib. 6. q. 7. & Grancolas. l' Ancien Sacrament. pag. 660. & seq.
(*c*) 2. ad Corinth. II.

tunt. Instar omnium sit Basilius (*a*), *si is, cui à Dei benignitate ligandi & solvendi credita est potestas, videns summam ejus, qui peccavit, confessionem, fiat clementior ad diminuendum pœnarum tempus, non erit dignus damnatione.* Sed theologis ista relinquamus.

Ministri indulgentiarum.

§. III. Ministri autem qui concedunt indulgentias, jure ordinario Episcopi sunt, quibus directis verbis ligandi & solvendi jus, quo indulgentiæ continentur, Christus demandavit (*b*). Et quamvis Sacramenti Pœnitentiæ administratio etiam meris Presbyteris concedatur; tamen non consuevit Ecclesia etiam pœnarum dimittendarum potestatem Presbyteris facere: idque fortasse ne nervus ecclesiasticæ disciplinæ solveretur: pœnalia enim opera erant, quæ in negotio pœnitentiæ Patres magis attendebant. Sed B. Thomas ea ratione indulgentias Episcopi reservatas affirmat, quod Ecclesiæ thesaurus, cui nituntur, universam Ecclesiam spectat: & quæ universitatis sunt, ab eo, qui universitati præest, debent procurari (*c*). Cæterum ex speciali delegatione etiam Presbyteri, imo inferiores Clerici possunt indulgentias elargiri (*d*); hodie namque earum concessio exterioris fori esse reputatur. Concedunt autem indulgentias Episcopi in suis diœcesibus (*e*), & quidem partiales unius anni in dedicationibus Ecclesiarum, aut quadraginta dierum in aliis festis & causis, quod jus Concilium Lateranense IV. induxit (*f*); antea enim Episcopis etiam plenarias indulgentias dare jus erat. Sed Summus Pontifex ob primatus prærogativam universæ Ecclesiæ & plenarias indulgentias effundit.

Causa princeps concedendæ indulgentiæ contritio est.

§. IV. Quemadmodum vero non pro arbitrio suo possunt Domini Sacerdotes peccata ipsa remittere, ita nec pro arbitrio possunt indulgentias concedere; sed secundum regulas ab Ecclesia præscriptas. Et primum quidem præcipua causa indulgentiarum est abundantia doloris, qua ipsi peccatores afficiuntur: qua ratione ipse Apostolus incestuoso Corinthio reliquum pœnæ condonavt, *ne forte abundantiori tristitia absorberetur* (*g*). Scilicet apud Deum multum valet cordis contritio, nec dubium est, quod citius etiam pœnas debitas remittat, ubi lacrymæ & dolor abundant. Hinc Chrysostomus (*h*), *temporis moram non quæro, sed animæ correctionem. Hoc ita-*

(*a*) Basilius ep. Can. LXXIV.
(*b*) Confer. Juenin. cit. diss. q. 3. cap. 1.
(*c*) S. Thom. in 4. Sentent. dist. 20. q. 1. art. 4.
(*d*) Conc. Lateran. IV. Can. LX. Conf. Drouv. loc. cit. cap. 2. §. 2. q. 5.
(*e*) Cap. 15. ext. de Pœnit. & remiss.
(*f*) Cap. 14. ext. eod.
(*g*) 2. ad Corinth. II. 7.
(*h*) Chrysost. hom. XIV. in 2. ad Corinth.

itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius mutati, & res tota confecta erit. Secundum hanc regulam Nicæni & Ancyrani & Ilerdenses Patres permittunt Episcopis, ut pro dolore, lacrymis & tolerantia pœnitentium vel indulgentiam impartiantur, vel tempus adjiciant (*a*). Auctoritas autem Episcoporum tanta erat, ut ubi sincera & abundans erat contritio, pœnitentes ab audientibus ad substratos possent transferre (*b*). Et hæc in Ecclesia germana semper fuit indulgentiarum causa, ut nempe pro abundantia doloris tempus pœnitendi minuatur.

Altera causa indulgentiarum erat martyrum libelli.

§. V. Porro quibusdam lapsis satisfactionis partem olim Ecclesia dedit ad Martyrum & Confessorum preces, qui in custodia detenti libellis suis id ab Episcopis exorabant (*c*): quod in multis Ecclesiis, & præsertim in Africana vel ante Cyprianum obtinuit (*d*). Magna erant apud Deum martyrum merita, ipsique pro iis, quos libellis suis donabant, etiam preces ad Deum fundebant. Hinc Episcopi eorum libellis multum tribuebant, partemque pœnarum commendatis à martyribus dimittebant. Libellis autem suis martyres pacem nec dabant, nec dare poterant, sed ut ab Episcopis daretur, rogabant (*e*); potestas enim ligandi atque solvendi penes Episcopos erat. Hinc errarunt ex confessoribus aliqui, qui vel importunitate petentium victi, vel divinæ legis ignorantia pacem ipsi se dare libellis suis profitebantur, non dandam rogabant: quo nomine Lucianum confessorem Cyprianus reprehendit (*f*). Ergo ne simplices fallerentur, quod sibi à confessoribus communionem dari putarent, Synodus Illiberitana & Arelatensis I. statuerunt, ut lapsis, qui litteras confessorum detulissent, oblatarum litterarum loco ipsi Episcopi litteras communicatorias darent (*g*), quibus de pace ab Episcopis danda inesset. Interim non omnibus, qui libellis martyrum muniti erant, Episcopi pacem dabant, sed iis tantum, qui venia digni erant, quique lacrymis & dolore conversionem testabantur suam (*h*). Valebant autem martyrum libelli sedata jam persecutione, & quod observat Albaspinæus (*i*), post ipsorum mortem. Sed hæc indulgentiarum species cum ipsis martyribus defecit.

No-

(*a*) Conc. Nicæn. Can. XII., Ancyr. Can. V. Ilerdense Can. V.
(*b*) Confer. Morin. lib. 6. cap. 19.
(*c*) Confer. Morin. lib. 9 cap. 26.
(*d*) Confer. Grancolas. l' Ancien Sacramentaire part. 2 pag. 675.
(*e*) Cypr. ep. XI. Conf. N. Alexand. diss. III. in 3. sæc. prop. 2.
(*f*) Cypr. ep. XXIII.
(*g*) Conc. Illiber. Can. XXV., Arelat. I. Can. IX.
(*h*) Cypr. ep. XI. Conf. N. Alexand. loc. cit.
(*i*) Albaspin. lib. 1. Observ. cap. 20.

Novæ indulgentiarum causæ.

§. VI. Præter doloris abundantiam & martyrum libellos, veluti legitimas remittendarum pœnitentiarum causas antiqui Patres habuerunt imminentem persecutionem, ut ita lapsi pace & communione donati, fortius tormenta tolerarent, qua ratione Cyprianus indulgentias concessit; & reditum hæreticorum ad Ecclesiam, ubi hæretici redeuntes secum reducebant, quos sophismatis suis deceperant. Sed post sæculum X. novæ causæ indulgentiarum inventæ sunt, quales in primis visitationes certarum Ecclesiarum & altarium, quas *indulgentias stationarias* appellant (*a*). Celebre inter stationarias, seu potius inter omnes indulgentias in novissima disciplina est Jubilæum, ejus enim vi recurrente quolibet anno XXV. qui Romam ad basilicam Principis Apostolorum accedunt, plenariam suorum peccatorum indulgentiam consequuntur. Indulgentiæ quoque datæ sunt ob aliquod laboriosum opus in evidentem seu apparentem Ecclesiæ utilitatem susceptum, quale præsertim erat contra ethnicos & hæreticos arma ferre, & ad Ecclesiam dilatandam militare. Cui indulgentiæ, seu potius pœnitentiarum commutationi (erant quippe expeditiones opus laborum, molestiarum & periculorum plenum longissimis pœnitentiis merito equipollens) præbuit occasionem expeditio Hierosolymitana, sub finem sæculi XI. exhortante Urbano II. in Concilio Claramontano suscepta (*b*). Concessæ quoque sunt indulgentiæ ob pecuniæ erogationem in ædificationem aut reparationem Ecclesiarum, & nosocomiorum, & in itinerum, pontium rerumque similium refectionem. Denariis in aliquod ex his operibus erogatis, tertia vel quarta aut alia pœnitentiæ pars, nonnunquam etiam integra, remittebatur (*c*): cæterum facile erat integram remissionem obtinere repetitis numorum in Ecclesias largitionibus.

Rationes novarum indulgentiarum.

§. VII. Semel inductæ hæ novæ indulgentiarum species, fuerunt frequentissimæ, & vix pauci earum aliquas improbarunt. Magni tum reputabatur armis christianorum in libertatem vindicari Hierosolymam, quæ jamdiu ab inimicis nostræ religionis erat occupata, & fidem contra ethnicos & hæreticos armis tueri. Indulgentias vero eleemosynarias multis rationibus Episcopi probarunt, quo nomine celebris est Guilelmus Episcopus Parisiensis, qui totus fuit in eis laudandis, prædicandis, ampliandis (*d*): nec id mirum videri debet, quando inde lucrum temporale & maxima commoda in Ecclesiarum fabricas & Episcopos redibant. Asserebant ergo pœnarum canonicarum remissiones, quæ datis in rem Ecclesiæ denariis fiebant, esse utiliores & Deo gratiores, quam pœnitentias & flagellorum diurnorum exercitium, eo quod hac largitione Dei cultus propagatur, & Sanctorum, qui in novis Ecclesiis coluntur, intercessiones conciliantur. Sed hæ & similes rationes ejus ætatis moribus & opinionibus innituntur. Expeditiones in terram sanctam à natura pœnitentiarum, quæ quietem & solitudinem requirunt, abhorrebant: & hinc veteres Patres in pœnitentiam etiam militiæ imponebant abdicationem; nec bonis Ecclesiæ sæculis unquam auditum est, armis religionem christianam debere propagari. Et deinde melius Deus colitur per morum sanctitatem & virtutem christianorum, quam per Ecclesiarum extructionem, cantum, cæremonias & cultum exteriorem, qui veluti cortex religionis est, & cui deest cordis puritas, is certe Deo acceptus non est, quod Fleuryus (*a*) merito observat. Summa christianæ religionis est de puro corde sacrificium. Et hinc veteres Patres ad lapsos peccatores convertendos, non alia invenerunt opportuniora & efficaciora remedia, quam congruas & salutares pœnitentias.

Qui erant quæstores eleemosynarii.

§. VIII. Inductis in Ecclesiarum, nosocomiorum, viarum, pontium ædificationem & reparationem indulgentiis eleemosynariis, simul *quæstores eleemosynarii*, ut vocabantur, instituti sunt, prædicatores nempe, qui indulgentias prædicationibus suis foverent, & pœnitentium oblationes & eleemosynas colligerent. Non alienum à ratione erat, ad lucrandas indulgentias prædicari pœnitentiam: at quæstores tanto munere sæpe abuti, & potius sua & mittentium, quam animarum negotia procurare. Ergo ad uberiorem quæstum simulabant Curios, & ex aliorum peccatis vivebant bacchanalia: solvebant à votis, absolvebant à perjuriis, homicidiis aliisque criminibus, mala ablata incerta remittebant, tertiam aut quartam pœnitentiarum partem relaxabant, tres aut plures animas à purgatorio abstrahebant, & recta in paradisum ablegabant, modo essent, qui largas eleemosynas effunderent: quos aliosque abusus Clementina II. *de pœnitentiis & remissionibus* sub nomine Concilii Viennensis etiam recenset (*b*). Hinc non minus bonos, quam malos christianos fallebant, & ex dolo & malitia sua thesauros colligebant. Statuit ergo Concilium Viennense, ne quæstores aliqui admittantur, nisi Pontificis vel Episcopi litteris exhibitis, nec aliud, quam quod litteris indulgentiarum continetur, prædicare iis permittatur (*c*). Levis tanto malo me-

(*a*) Confer. Papebrochius Conatu chronico-hist. diss. XVII. post vitam Sergii II. & Espen. part. 2. tit. 7. cap. 1. n. 20. & seqq.
(*b*) Confer. Morin lib. 10. cap 19
(*c*) Confer. Morin. loc. cit. cap. 20.
(*d*) Guilelmus Paris. tract. de Sacram. Ordin. cap. 13.

(*a*) Fleuryus disc. hist. 4. n. 16.
(*b*) Confer. Espen. part. 2. tit. 7. cap. 3.
(*c*) Clement. II. de Pœnit. & remiss.

medicina; morbus inerat rebus ipsis: quousque ad basilicas extruendas & prælatorum necessitates pecuniis opus erat, ad uberiorem quæstum semper magnificis promissionibus quæstores uti oportebat. Abusus ergo perseverarunt, & tempore exortæ hæresis Lutheranæ (quæ ex abusibus quæstorum veluti ex parva scintilla exordium habuit) nefarii prorsus erant & horrendi quæstorum excessus (*a*). Sed tandem tanta mala & eorum radices Patres Tridentini prorsus averruncarunt; nullos amplius esse jusserunt ad annuntiandas indulgentias quæstores; easque deinceps ab ordinariis locorum cum duobus canonicis annuntiari voluerunt, & eleemosynas nulla accepta mercede colligi (*b*).

Ecclesiæ thesaurus.

§. IX. Tot inductis novis causis, quibus indulgentiæ concederentur, fundamentum aliquod oportebat adsignare, quo niterentur tam frequentes & copiosæ indulgentiæ. Sæculo XIII. quo maxime invaluerant eleemosynariæ indulgentiæ, scholasticis occurrebat hoc S. Augustini & aliorum Patrum dictum, *aut Deus punit*, *aut homo*, quod cum indulgentiis eleemosynariis aut ob leves labores datis non bene conveniebat. Varia commenti sunt scholastici ad hunc nodum extricandum, sed tandem ad Ecclesiæ thesaurum confugerunt, quo largitatem indulgentiarum inædificarent: atque ita docere cœperunt in compensationem pœnarum canonicarum ob leves labores aut aliquot denarios remissarum merita Christi & Sanctorum impendi & imputari. Id primi Alexander de Hales & Albertus M. fecisse videntur, quod Morinus observat (*c*). Inde B. Thomas & cæteri scholastici uni thesauro Ecclesiæ vim indulgentiarum inædificarunt, ejusque opibus confisi rationes omnes, quas ea de re antiqui magistri excogitaverant, spreverunt (*d*). Et tandem summi Pontifices Clemens VI. (*e*) & Leo X. ejusdem inexhausti thesauri opes tanquam fundamentum indulgentiarum statuerunt: atque hinc sententia ista inter ecclesiasticas doctrinas convaluit. Quo factum, ut nonnulli theologi dixerint, indulgentias esse thesauri Ecclesiæ dispensationem. Semper fuit in Ecclesia thesaurus, qui ex meritis Christi in hominum redemptionem abundanter redundat, quod Grancolasius (*f*) multis probat; at ante sæculum XII. vix scriptor invenitur, qui vim indulgentiarum ex thesauro Ecclesiæ metiatur. Constat autem thesaurus iste Ecclesiæ inexhaustus ex meritis Christi, cui B. Virginis omniumque Sanctorum merita præstant adminiculum (*g*). Meri-

(*a*) Joachimus Camerarius de Bello Smalcadico.
(*b*) Trid. sess. XXI. de Refor. cap. 9.
(*c*) Morin. lib. 10. cap. 21.
(*d*) S. Thomas in 4. Sentent. dist. 20. q. 1. art. 3.
(*e*) Extrav. Unigenitus 2. de Pœnit. & remiss. inter comm.
(*f*) Grancolas. l' Ancien Sacramentaire p. 221. & seqq.
(*g*) Extrav. cit.

rita autem justorum non per se ad Ecclesiæ thesaurum spectant, sed ex meritis Christi Servatoris vim habent, nobisque prosunt. Etiam vetus Ecclesia ob merita martyrum dedit indulgentias, illis nempe, qui eorum libellis donabantur. Utrum vero merita ista Sanctorum nobis applicentur in pretium pœnarum, an per modum impetrationis & suffragii, quatenus Deum movent, ut superabundantem Filii passionem in pretium pœnarum imputet, inter theologos disputatur (*a*).

Moderatus indulgentiarum usus.

§. X. Jam vero in concedendis indulgentiis summa moderatione uti debent Ecclesiæ præpositi; effusa enim earum liberalitas enervat pœnitentiam, & ad peccandum invitat. Veteres Patres pro quantitate doloris & abundantia lacrymarum, singulorum causis expensis, in pœnitentes exercebant humanitatem (*b*). Et martyrum libelli tum legitimi censebantur, si nominatim quibusdam lapsis, quorum delicta & pœnitentias ipsi martyres novissent, dati essent, datosque libellos Episcopi expendebant, num è re ecclesiastica esset, martyribus honorem deferri (*c*). Sed inventis novis indulgentiarum causis, in iis concedendis neque modum, neque rationem ullam Episcopi servarunt, quo ipso thesaurum Ecclesiæ profundentes lucrum captabant. Equidem contra morem vetustatis certis hominum generibus, qui aliquod opus peragerent, indulgentias concesserunt: quæ indulgentiæ etsi sæpe partiales essent, facile tamen integros pœnitentiæ labores poterant expungere per sæpius repetitam operis executionem. Præsertim Episcopi sæculis XI. & duobus sequentibus admodum effusi thesauri Ecclesiæ erant procuratores, non vero Romani Pontifices, quod Cardinalis Baronius, Espenius aliique observant (*d*). Ergo in Concilio Lateranensi IV. statutum, ut Episcopi in Ecclesiarum dedicatione unius anni & in ejusdem festi anniversario tantum quadraginta dierum remissionem possent elargiri (*e*). Ex quo tempore indulgentiæ plenariæ concessio Pontifici creditur reservata. Temporis lapsu crevit liberalitas Pontificum in dandis indulgentiis (*f*): & Episcopi suas partiales indulgentias adeo multis Ecclesiis, altaribus & operibus attribuerunt, ut superfluis & indiscretis remissionibus Ecclesiam onerarint. Ergo Tridentini Patres in dandis indulgentiis *moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi* cupiunt *ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur* (*g*). At vero hodie vigent veteres mores? Utinam. Ad

(*a*) Confer. N. Alexand. Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. de Indulg. cap. 1.
(*b*) Conc. Nicæn. Can. XII., Ancyran. Can. V.
(*c*) Cypr. ep. X. & XII.
(*d*) Cardin. Baron. ad an. 1177., Esp. part. 2. tit. 7. cap. 2. n. 12. & seqq.
(*e*) Cap. 14. ext. de Pœnit. & remiss.
(*f*) Lupus diss. de Peccator. & satisfact. indulgent. cap. 8. tom. 5. oper. E. V.
(*g*) Trid. sess. XXV. in decreto de Indulgentiis.

Ad lucrandas indulgentias etiam contritio necessaria est.

§. XI. Quæcumque vero causa ad lucrandas indulgentias proponatur, certi juris est etiam in nova disciplina non simplici operarum injunctarum executione christianos indulgentias lucrari, sed requiri veram pœnitentiam & contritionis abundantiam. Et quid quæso felicius peccatorum conditione, si meris operibus externis pœnarum Deo pro peccatis debitarum consequerentur remissionem, quando opera in indulgentiis expressa subinde talia sunt, quæ cor & animi penetralia natura sua non afficiant. Ipsa indulgentiarum diplomata & concessiones tantum contritis & vere pœnitentibus indulgentias promittunt. Equidem indulgentiis etiam plenariis non omnis satisfactio excluditur, *quandoquidem*, ait Estius (*a*), *præparatio seu dispositio quædam satisfactoria requiritur ex parte suscipientis, idque ex lege divina, cui beneficium hoc indulgentiæ plenariæ non est contrarium.* Apage ergo profanas vocum novitates, plenariam indulgentiam quomodocumque consequentes in statum innocentiæ baptismalis restituit. Itaque pro mensura doloris per indulgentias pœnæ debitæ remittuntur. Et sapientiores theologi docent, ad plenariam indulgentiam etiam Jubilæi consequendam totis viribus ad satisfaciendum justitiæ divinæ congruis & diuturnis pœnitentiis fideles eniti debere (*b*). Quæ est antiquæ Ecclesiæ doctrina: Cyprianus enim inculcabat martyribus, ut iis libellos darent, quorum pœnitentiam *satisfactioni proximam* videbant (*c*). Imo docet B. Thomas (*d*), ad pœnæ remissionem valere multum indulgentias, sed opera pœnitentiæ magis esse meritoria.

CAPUT XXII.

De forma & effectu Sacramenti Pœnitentiæ.

Absolutio olim post pœnitentiam data.

§. I. Verba, quæ elemento addita Sacramentum Pœnitentiæ constituunt, sunt ea, quibus ministerio Sacerdotum peccata dimittuntur: qui actus *absolutio*, & passim etiam *pax*, *reconciliatio* & *communio* in antiquis monumentis dicitur: per absolutionem enim peccatores paci & communioni Ecclesiæ restituebantur. Veteri stante disciplina ordinarium, & solemne erat, ut post emensum sive publicæ sive occultæ pœnitentiæ cursum peccatores pacem acciperent (*e*). Certe quousque pœnitentes in tribus primis pœnitentiæ stationibus per-

(*a*) Estius in 4. Sentent. dist. 20. §. 10.
(*b*) N. Alexand. loc. cit. cap. 3. reg. 12. & Christ. Lupus loc. cit. cap. 8.
(*c*) Cypr. ep. X.
(*d*) S. Thomas in 4. Sentent. dist. 20. q. 1. art. 3.
(*e*) Conf. Morin. lib. 9. cap. 3. & 17.

persistebant, cum Ecclesia nec in precibus communicabant: quod indicat, eos à peccatis absolutos non fuisse. Cyprianus quoque graviter invehitur in Presbyteros, qui ante pœnitentiam lapsis pacem dabant, & martyres etiam arguit, qui Episcopos precabantur, ut statim lapsos in communionem reciperent (*a*). Plura alia in hanc sententiam prostant testimonia, sed instar omnium sit Ambrosius: *Nonnulli*, inquiens (*b*), *ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint, hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare.* Praxis ista ab Apostolis videtur derivata, etenim Paulus & Joannes post exomologesim incestuoso & homicidæ pacem dederunt. Verum si justa & gravis subesset causa, puta quod pœnitenti mortis periculum immineret, aut ex dilata pace aliquod Ecclesiæ incommodum instaret, etiam ante expletam pœnitentiam publici pœnitentes reconciliari solebant (*c*): & in privatis pœnitentiis etiam ob causas non admodum graves, puta itineris, aut cujuslibet occupationis, aut quia peccator hebetis ingenii esset, statim post confessionem, aut paulo postea nondum impleta pœnitentia, absolutio data est (*d*).

Pax data in morte non liberabat à pœnitentia.

§. II. Nondum impleta pœnitentia, pace quidem ob mortis periculum donabantur, qui sani eam susceperant; at si convalescerent, iterum pœnitentiam subibant. Initio si post pacem in morte datam pœnitentes sanitati restituebantur, non videntur interim pœnitentiæ subjecti (*e*). Sed inde mutata est disciplina, & primum pœnitentes in lecto reconciliati, & inde sanitati restituti, inter consistentes stare cogebantur, quod habent Nicæni Patres (*f*), qui hac occasione datam absolutionem ἐφόδιον *viaticum* appellant. Nomine *viatici* intelligebant veteres Sacramenta omnia & alia auxilia morientibus data, quod iter in alteram vitam munirent, quod Albaspinæus (*g*) observat. Paulo post in multis Ecclesiis severior recepta est disciplina, statutum nempe est, ut pœnitentes in morte reconciliati, si supervixerint, agant pœnitentiam, atque stent in eo gradu, *in quo erant ante communionem iis ex necessitate datam*, ut Gregorius Nyssenus (*h*) loquitur: quam disciplinam Canones Carthaginenses, Arausicani & Epaonenses proponunt (*i*). Videtur Ecclesia rigorem intendisse, quod multi in sanitate susceptam pœnitentiam simulatis

(*a*) Cyprian. de Lapsis & ep. X. & XI.
(*b*) Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 9.
(*c*) Conf. Natalis Alexand. diss. IX. in 3. sæcul. prop. 2. & seqq.
(*d*) Morin. loc. cit. cap. 27. n. 7. & seq.
(*e*) Cyprian. ep. LII. Conf. Morin. lib. 10. cap. 14.
(*f*) Conc. Nicæn. Can. XIII.
(*g*) Albaspin. in cit. Nicæn. Can.
(*h*) Gregor. Nyssen. ep. ad Letojum Can. IV.
(*i*) Conc. Carthag. IV. Can. LXXVIII. Conc. Arausic. I. Can. III. Conc. Epaon. anno. 36.

tis morbis excutebant. Simul vero cum absolutione infirmis in multis Ecclesiis non dabatur Eucharistia, nisi re discussa id Episcopus permisisset (*a*). Sed in Africa etiam Eucharistia dabatur: *Pœnitentes*, inquiunt Patres Carthaginenses (*b*), *qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manuum impositione, si supervixerint.* Per plura sæcula stetit disciplina, quæ publicos pœnitentes in lecto reconciliatos iterum pœnitentiæ subjiciebat, tandem vero una cum canonicis pœnitentiis desuevit.

Duplex olim data absolutio.

§. III. Jam vero post inductos pœnitentiæ gradus publici peccatores exacto genuflectendi tempore, ubi pœnitentes ad consistentes ascendebant, sacramentalem accipiebant absolutionem (*c*). Equidem ubi pœnitentes ad consistentes transibant, cum cæteris fidelibus in precibus sine oblatione communicabant: quod nisi solutis peccatorum vinculis quî poterat fieri? Et deinde Synodus Ancyrana de iis, qui coacti sacrificaverant *in idolio* (loco nempe ubi cibi idolis immolati apponebantur), statuit ut *si triennale substrationis tempus impleverint, sine oblatione recipiantur* (*d*). Recipere autem lapsos sine oblatione idem est, ac eos à peccatis absolvere, nec interim ad perfectam communionem admittere. Quoniam vero consistentes licet à peccatis absoluti de eo, quod perfectum erat, hoc est Eucharistia, non participabant, impleta consistentia videtur data secunda absolutio, qua in perfectam communionem recipiebantur: quæ secunda absolutio non videtur fuisse sacramentalis, sed mera declaratio, quæ consistentem dignum Eucharistia faciebat. Cui disciplinæ hodierni Græcorum mores conveniunt. Græci siquidem inde usque à Nectario duas dant absolutiones, unam post confessionem, quæ est sacramentalis, alteram post impleta pœnalia opera antequam admittant ad Eucharistiam, qua secunda absolutione à *Canone*, hoc est pœnitentiis impositis, absolvunt (*e*).

Apud Latinos jamdiu ante pœnitentiam datur absolutio.

§. IV. Sed disciplina, quæ absolutioni præmittebat pœnitentiam, in utraque Ecclesia mutata est, itaque passim obtinet, ut statim post confessionem ante impletam pœnitentiam absolutio detur. Cœpit hæc disciplina in Oriente sub Theodosio Imperatore, ubi Nectarius Patriarcha publicam pœnitentiam abrogavit (*f*): dum enim fidei pœnitentis standum erat, num datam pœnitentiam implevisset, non

(*a*) Conc. Nicæn. cit Can. XIII.
(*b*) Conc. Carthag. IV. cit. Can. LXXVIII.
(*c*) Morinus lib. 6. cap. 21.
(*d*) Conc. Ancyr. Can. V.
(*e*) Morinus lib. 4. cap. 25.
(*f*) Conf. Morin. lib. 6. cap. 24.

non amplius eam absolutioni præmittere necesse fuit. Sed in Occidente diutius pristina disciplina stetit, & demum sæculo XII. absolutio pœnitentiæ præmitti cœpit: dederuntque mutationi causam Hierosolymitanæ expeditiones: evidens namque periculum, cui cruce donati milites se exponebant, fecit, ut statim post confessionem à peccatis solverentur (*a*), præsertim quod per susceptam crucem pœnarum canonicarum remissionem adepti viderentur. Commode huc accessit opinio scholasticorum de perfecta contritione confessioni præmittenda: qua posita sententia nil causæ esse videbatur, cur post confessionem absolutio differri deberet, quum jam contritio peccata delevisset. Semel receptus mos in tanta militum multitudine continuavit, & sensim ordinarius evasit, abolitis præsertim canonicis pœnitentiis. Distat autem inter Græcos & Latinos, nam isti statim post absolutionem admittunt ad Eucharistiam, illi vero speciem antiquæ consistentiæ adhuc servant, in qua longo tempore pace donati ad impositas pœnas implendas detinentur, & demum nova veluti absolutione, qua à pœnis solvunt, ad Eucharistiam admittunt (*b*). Antiqua praxis indoli pœnitentiæ conformior erat; at non propterea ad vim Sacramenti pertinet, ut pœnitentia ante pacem expleatur: nullum enim hac de re extat Christi præceptum, totusque pœnitentiæ agendæ modus Ecclesiæ arbitrio relictus est. Et profecto male rigidiores quidam theologi praxim, quæ absolutionem satisfactioni præmittit, veluti Evangelio contrariam & abusionem traducunt (*c*): quam doctrinam Alexander VIII. merito proscripsit (*d*). Cæterum ubi Sacerdotes minus probatos peccatores animadvertunt, debent differre absolutionem, quousque de vera pœnitentia constet, quod theologi passim docent.

Absolutio data per manus impositionem.

§. V. Jam vero per manus impositionem data est à peccatis absolutio, idque sive palam sive clam administraretur, sive publica sive occulta pœnitentia imposita esset. Etenim omnis absolutio per preces data est, & ex constanti Ecclesiæ usu manus impositionem preces semper comitabantur. *Quid aliud est impositio manus*, sunt verba Augustini (*e*), *nisi oratio super hominem.* Et deinde auctor apostolicarum constitutionum universa Ecclesia deprecante & *manu imposita* recipi jubet pœnitentem (*f*): idemque habent veteres Latini Canones, qui per manus impositionem peccatores reconciliandos edicunt (*g*). Imo in multis Ecclesiis, præser-

(*a*) Morinus lib. 10. cap. 22. n. 7.
(*b*) Chardon. Hist. du Sacrement de la Pénitence sect. 3. part. 3. chap. 8.
(*c*) Conf. N. Alexand. Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. de Pœnit. cap. 9. art. 6. reg. 3.
(*d*) Alexand. VIII. prop. 16. 17. & 18.
(*e*) Aug. lib. 3. de Bapt. cap. 16.
(*f*) Const. apost. lib. 2 cap. 18.
(*g*) Conc. Carthag. IV. Can. LXXVI. & LXXVIII., Conc. Arausic. Can. III.

sertim vero in Africa, simul cum Episcopo in pœnitentibus reconciliandis etiam universus clerus manus imponebat. Edicit enim Cyprianus (*a*), neminem ad communionem venire posse, *nisi prius illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita*. Plures manus impositiones in decursu publicæ pœnitentiæ fieri solebant (*b*); sed ea erat sacramentalis, qua pœnitentes à peccatis solvebantur, & in Ecclesiæ communionem sine oblatione recipiebantur. Usurpata est ab Ecclesia manuum impositio fere in omnibus sacris officiis & functionibus: utpote quæ ex antiquissima disciplina etiam judaica signum erat divinæ benedictionis & potentiæ. Et quid magis augustius & divinius, quam ut homines peccata dimittant? Quo factum, ut graves theologi manuum impositionem veluti elementum Sacramenti Pœnitentiæ teneant. Et quanquam scholastici hunc ritum veluti supervacaneum habuerint; tamen (quæ est Dei providentia) Ecclesia in solvendis peccatoribus manus imponere & elevare nunquam intermisit: & dolendum omnino est, nonnullos ex recentioribus ritualibus libris hunc ritum omisisse.

Formula absolutionis.

§. VI. Formula autem absolutionis in veteri disciplina non indicativa sed deprecativa fuit, qua Sacerdotes Deum sive Christum, ut peccata dimitteret, rogabant, quod Morinus fuse demonstrat (*c*). Sane reconciliatio dabatur per manuum impositionem, quæ nihil aliud erat, quam oratio super hominem: veteres Patres semper docent, veniam per Sacerdotum preces peccatis dari: & quotquot supersunt antiquæ sive Latinæ sive Græcæ absolvendi formulæ totidem orationes sunt. Græci aliique Orientales adhuc per preces peccata dimittunt, quod ex eorum auctoribus & ritualibus constat (*d*); sed apud Latinos inde usque à tempore B. Thomæ formula non deprecativa sed indicativa est (*e*) his verbis comprehensa, *ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Formula deprecativa initio sæculi XIII. minus idonea fortasse scholasticis visa est: qui enim docebant, tantum contritos absolvi debere, quî Deum ad peccata dimittenda poterant rogare? peccata enim ex eorum sententia vi contritionis jam dimissa erant. Ergo cœperunt usurpare formulam indicativam; quæ apta videbatur ad declarandos in terris absolutos, quos ante Deus in cœlis absolverat: etenim etiam magistratus verbis indicativis, quos innocentes deprehendunt, absolvunt. Sed in illis initiis utranque formulam & deprecativam & indicativam conjungebant, priorem, ut gratiam & contritionem à Deo im-

(*a*) Cyprian. ep XI.
(*b*) Albaspin. Observ. lib. 2. cap. 31.
(*c*) Morin. lib. 8. cap. 8. & seqq.
(*d*) Conf. Morin. lib. 8. cap. 12. & Renaudotius tom. 5. Perpet. lib. 4. cap. 3.
(*e*) B. Thomas opusc. 22. de forma absolutionis cap. 5.

impetraret; alteram, quæ coram Ecclesia peccata jam dimissa demonstraret. Tandem scholasticis placuit, preces ad absolutionis vim non pertinere, atque ita receptum est, verba *ego te absolvo* formulam absolutionis constituere. Et secundum hanc sententiam inde docuerunt Tridentini Patres formam, in qua præcipue vis Sacramenti posita est, illis verbis *ego te absolvo &c.* contineri (*a*). Recepta autem apud Latinos indicativa absolutione, theologi multi docere cœperunt, per preces datam veniam non valere: quæ sententia inde probari potest, quod Ecclesia Sacramentis etiam per usum certas conditiones potest adjicere, quarum omissione irrita reddantur. Cæterum in ipsa indicativa formula tantum verbo *te absolvo* necessaria tenent theologi, Trinitatem vero invocari non Sacramenti, sed præcepti necessitate.

Tempus dandæ absolutionis.

§. VII. Pœnitentiæ autem laboribus expletis non quovis tempore, sed feria quinta aut sexta majoris hebdomadis publici pœnitentes reconciliabantur (*b*): quæ disciplina etiam in privata pœnitentia servari solebat: quamvis enim privata reconciliatio quovis die dari posset, tamen sæpe in hebdomadam ante Pascha differebatur. Hinc antiqui libri rituales fideles admonent, ut ineunte quadragesima peccata sua confiteantur, & pœnitentiam petant, ut inde in cœna Domini reconcilientur. Proxime ante Pascha videntur reconciliati peccatores, quod Christus sanguine suo effuso homines eo tempore Deo Patri reconciliavit: & deinde ob Christi resurgentis triumphum summa erat Ecclesiæ lætitia, quæ indulgentiam commendabat. In casibus tantum ordinariis ad sanctiorem hebdomadam absolutio differebatur: nam ubi urgebat necessitas, quovis die data est (*c*). Et ad Ecclesiæ fortasse imitationem christiani Imperatores inde usque à Valentiniano indulgentias criminum tempore paschali concedere consueverunt (*d*); adeo ut tempus paschale & in Ecclesia & in civitate tempus remissionis habetur.

Absolutio data inter Missarum solemnia.

§. VIII. Nec tantum proxime ante Pascha, verum etiam inter Missarum solemnia ad totius Ecclesiæ preces publicis peccatoribus absolutio in casibus ordinariis dari consuevit. *Reconciliare quenquam in publica Missa Presbytero non licet*, quæ Concilii Carthaginensis II. regula est (*e*). Hinc feria quinta majoris hebdomadis in Occidentis Ecclesiis tres Missæ dicebantur, una ad pacem pœnitentibus dan-

(*a*) Trid sess. XIV. cap. 3.
(*b*) Innocent. I. ep. ad Decent. cap. 7., Ambros. lib. 5. Exameri cap. ult. Confer. Morin. lib. 9. cap. 29.
(*c*) Innocent. I. cit. epist.
(*d*) Conf. Jacob. Gothofred. in tit. C. Theod. de Indulgentiis criminum.
(*e*) Conc. Carthag. II. Can. III. Conf. Morin. lib. 8. cap. 14.

dandam, altera chrismati faciendo erat addicta, & tertia diei spectabat officium, quod Cardinalis Bona observat (*a*). Exclusis cæteris pœnitentibus hujusmodi reconciliatio facta est post Evangelium proxime ante communes preces, ut ita in communibus precibus cum Ecclesia pœnitentes communicarent: & in aliquibus Ecclesiis etiam post consecrationem pœnitentes absoluti sunt (*b*). Ipsa quoque privata reconciliatio sæpe in Missa aut statim post eademque actione continuata data est, eratque Missa ista propria pœnitentium (*c*). Sed temporis lapsu desuetis publicis & canonicis pœnitentiis passim quovis tempore, & extra Missam Sacramentum Pœnitentiæ cœpit administrari. Cui praxi majorem vim addit opinio scholasticorum, preces ad peccatorum remissionem non requiri.

Qui recipiebantur hæretici.

§. IX. Generatim christiani omnes, qui peccaverant, ad pacem & communionem per pœnitentiam & absolutionem recipiebantur præter hæreticos & schismaticos, qui in hæresi & schismate, verum Baptismum receperant, & inde in Ecclesiæ sinum transibant. Hi namque non per pœnitentiam, sed per manus impositionem & chrismatis unctionem ut plurimum recipiebantur (*d*). Et licet Latina monumenta in recipiendis hujusmodi hæreticis fere tantum manuum impositionem, Græca vero fere solam chrismatis unctionem memorent; tamen apud Latinos manuum impositioni chrismatis unctio, apud Græcos vero chrismati manuum impositio addita videtur. Sane Synodus Arelatensis II. Bonosiacos *cum chrismate & manus impositione* recipi vult (*e*): & Synodi Arausicana I. & Epaonensis hæreticos in mortis periculo à Presbyteris *cum chrismate & benedictione* consignari permittunt (*f*). Contra Synodus Nicæna Novatianos per manus impositionem suscipit jubet (*g*): & Siricius Papa testatur, & Latinos & Græcos manibus impositis hæreticos catholicorum conventui sociare, *quod etiam totus Oriens Occidensque custodit* (*h*). Fortasse Græca & Latina monumenta alterutrum tantum expresserunt, non quod unum tantum adhiberetur, sed quod integer actus manuum impositione & chrismatis unctione constans, Græcis *consignatio*, Latinis *manus impositio* diceretur. Interim si Innocentius I. affirmat, hæreticos *sub imagine pœnitentiæ* suscipi (*i*): id ea ratione dictum est, quod etiam pœnitentia per manus impositionem dabatur. Ideo vero

(*a*) Card. Bona Rer. liturg. lib. 1. cap. 18. n. 6.
(*b*) Morin. lib. 7. cap. 14.
(*c*) Morin. loc. cit. n. 12.
(*d*) Conf. Petrus de Marca not. in Conc. Claromont. Can. XXVIII., Bingh. Orig. Eccles. lib. 19. cap. 2. §. 7.
(*e*) Conc. Arelat. II. Can. XVII.
(*f*) Conc. Arausic. I. Can. II., Conc. Epaon. Can. XVI.
(*g*) Conc. Nicæn. Can. VIII.
(*h*) Siric ep. I. ad Himer. Tarrac. cap. 1.
(*i*) Innoc. I. ep. XVIII. ad Alexand.

ro per solam manuum impositionem, non per pœnitentiam hæretici in hæresi baptizati suscipiebantur, quia veteres tenebant, Baptismi apud hæreticos suscepti efficaciam in suspenso esse, & tum demum operari, si hæretici depositis erroribus ad pacem & Ecclesiæ unitatem reverterentur (*a*). Et hinc per Baptismi olim suscepti vim peccata & peccatorum pœnæ remittebantur. Itaque hæretici in hæresi baptizati videntur solam Confirmationem suscepisse, quæ Baptismi gratiam roboraret: nam veriorem habeo Maldonati, Antonii Augustini, Sirmondi & Morini sententiam, qui tenent, per veram Confirmationem hæreticos fuisse receptos. Cæterum qui ab Ecclesia ad hæreticos vel schismaticos deficiebant, ii ad Ecclesiam reversi per manus impositionem & absolutionem recipiebantur, sed quæ dabatur pœnitentia non semper luctuosa & gravis erat (*b*).

Sacramentum Pœnitentiæ peccata dimittit.

§. X. Jam vero absolutionis seu potius Sacramenti Pœnitentiæ, quod absolutione perficitur, effectus est remissio peccatorum & gratiæ sanctificantis in animam effusio, qua peccatores in filiorum Dei adoptionem restituuntur. Sane ipse Christus clavibus Ecclesiæ datis per absolutionem peccata dimitti concessit, ratamque in cœlis habere promisit Ministri actionem in terris absolventis aut ligantis (*c*): quam doctrinam constanti traditione semper Ecclesia docuit, & in praxim deduxit. Quod si Apostolus (*d*) *impossibile esse*, ait, *eos, qui semel sunt illuminati...... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*; id de renovatione per secundum Baptismum, non de ea, quæ per pœnitentiam obtinetur, plerique Patres interpretati sunt; aut ad blasphemiam in Spiritum sanctum, quæ neque in hoc, neque in futuro sæculo remittitur, restringi debet, quam interpretationem Vossius (*e*) prefert. Sane ad verbum sententia Apostoli accepta potestatis & clavium Apostolis datæ & constanti Ecclesiæ praxi, quæ per pœnitentiam peccata dimisit, adversatur. Quo autem per absolutionum peccata dimittantur, ad eam recipiendam apti sint peccatores, oportet; debent etiam peccata ex Dei amore, licet non summo, detestari & confiteri: enervarunt enim absolutionis vim antiquiores scholastici, qui perfectam contritionem absolutioni tenebant præmittendam. Quod si forte ob pietatis vehementiam divina absolutio sacerdotalem præveniat, tum sacerdotalis divinam in animo nostro confirmat, ampliorem que Spiritus sancti gratiam inspirat, & frugum ex ea provenientium segetem multo uberiorem subministrat. Una cum remissione peccatorum & gratiæ do-

(*a*) Aug. de Bapt. lib. 6. cap. 9. Greg. M. lib. 9. ep. LXI.
(*b*) Conf. Chardon. Hist. de la Pénitence sect. 4. chap. 7.
(*c*) Matth. XVIII. 18.
(*d*) Ad Hebr. VI. 4. & 6.
(*e*) Voss. de Bapt. disp. 17.

dono reviviscunt omnia opera bona, quæ in charitate facta, inde per subsequens peccatum veluti extincta sunt; non vero opera bona in peccatis facta, quæ utpote ab initio mortua, per supervenientem Spiritus sancti gratiam non reviviscunt (a). Et præterea per absolutionem dimissis peccatis publici pœnitentes in veteri disciplina in Ecclesiæ communionem restituebantur, & inter consistentes transibant: quo factum, ut absolutio passim in antiquis monumentis nomine *pacis* & *communionis* dicatur.

Sed non omnem pœnam peccatis debitam.

§. XI. Verum enimvero non semper per omnia virtute Sacramenti Pœnitentiæ peccata dimittuntur. Distinguere in peccatis oportet culpam ipsam, & pœnam peccati debitam, quæ natura sua æterna est. Absolutio recte dispositis data dubio procul culpam peccatorum remittit; gratia enim cum peccati macula consistere non potest, pœnam vero peccati non semper integram remittit, sed sæpe debitum pœnæ temporalis exolvendum relinquit. Quam dimittendi œconomiam etiam apud Judæos Deus servavit, ut Aaronis, Davidis aliorumque exempla palam faciunt (b). Sed ex quo Evangeli lumen effulsit, semper in Baptismo Deus omnem pœnam dimittit, non vero in pœnitentia; ampliori enim gratiæ ubertate erant recipiendi, qui nescientes, quam qui illuminati peccarunt (c). Hinc in christianos peccatores misericordiam justitia temperatam Deus exercere statuit, ut scilicet remissis culpa & pœna æterna, nihilominus pœnam temporalem exigeret in hoc vel in altero sæculo luendam: idque ut christiani cautius etiam viverent, & veluti quodam freno à peccatis abstinerent. *Ignoscis confitenti*, inquit Augustinus (d), *ignoscis, sed seipsum punienti: ita servatur misericordia & veritas; misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur.* Et alio loco (e), *productior est pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna.* Inde etiam est illud Gregorii M. (f): *Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit, aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.* Et hoc fundamento non minus pœnitentiæ & indulgentiæ, quam in altera vita pœnæ purgatrices nituntur.

CA-

(a) Conf. N. Alexand. Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. de Pœnit. cap. 2. prop. 4.
(b) Num. XX. & 24., 2. Reg. XII. 13.
(c) Trid. sess. XIV. cap. 8.
(d) Aug. in Psalm. I.
(e) Aug. tract. CXXIV. in Joan.
(f) Gregor. M. Moral. lib. 9. cap. 17.

CAPUT XXIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Ministri pœnitentiæ Sacerdotes.

§. I. Sacramenti Pœnitentiæ Minister, qui excepta in confessione peccata valeat dimittere, solus Sacerdos est: Sacerdotis autem nomine Episcopi & Presbyteri tantum veniunt. Solis nempe Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus remittendi & retinendi peccata Christus fecit potestatem (a), eisque claves Ecclesiæ, quibus remittendi peccata potestas continetur, demandavit (b). Hinc affirmat Ambrosius (c), jus ligandi & solvendi solis Sacerdotibus concessum. Et Chrysostomus (d) hoc nomine Sacerdotis dignitatem cuivis alteri censet anteponendam, quod terrestres potestates habent quidem vinculorum potestatem, sed tantum in corpora; at Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam attingit, & ad cœlos usque pervadit. Et Leo M. (e) docet, *præpositis Ecclesiæ* datam potestatem, ut & confitentibus pœnitentiam darent, & eosdem purgatos reconciliarent. Cui doctrinæ adhærentes Tridentini Patres (f) docent, solos Episcopos & Presbyteros esse Sacramenti Pœnitentiæ Ministros, & falsas & à veritate prorsus alienas esse doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos & Sacerdotes clavium extendunt ministerium.

Duplicis generis pœnitentiæ Ministri.

§. II. Cohæret quidem sacerdotio ligandi & solvendi potestas; at Presbyteri eam exercent ex mandato & delegatione superioris, aut si in titulum perpetuum curam animarum habent. Scilicet rectus ordo in Ecclesia postulavit, ut inferiores Ministri omnes ab Episcopo penderent, nec interim in casibus ordinariis aliquod munus exercerent, nisi Episcopi jussu & mandato (g). Turbaretur profecto, seu potius scinderetur Ecclesia, si quilibet Presbyter pro suo arbitrio Sacramenta administraret, & sub se gregem independenter ab Episcopo colligeret. Atque id est quod recenti loquendi genere, sed ex antiqua doctrina, nostri dicunt, ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum non satis esse ordinis potestatem, sed requiri præterea jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam:

(a) Joan. XX. 22. & seqq.
(b) Matth. XVI. 19.
(c) Ambros. lib. 1. de Pœnit. cap. 2.
(d) Chrysost. lib. 3. de Sacerd.
(e) Leo M. ep. LXXXII al. XCI.
(f) Trid. sess. XIV. cap. 6.
(g) Can. Apost. XXIX., Conc. Laodic. Can. LVII.

tam: quod adeo verum est, ut si in casibus ordinariis Presbyteri sola potestate ordinis aucti pœnitentiam administrent, nulla sit data absolutio (*a*). Certi enim juris est, posse Ecclesiam novas conditiones Sacramentis addere, quibus non servatis eorum nulla vis est. Itaque duplicis generis sunt pœnitentiæ Ministri; alii jure proprio, quales Episcopus, Parochi, Pœnitentiarii; alii vero ex alterius mandato confessiones excipiunt & absolvunt.

Princeps pœnitentiæ Minister Episcopus.

§. III. Primarii igitur Pœnitentiæ, ut cæterorum Sacramentorum, Ministri sunt Episcopi, qui in suis parœciis jure proprio & eminenti omnium confessiones audiunt & à peccatis absolvunt. Successerunt enim Apostolis, qui verbis directis ligandi & solvendi acceperunt potestatem (*b*): inferiores autem Presbyteri inde participant, quod ubertatis sacerdotii pars in eos derivata est. Et reipsa in veteri disciplina Episcopi integrum fere pœnitentiæ forum administrarunt: ipsi confessiones excipiebant, pœnitentias peccatis imponendas decernebant, pœnitentiam dabant, qua ratione datam pœnitentiam rei implerent, invigilabant, & demum peccata ipsa per absolutionem dimittebant. Præsertim ad eos reservata erat publicæ pœnitentiæ administratio, ubi de criminibus publicis agebatur. Hinc Cyprianus (*c*) Presbyteros arguit suos, quod lapsos ante pœnitentiam & se inconsulto reconciliarent, *nec Episcopo honorem sacerdotii sui & cathedræ reservantes*. Et Patres Concilii III. Carthaginensis *reconciliare quenquam in publica Missa*, hoc est publicum pœnitentem, *Presbytero non licere* statuerunt (*d*). Tantum in necessitate, aut ubi Episcopus jubebat, publicos ob crimina publica pœnitentes Presbyteri reconciliabant (*e*). Et quod spectat ad eos, qui privatam agebant pœnitentiam, aut publicam quidem sed pro criminibus occultis, jussu Episcoporum iis inferiores Presbyteri pœnitentiam administrabant. Lapsu temporis sensim id onus pro maxima parte Episcopi deposuerunt; at non propterea desierunt esse primarii pœnitentiæ Ministri.

Ecclesiæ spirituale tribunal.

§. IV. Sunt quidem Episcopi primarii pœnitentiæ Ministri; at olim solemni ratione ejus ministerium Ecclesia explicavit: à primis enim sæculis sacrum tribunal institutum est, quod *presbyterium*, *senatus ecclesiasticus*, & *corona Ecclesiæ* appellabatur. Præerat Episcopus, adsidebant Presbyteri & Diaconi, aderant quoque cæteri fideles, non equidem ut judices, sed ut testes & sententiæ approba-

(*a*) Trid. sess. XIV. cap. 7.
(*b*) Matth. XVIII. 18., Joan. XX. 23.
(*c*) Cypr. ep. XI.
(*d*) Conc. Carthag. II. Can. III.
(*e*) Conc. Carthag. III. Can. XXXII.

tores. In hoc senatu omnes ecclesiasticæ causæ tractabantur: in primis vero pœnitentiæ solemni ratione imponebantur & pœnitentes reconciliabantur, præsertim ubi majora & publica erant crimina (*a*). Ipsi peccatores sua subinde crimina etiam occulta presbyterio confitebantur (*b*): christiani eo crimina fratrum sive publica, sive occulta deferebant (*c*). Consessus quoque gravitatem criminum expendebat, & pro eorum gravitate pœnalia opera imponebat. Imo ubi fratres delati objecta crimina negabant, consessus testes recipiebat, & convictos peccatores, qui agere pœnitentiam detrectabant, à Christi corpore prorsus exscindebat, & demum ad veniam dandam per manuum impositionem una cum Episcopo concurrebat. Erat autem tribunal hoc Ecclesiæ totum internum & sacramentale: & quamvis multa judicialia & solemnem veluti judicii ordinem adhiberet, tamen externa omnis forma unice tendebat ad peccata per pœnitentiam curanda. Forum ejusmodi toto sæculo XI. viguit, postea vero in duo distractum est, internum & externum, quorum illum unice spectat peccatorum confessionem & crimina per Sacramentum sine ulla solemni judiciali forma curanda; hoc vero formulis strepituque forensi exercetur, puniuntque in eo Episcopi crimina Clericorum, & censuras ecclesiasticas infligunt.

Jure proprio Pœnitentiarius *pœnitentiam administrat.*

§. V. Porro jure proprio & ordinario Pœnitentiarius generalis in tota diœcesi pœnitentiam administrat. In Ecclesiis orientalibus post persecutionem Decianam primum institutus fertur Presbyter pœnitentiarius, cui velut stabili Ministro quotquot post Baptismum lapsi essent, peccata sua confiterentur (*d*): Presbyterum pœnitentiæ præpositum ἐκκλεσιαςικῷ κανόνι *ecclesiastico albo* additum Socrates scribit, quod indicat peculiare officium, quale Archipresbyteri & Archidiaconi, fuisse institutum. Proprius Ecclesiarum orientalium fuit Presbyter, Pœnitentiarius, qui inde sub Nectario sublatus est (*e*); at in Ecclesiis Latinis nullus ejus usus fuit, quidquid Sozomenus contra testetur (*f*); per plura enim sæcula integrum pœnitentiæ negotium in Occidente fere soli Episcopi administrarunt, quod Thomassinus & Valesius recte observant (*g*). Verum post sæculum X. in Occidente institutus est Presbyter, qui vice Episcopi confessionibus & pœnitentiis totius diœcesis præesset, dictusque propterea est *Confessor* & *Pœnitentiarius generalis*. Non adeo assidui in vinea Do-

(*a*) Cypr. ep. X. & XI, Morin. lib. 1 cap. 10.
(*b*) Tertull. de Pœnit. cap. 10 & 11.
(*c*) Aug. serm. XVI. de Verbis Dom.
(*d*) Socrates lib. 5. cap. 19. Sozomen. lib. 7. cap. 16.
(*e*) Confer. Petavius in Epiphan. hær 59.
(*f*) Sozomen. loc. cit.
(*g*) Thomass. de Benef. 1. lib. 2. cap. 7. n. 11. Vales. not. in Sozomen.

Domini excolenda tum erant Episcopi latini, & hinc etiam in negotio pœnitentiæ vices suas alteri demandare voluerunt. Ergo Pœnitentiarii erat, ex quacunque diœcesis parte confessiones audire, à casibus Episcopo reservatis absolvere, ab aliis Sacerdotibus impositas pœnitentias relaxare, & dubia circa pœnitentiam in diœcesi exorta definire (*a*). Jamdiu apud latinos Pœnitentiarii munus receptum Tridentini Patres confirmarunt, & in perpetuum beneficium auxerunt (*b*), quod inter dignitates Ecclesiæ cathedralis censetur. Itaque Pœnitentiarius post Episcopum totius parœciæ proprius Presbyter censetur, adeo ut qui in Paschate ei sua peccata confitentur, præcepto annuæ confessionis satisfaciant, quod sacra Congregatio censuit (*c*). Adsumi autem in Pœnitentiarium Tridentini Patres voluerunt Presbyterum, qui in theologia aut jure canonico emeritus sit, & annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci conditione reperiatur: quod gravitas officii postulabat.

Parochi ordinarii pœnitentiæ Ministri.

§. VI. Jure quoque proprio & ordinario Parochi pœnitentiam & reliqua Sacramenta gregi sibi commisso, sed sub eminenti Episcopi potestate administrant. Scilicet parochiarum & beneficiorum institutio perpetuo & ordinario jure officia ecclesiastica beneficiariis demandavit (*d*). Ita Parochi ipsa beneficii datione animarum curam accipiunt, & habentur quasi inferiores prælati (*e*), qui vi officii sui Sacramenta & pœnitentiam sibi commisso gregi sub Episcopo elargiuntur: nec opus est examine, aut alio Episcopi mandato, ut confessiones excipiant. Verum in veteri disciplina non adeo ampla erat ordinaria ista Parochorum in administranda pœnitentia potestas: diu enim post institutas parochias perrexerunt Episcopi in tota diœcesi publicam pœnitentiam, præsertim in publicis criminibus administrare: atque adeo Parochi fere in occultis criminibus Ministri pœnitentiæ erant (*f*). Qua posita disciplina Parochi in publicos peccatores, qui in suis Ecclesiis erant, inquirebant, eosque ad publicam pœnitentiam hortabantur & Episcopo sistebant; nec nisi in præsenti mortis periculo eos absolvebant. Post sæculum IX. magis magisque lapsa Episcoporum in vinea Domini excolenda sollicitudine, etiam Parochi & inde inferiores Sacerdotes publicis peccatoribus pœnitentiam dare cœperunt, tantumque Episcopis solemnis pœnitentia reservata est. Quoniam vero cura animarum certis personis & locis terminatur, hinc Parochi per totam diœcesim vi sui be-

(*a*) Grancol. l' Ancien Sacramentaire part. 2. pag. 213.
(*b*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 8.
(*c*) Apud Garziam de Benef. part. 5. cap. 4. n. 113.
(*d*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 15
(*e*) Joan. Gersou. serm. contra bullam mendicant.
(*f*) Thomass. de Benef. part. 1. lib. 2. cap. 2. & seqq.

neficii alienis subditis pœnitentiam nequeunt administrare. At vi consuetudinis saltem de consensu Parochorum per totam diœcesim etiam sibi non subditorum confessiones excipiunt: quod jus receptum est postquam extraordinarii Sacerdotes ad excipiendas confessiones per totam diœcesim adsumi cœperunt (*a*).

Qui jure delegato excipiunt confessiones.

§. VII. Præter Parochos & Pœnitentiarios, qui jure proprio pœnitentiam administrant, alii Presbyteri etiam regulares selecti sunt, qui delegata potestate confessionibus præessent: abolitis enim in Occidente canonicis pœnitentiis, frequentiores esse cœperunt confessiones: atque ita plures Presbyteri ad eas excipiendas fuerunt necessarii. Primis sæculis tantum Episcopi, tum institutis parœciis etiam Archipresbyteri & Parochi confessionum excipiendarum potestatem inferioribus Presbyteris faciebant (*b*). Solemne enim est, ut qui jure proprio exercent jurisdictionem, alteri eam possint demandare. Stetit longo sæculorum cursu hæc disciplina, tandemque in Concilio Tridentino Archipresbyteri & Parochi tamdiu recepto jure ceciderunt: statutum enim est in hoc Concilio, neminem etiam regularem posse confessiones sæcularium excipere, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur necessarium, probetur & admittatur (*c*). Presbyteri autem tanta potestate ab Episcopo aucti per totam diœcesim fidelibus Episcopo adprobanti subjectis pœnitentiæ Sacramentum administrant, nisi definitam potestatem Episcopus concedat. Nempe integrum est Episcopis tempore, loco, personis, materia circumscribere vicariam excipiendarum confessionum potestatem; idque vel generalibus statutis, vel in ipsis mandati litteris facere consueverunt (*d*). Hinc Presbyteri at audiendas confessiones, etiam per totam diœcesim assumpti, sine speciali Episcopi mandato nequeunt monialibus pœnitentiam administrare, quod earum confessiones mandatis generalibus non contineri locorum Canones & bullæ Pontificum edicunt. Quæ omnia locum habent in casibus ordinariis, nam ubi urget necessitas, jura humana non adstringunt, & Presbyteri etiam non adprobati ubique & quoscunque à peccatis absolvunt.

Quo jure Presbyteri regulares excipiunt confessiones.

§. VIII. Quamvis autem regiminis ecclesiastici forma postulabat, ut sine Episcopi, aut proprii Sacerdotis mandato inferiores Presbyteri pœnitentiam non administrarent; tamen post exortos fratres men-

(*a*) Espen. part. 2. tit. 6. cap. 6.
(*b*) Conc. Ticinense 850. cap. 12. ext. de Pœnit. & remiss. Jo. Gersonius serm. contra bull. mendicant.
(*c*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 15.
(*d*) Confer. Espen. part. 2. tit. 6. cap. 6. n. 17. & seqq.

mendicantes ordo iste in Ecclesia receptus turbatus est. Etenim iis concessum est, ut auctoritate apostolica per totum Occidentem confessiones exciperent, & peccata dimitterent. Primus hoc privilegium Gregorius IX. concessit, illudque propterea Matthæus Parisiensis *inauditum & novum* appellat (*a*). Ergo mendicantes cœperunt Ecclesias circumire, & omnium confessiones excipere, præsertim vero ad eos currebant nobiles & eorum uxores. Benigniores enim censebantur novi isti pœnitentiæ præfecti, & quod missi transeuntes essent, non tanta verecundia eis fideles sua peccata aperiebant, quanta suffundebantur apud proprios Sacerdotes. Itaque cecidit dignitas ordinariorum, & fideles audacter peccabant, *scientes*, inquit Matthæus Parisiensis, *se coram proprio Presbytero non erubescere, sua enormia peccata confitendo.* Hinc dissidia inter Ecclesiarum Prælatos & mendicantes, quæ diu Ecclesiam exagitarunt. Etenim Romani Pontifices, dissidiorum judices, tot editis bullis potius mendicantibus quam ordini hierarchico, divina auctoritate instituto, faverunt: & dum honori Episcoporum consulere intendebant, nova emergebant dissidia: namque honor, quem salvum Episcopis Pontifices volebant, in speciem tantum erat. Sane ex bullis pontificiis debebant quidem mendicantium superiores petere ab Episcopis veniam pro fratribus, quos ad excipiendas confessiones elegissent; at Episcopi petitam veniam non poterant denegare, nec iis dabatur expendere, num electi fratres ad excipiendas confessiones essent idonei: de plenitudine enim apostolicæ potestatis mendicantibus venia administrandæ pœnitentiæ dabatur, statim ac Episcopi petitam veniam denegassent; quod bullis Bonifacii VIII., Benedicti XI., Clementis V. & Alexandri V. comprehensum est (*b*). Itaque dissidia usque ad comitia Tridentina perdurarunt, ubi complures Episcopi contra mendicantium privilegia exclamarunt, Ecclesiæ & lapsæ disciplinæ causam perorantes; decretumque, ut nullus Presbyter, etiam regularis, ad confessiones sæcularium etiam Sacerdotum idoneus reputetur, nisi habeat beneficium parochiale, aut ad id munus mandato Episcopi deputetur (*c*): quo decreto privilegia omnia, quibus auctoritate apostolica licebat mendicantibus confessiones excipere, abrogata sunt.

Confessio fieri debet proprio Sacerdoti.

§. IX. Hactenus de Ministris, qui pœnitentiæ præsunt, videndum nunc, cui Ministrorum debeant fideles sua peccata confiteri. Veteri stante disciplina præsertim post instituta beneficia, quibus cura animarum annexa est, quisque suo proximo in spiritualibus superiori confiteri peccata tenebatur, quod argumentum Grancolasius fuse persequitur (*a*). Itaque Episcopi suis Metropolitis, Parochi suis Episcopis, aut Presbyteris ad id ab Episcopo, aut Archidiacono deputatis, Clerici suis Presbyteris, aut etiam Episcopis, Monachi suis Præpositis & Abbatibus Presbyteris, aut aliis Monachis Presbyteris ad id munus deputatis, & fideles laici suis Parochis peccata aperiebant. Et si in mediorum sæculorum monumentis exempla eorum extant, qui *proprios confessores* à Parochis diversos haberent, id speciali jure videtur inductum. Postulabat profecto cura animarum, ut illi oves suas agnoscerent & pascerent, quibus earum cura erat demandata. Plures in hanc sententiam conditi sunt Canones, in primis vero celebris est Canon XXI. Concilii IV. Lateranensis (*b*), quo cavetur, ut omnis fidelis *omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti*, hoc est Parocho: quo loco verba *saltem semel in anno* tantum spectant præceptum annuæ confessionis, non permittunt, ut præter annuam confessionem cuique Presbytero pœnitentiis præposito sua peccata fideles possint confiteri: etenim aperte edicunt Patres, alienos Sacerdotes præter veniam proprii Sacerdotis *non posse solvere vel ligare*. Qua stante disciplina, ut quis alieno Sacerdoti confiteretur, aut venia proprii Sacerdotis, aut privilegio indigebat (*c*). *Proprii* autem *Sacerdotis* nomine etsi Parochum Patres Lateranenses intellexerint; non tamen Episcopum & Pœnitentiarum videntur exclusisse (*d*): semper enim in cura animarum potior est Episcopi potestas.

Sed id jus hodie vix servatur.

§. X. Sed labentibus annis hæc disciplina mutata est; jamque passim obtinet, ut sine venia proprii Sacerdotis, annua fortasse confessione excepta, fideles cuique pœnitentiis præposito Sacerdoti possint sua peccata confiteri. Desuetis canonicis in Occidente pœnitentiis, frequentiores evaserunt confessiones, quæ ante ob longas pœnitentias absolutioni præmittendas raræ videntur fuisse. Ita non amplius soli proprii Sacerdotes potis erant ad omnium confessiones excipiendas & pœnitentiam administrandam. Ergo Pontificum, Episcoporum & Parochorum auctoritate constituti sunt multi Presbyteri, qui præessent confessionibus, & liberum cuique christiano esse cœpit, Sacerdotem, cui peccata sua confiteretur, seligere: tantumque excepta est annua confessio, quam proprio Sacerdoti omnino salvam summi Pontifices in privilegiis mendicantibus ad excipiendas

(*a*) Matth. Parisiensis ad an. 1246.
(*b*) Extravag. Super cathedram, de sepult. inter comm., Extravag. inter cunctas, de privileg. eod., Clement. Dudum, de sepult., bulla Alexandri V. Regnans in excelsis.
(*c*) Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 15.

(*a*) Grancolas. l' Ancien Sacramentaire part. 2. p. 242. & seqq.
(*b*) Cap. 12. ext. de Pœnit. & remiss.
(*c*) Cap. fin. ext. eod.
(*d*) Conf. Juenin. diss. VI. q. 5. c. 4. art. 3.

das confessiones datis voluerunt (a). Sic enim interpretati sunt, seu potius restrinxerunt Canonem Lateranensem, quasi juberet, teneri fideles semel in anno proprio Sacerdoti peccata confiteri: quam eandem sententiam ei posteriores Canones etiam tribuerunt. Cæterum moribus præsentibus in multis Ecclesiis, præsertim in Italia & Hispania, christiani censentur satisfacere præcepto annuæ confessionis, etiamsi cuilibet Sacerdoti, etiam regulari, ad audiendas confessiones deputato confiteantur. Promoverunt hanc disciplinam Leo X. & Clemens X., qui editis Decretalibus statuerunt, christianos præcepto annuæ confessionis satisfacere, si cuique Presbytero confessionibus præposito peccata sua adaperiant (b). Sed hæ bullæ in Gallia receptæ non sunt, quod Grancolasius testatur (c). Et certe ordini hierarchico & curæ animarum jure proprio competenti videtur convenire, ut saltem semel in anno proprii pastores conscientiam suorum subditorum cognitam habeant.

Peccata reservata.

§. XI. Inferiores autem Sacerdotes sive ordinario, sive vicario jure aucti pœnitentiam administrent, ea tantum crimina possunt dimittere, quæ Ecclesiæ præpositi non exceperunt, sibique reservarunt. Antiqua profecto est Ecclesiæ disciplina, quæ grandia crimina majoribus tantum Sacerdotibus curanda reservat: etenim difficultate absolutionis crimina ista videbantur cohibenda, & deinde in gravioribus morbis peritiores medicos oportet adhibere. Et Episcopi in suis parœciis & Pontifices in omnibus Ecclesiis sibi peccata reservare consueverunt. Episcopales reservationes cum ipsa Ecclesia exortæ sunt; quidquid enim arduum inerat pœnitentiæ, Episcopi semper suæ cognitionis esse voluerunt; sed pontificiæ antiquitati ignotæ sunt, & demum post sæculum X. invaluerunt, quod Thomassinus, Espenius aliique passim observant (d). Scilicet summa erat ea ætate morum corruptio, & hinc Episcopi ut quorundam criminum majorem horrorem incuterent, reos Romam mittere cœperunt, ut Pontifex imponeret vel ab Episcopo impositam mitigaret, vel augeret pœnitentiam; mox etiam in Synodis quædam crimina Pontifici absolvenda reservare. Ab his institutis ipsi Pontifices statim casus suæ cognitioni reservare cœperunt: quæ reservationes labentibus annis magno numero creverunt, suntque receptis Decretalium codicibus inserte, vel aliis recentioribus bullis & extravagantibus continentur. Summa autem prudentia opus est ad peccata reservanda, ut non passim omnia, sed tantum atrociora & fre-

(a) Martin. IV. bulla *ad uberes*, Sixtus IV. extravag. *Vices* de tregua & pace, inter comm.
(b) Leo X. bul. *Inter mentis arcana*, Clemens X. bul. *Superna*.
(c) Grancolas. loc. cit p. 305. & seqq.
(d) Thomass. de Benef. part. 1. lib. 2. cap. 13., Espen. part. 2. tit. 6. c. 7. n. 8.

frequentiora potestati inferiorum Sacerdotum subtrahantur; multiplicatæ enim reservationes non amplius arguunt criminis gravitatem, nec à peccatis admittendis revocant. Reservationes ab Episcopis factas omnes inferiores pœnitentiæ Ministri etiam regulares servare tenentur (a): tantumque ipsi Episcopi, & qui ab eis speciale mandatum habent, peccata Episcopis reservata dimittunt. Sed à peccatis Pontifici reservatis olim nemo solvebatur, nisi personaliter Pontifici se sisteret, exceptis mulieribus, senibus aliisque, qui impares ad Romanum inter erant, quos Episcopi absolvebant (b): inde vero multiplicatis reservationibus consueverunt Pontifices peccata publica sibi reservata Episcopis absolvenda demandare: occulta vero ex juris concessione etiam Episcopi in foro conscientiæ suis subditis dimittunt (c): & sacra *Pœnitentiaria* in dies inferioribus Ministris remittit.

Diaconi à peccatis non absolvunt.

§. XII. Præter Episcopos & Presbyteros nulli alii, qui sunt in Clero, absolvere à peccatis possunt; sacerdotio enim proprie sic dicto absolutio à peccatis adhæret. Interim viri doctissimi Jo. Morinus, Jo. Launojus & Martene (d) contendunt, in necessitate etiam Diaconum posse veniam peccatis elargiri. Multa in hanc sententiam proferunt argumenta, præsertim vero provocant ad Cyprianum (e), qui lapsis, quos martyres libellis suis commendaverant, succurrendum per Diaconos edixit, ut quo casu Presbyter non sit *& urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum in pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt.* Nihil clarius expressiusque judice Morino dici poterat ad vindicandum Diaconis in necessitate absolvendi potestatem. Multa & scholastici & deinceps eruditi excogitarunt, quo Cyprianus clavium potestati solis Sacerdotibus datæ concineret; eorum autem sententiæ pleræque falsæ sunt, aliæ verbis Cypriani non conveniunt. Magis ad veritatem accedit Carolus Blascus, vir de re canonica benemeritus & mihi amicissimus (f). Distinguit vir doctus exomologesim ab absolutione, aitque exomologesim in hoc loco esse peccatorum detestationem lacrymis & gemitibus factam, quæ pars erat pœnitentiæ absolutioni præmittenda; & deinde variis productis monumentis observat, diversa esse periculum mortis, & mortis articulum; est enim periculum mortis, unde mors frequenter solet accidere: articulus autem quum regulariter certa mors est. Ita-

(a) Conf. N. Alexander Theol. dogm. & mor. de Pœnit. cap. 5. art. 10. prop. 27.
(b) Cap. 6. & 13. ext. de Sentent. excomm.
(c) Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 6.
(d) Morin. lib. 8. cap. 23., Launojus de Sacram. Unctionis infirmor.
(e) Cyprian. ep. XII. al. XIII.
(f) Blascus in peculiari diss. ea de re Italice edit.

Itaque judice Blasco, exomologesis, quam apud Diaconum fieri Cyprianus permittit, est peccatorum detestatio, quæ fiebat, quum urgere exitus cœperat, hoc est in periculo mortis; at Diaconus non simul dabat pacem & absolutionem, quæ inde dabatur à Presbyteris, ubi, ingravescente morbo, spes nulla vitæ esse videretur. Coacta primo obtutu videri potest hæc interpretatio; sed certe cæteris præferenda est: quin confirmari potest Canone quodam Concilii IV, Carthaginensis, ubi veluti tempore distincta proponuntur data infirmis pœnitentia & eorundem absolutio (*a*).

Confessiones in necessitate olim laicis factæ.

§. XIII. Quamvis autem soli Presbyteri Pœnitentiæ Sacramentum administrent; tamen per plura sæcula mos stetit, ut ubi necessitas urgeret, nec esset copia Sacerdotis, etiam laicis christiani peccata sua confiterentur. Sane auctor libri *de vera & falsa pœnitentia*, qui à nonnullis Augustinus creditur, vult, ubi deest Sacerdos, christianus proximo suo confiteatur (*b*). Et teste Augustino (*c*) pœnitens olim in naufragii periculo catechumenorum baptizavit, à quo inde petiit reconciliari, idque factum est. Consentiunt quoque antiqui scholæ magistri socio vel proximo faciendam confesionem, ubi urget necessitas, & Sacerdos abest, quam sententiam etiam B. Thomas tenuit (*d*). Qui S. Thomam secuti sunt, doctores passim contrariam sententiam amplexi sunt, quo factum ut mos iste laicis in necessitate peccata confitendi obsolesceret. Interim laicis olim factæ confessiones non erant sacramentales, ubi enim deest clavium potestas, qui esse potest verum Sacramentum? sed ex fervore charitatis, quæ per confessionem magis magisque excitabatur, peccata dimittebantur. Quæ est Augustini doctrina, de pœnitente enim, quem neophytus ille reconciliavit, affirmat, animi religionem & humilitatem ei gratiam impetrasse: *motus animus religiosus & suplex ab homine exegit Sacramentum, à Deo ipso impetravit sanctitatem*. Et S. Thomas docet, confessiones laicis factas propter fidem & Sacramenti desiderium peccata remittere, atque ideo esse quodammodo sacramentales, non vera Sacramenta (*e*).

CA-

(*a*) Conc. Carth. IV. Can. LXXVI.
(*b*) Aug. de vera & falsa Pœnit. cap 10. Can. I. dist. 6. de Pœnit.
(*c*) Aug. ep. ad Fortunat., Can. XXXVI. D. 4. de Consecr.
(*d*) Confer. Morin. lib. 8. cap. 24. n. 6. & seqq.
(*e*) Confer. S. Thom. in 4. Sentent. dist. 17. q. 3. art. 3.

CAPUT XXIV.

De subjecto & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

Christiani peccatores Sacramenti Pœnitentiæ capaces.

§. I. Soli christiani, qui post Baptismum in peccata lapsi sunt, Sacramentum Pœnitentiæ suscipere possunt. Contingit nempe ut partam in Baptismo gratiam & justitiam per peccata homines deperdant. Ergo Jesus Christus, abundans in misericordia, illis etiam vitæ remedium contulit, qui post illuminationem labuntur. Et hinc Sacramentum Pœnitentiæ à Patribus *secunda post naufragium tabula* appellatur: ei enim qui in vitæ humanæ procelloso mari iterum naufragium faciunt, veluti secunda innixi tabula, emergunt & ad vitam resurgunt. Itaque non baptizati incapaces sunt absolutionis, quæ per Pœnitentiæ Sacramentum obtinetur, eosque sola unda Baptismi in Dei lumen & regnum adducit. Et quamvis in veteri disciplina catechumeni ante Baptismum peccata sua confiterentur & de iis agerent pœnitentiam (*a*); tamen confessio & pœnitentia ista non erant sacramentales, nec ad dimissionem peccatorum suscipiebantur (*b*), sed potius erant ad Baptismum præparationes, quibus catechumeni suam conversionem testabantur. Spectat tamen secunda ista post naufragium tabula proprie eos, qui peccata gravia admisserunt; nam qui solis venialibus culpis adstringuntur, non necessario per Sacramentum Pœnitentiæ curari debent; ad harum enim curationem plura alia remedia præsto sunt (*c*): in primis vero eminet oratio dominica, quam propterea Augustinus sæpe appellat *quotidianum Baptismum* & *quotidianam medelam*. Et hinc quamvis venialia recte & utiliter in confessionibus aperiantur, taceri tamen citra culpam possunt. Imo in veteri disciplina venialium confessio frequenti usu fuisse non videtur, quod Mabillonius observat (*d*).

Absolutio nisi præsenti non datur.

§. II. Præsenti autem reo in nova disciplina administrari debet à peccatis absolutio, & irrita profecto est, si absenti per litteras aut nuntium detur: quod idem jus est de confessione sacramentali, quæ etiam præsenti Sacerdoti & quidem verbis ore prolatis facienda est: tantumque admittitur confessio per nutum, aut alia signa, quo casu peccator loquendi facultate destituitur. Et profecto Clemens VIII. anno CIↃIↃCII. hanc proscripsit sententiam, *licere per lit-*

(*a*) Tertull. de Bapt. cap. 20., Nazianz orat. 40. de Bapt.
(*b*) Confer. Albasp. observ. lib. 2. cap. 1.
(*c*) Confer. Morin. lib. 5. cap. 32.
(*d*) Mabill. præf. in sæcul. III. Benedict. n. 9. & 92.

litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Cæterum complures antiqui ex schola theologi validas habuerunt absentibus factas confessiones sive per litteras, sive per nuntium, itemque eodem modo absentibus datas absolutiones. Cui opinioni convenire videtur vetus disciplina, quæ absolutiones datas absentibus per litteras, ut & confessiones in absentia factas, admittebat, quod multis productis exemplis & testimoniis Morinus probat (*a*). Et profecto non recte N. Alexander & Drouvenus (*b*) docent, absolutiones absentibus olim datas fuisse à censuris, non à peccatis, vel fuisse cæremoniales, non sacramentales: qui enim confessiones & absolutiones illas expendit, profecto videt, eas plerumque peccata ipsa spectasse. Melius ergo Morinus contendit, in veteri disciplina Pœnitentiæ Sacramentum absentibus administrari potuisse: idque quia tum Ecclesia præsentiæ conditionem non necessariam habebat; contrarium vero tenendum post Clementis VIII. decretum, quo confessiones inter absentes & absolutiones absentibus datæ irritæ factæ sunt.

Quî mortui externæ communioni reddebantur.

§. III. Nec tantum præsentes, verum etiam vivi sint oportet christiani, qui Pœnitentiæ Sacramentum suscipiunt. Potestas, qua Ecclesia peccata dimittit, in mortuos non extenditur. Interim etsi Ecclesia mortuis peccata non dimittit, methodum tamen invenit, qua mortuis saltem externam communionem restitueret. Et pœnitentes quidem, qui navi & industrii erant in agenda pœnitentia, quo casu ante absolutionem inopini decedebant, in communionem recipi censebantur, si eorum nomine oblationes factæ admitterentur, & eorum nomina in precibus commendarentur, quæ praxis in Africa, Hispania & Gallia solemnis erat (*c*). Vulgatum est, Ecclesiam tantum eorum oblationes recepisse, qui cum ipsa communicabant (*d*). Sed Ecclesia Romana primis sæculis externam communionem post mortem nemini concedebant, non quod de pœnitentibus ante pacem casu defunctis desperaret, sed quod eorum causam Dei judicio committeret. *Nos*, inquit Leo M. (*e*), *quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus*. Postquam vero in quinto Concilio œcumenico probatum est posse Christianos in Ecclesiæ communione mortuos post mortem excommunicari, Ecclesia Romana mutavit disciplinam, & mortuos in pœnitentia in externam communionem per oblationes & preces adscivit (*f*). Erant alii, qui extra

(*a*) Morin. lib. 8. cap. 25.
(*b*) Nat. Alexand. Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. de Pœnit. cap. 5. art. 5. reg. 12., Drouveu. de Re Sacram. lib. 6. q. 8. cap. 3.
(*c*) Conc. Carth. IV. Can. LXXIX., Conc. Tolet. XI. Can. XII., Conc. Vasense II. Can. II.
(*d*) Confer. Bingh. Orig. eccles. lib. 15. cap. 2. §. 2.
(*e*) Leo M. ep. XC. & XCII. ad Rust. cap. 6.
(*f*) Chardonius Histoire de la Penitence sect. 4. chap. 10.

tra communionem moriebantur, quod vi factionis oppressi per injuriam Ecclesia ejecti erant (quod accidit Chrysostomo, hi post mortem Ecclesiæ communioni reddebantur, si eorum nomina *diptychis* inferebantur. Erant *diptycha* tabulæ ecclesiarum, quibus nomina insigniorum christianorum, dum viverent, vel postquam facto cessissent, inscripta erant, de quibus Cardinalis Bona plura commentatur (*a*).

Sacramentum Pœnitentiæ pluries accipitur.

§. IV. Jam vero christiani quoties post Baptismum in peccata labuntur, evangelico jure per Pœnitentiæ Sacramentum resurgere & reconciliari possunt (*b*): absolvendi enim potestatem nullis limitibus adstrictam Ecclesiæ suæ Christus demandavit. At Ecclesia primis sæculis parce admodum tanta potestate usa est, & tempore difficili rigorem intendit, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis. Sane idolatris, homicidis, mœchis & peccatoribus in morte pœnitentiam petentibus per Ecclesias occidentales communio nec in fine dari consuevit (*c*). Multi quoque peccatores per totam Ecclesiam ad extremum usque vitæ in pœnitentia detinebantur, & demum animam exhalaturi absolvebantur (*d*). Et qui acta semel publica pœnitentia, in eadem vel alia crimina incidissent, omni spe reconciliationis & pacis etiam in fine vitæ carebant: non enim dabatur secunda pœnitentia (*e*): & ultimum nefas videbatur crimen post Baptismum & Pœnitentiam admissum. Sed ab hac disciplina sensim descivit Ecclesia, & omnibus in fine pacem dedit, & absolutionem toties dare cœpit, quoties christiani in peccata laberentur. Iterari cœpit in Oriente pœnitentia tempore Nectarii, qui publicam pœnitentiam abrogavit; sponte scilicet sua sequebatur, christianos, quoties vellent, privatim posse pœnitere; nec enim unquam Ecclesia privatam pœnitentiam vetuit iterari. Recepta hac disciplina, affirmare potuit Chrysostomus, qui Nectario in Ecclesia Constantinopolitana successit, *licet millies pœnitentiam egeris, accede*, ut eum dixisse Socrates testatur (*f*), quamvis qua homilia id vir sanctus dixerit, non constare videatur. Sed in Occidente tandem sæculo octavo publica pœnitentia iterari cœpit, & desueta pro criminibus occultis publica pœnitentia, & inde etiam desuetis canonicis pœnitentiis, toties indultum, quoties peccatum est, permissumque vel quovis die Sacramentum Pœnitentiæ suscipere. Videant interim Sacerdotes pœnitentiæ præfecti, ne tanta facilitate peccata foveant, & toties repetita beneficia non magni æstimentur.

Qui

(*a*) Card. Bona Rer. liturg. lib. 2. cap. 12.
(*b*) Trident. sess. XIV. Can. I.
(*c*) Conf. Albaspin. Observ. lib. 2. cap. 7. & seqq.
(*d*) Confer. Bingham. Orig. eccles. lib. 18. cap. 4. §. 2.
(*e*) Confer. Morin. lib. 5. cap. 27. & seqq.
(*f*) Socrates lib. 6. cap. 21.

Quibus denegatur absolutio

§. V. Sunt quidem christiani, qui post Baptismum peccarunt, Sacramenti reconciliationis capaces, modo tamen ex forma divinorum præceptorum hanc secundam post naufragium tabulam adprehendant, hoc est, si peccata sua confiteantur, de iis doleant & laboriosis operibus divinæ justitiæ satisfacere curent. *Deus* enim *conversis ad se peccata donat*, *non conversis non donat*, inquit adposite Augustinus (*a*). Hinc denegari, aut differre iis debet absolutio, qui christianæ fidei rudimenta & Ecclesiæ præcepta ignorant, qui adhuc peccatis hærent, qui versantur in occasione peccandi, qui præscriptis sibi contra peccata remediis uti detrectant, qui de iisdem peccatis se accusant, quoties confitentur (*b*). Porro incapaces absolutionis reputantur, qui in criminis actu usum rationis amittunt, nec inde recuperant, quo petant pœnitentiam; & publici peccatores, qui præ morbi acerbitate obmutescunt, nec ante morbum aut verbis, aut signis, aut operibus suam conversionem testati sint. Sane Patres Carthaginenses dandam edicunt pœnitentiam infirmo, qui ingravescente morbo obmutuerit, aut deliret, si ex aliorum testimonio Sacerdoti constet, eum petiisse pœnitentiam (*c*). Et quamvis fieri possit, ut qui in ipso peccandi actu linguam amittunt, & publici peccatores, qui præ morbi acerbitate non petunt pœnitentiam, vere doleant & pœnitentiam desiderent; non tamen in hoc dubio possunt Sacerdotes pretiosas Christi gemmas in incertum eventum projicere (*d*). Sed quod spectat ad bonos piosque christianos, qui præ vi morbi nulla edunt pœnitentiæ signa, utrum in fine absolvi possint, inter theologos disputatur. Qua in re nobis humanior sententia videtur præferenda, quæ saltem sub conditione hujusmodi christiani sensu destitutis pacem elargitur: præsumptio enim valida subest, bonos christianos sine necessario viatico ex hac vita nolle discedere (*e*).

Jure divino Sacramentum Pœnitentiæ absolute necessarium.

§. VI. Venio nunc ad Sacramenti Pœnitentiæ necessitatem. Jure evangelico christianis in gravia peccata lapsis ad justitiæ & gratiæ recuperationem absoluta necessitate Pœnitentiæ Sacramentum necessarium est, ut nondum regeneratis necessarius est Baptismus, quod Tridentini Patres docent (*f*): ex dominica enim institutione peccata

(*a*) Aug. in Psalm. XXXII.
(*b*) Confer. N. Alexand. Theol. dogm. & mor. lib. 2. de Pœnit. cap. 7. art. 3.
(*c*) Conc. Carth. IV. Can. LXXVI.
(*d*) Conf. Juenin. de Sacram. diss. VI. q. 7. cap. 4. art. 4.
(*e*) Confer. Morin. lib. 10. cap. 10. n. 2. & seqq. Chardon. Histoire de la pénitence sect. 4. chap. 9.
(*f*) Trid. sess. XIV. cap. 2.

ta gravia post Baptismum admissa tantum per sacerdotalem absolutionem dimittuntur. Et quamvis Scripturæ passim omni fideli contrito & vere pœnitenti remissionem peccatorum polliceantur; id tamen sub Evangelio ita intelligi oportet, si conversi & dolentes peccata sua clavibus Ecclesiæ subjiciant, & Sacerdotum precibus absolvantur: pro vario enim generis humani statu alia atque alia remedia Deus hominibus præparavit, ut latius theologi docent (*a*). Quod si copia Sacerdotis non suppetat, & necessitas urgeat, peccata dimittuntur per contritionem desiderio Sacramenti instructam. Atque hinc manavit doctrina, Pœnitentiæ Sacramentum jure divino *in re vel in voto* esse necessarium. Obligat autem hoc divinum præceptum præsertim dum in mortis periculo christiani versantur, & dum aliquod Sacramentum recipere vel administrare debent: jure enim divino quilibet necessario ad mortem viatico se munire debet: & Sacramenta eodem jure in suscipientibus & Ministris animæ puritatem requirunt. Extra hos casus non statim ac grave aliquod peccatum christiani admittunt, debent confiteri, sed non differendum (*b*); impœnitentiæ enim & summæ proterviæ signum est, cum Deo differre reconciliationem. Quo fundamento veteres Patres suspectam habuerunt pœnitentiam, quam peccatores ad mortem usque differrent (*c*).

Jure ecclesiastico etiam Sacramentum Pœnitentiæ necessarium.

§. VII. Porro ecclesiastico præcepto fideles omnes ratione utentes ad sacramentalem confesionem tenentur. Sæculo VIII. ter in anno fideles peccata sua confessi videntur, semel nempe in unaquaque ex tribus, quæ tum obtinebant, quadragesimis, quod ex regula Chrodogangi constat. Id vero de peccatis tantum levibus videtur intelligendum; nam stantibus adhuc canonicis pœnitentiis, quæ per plures annos durabant, qui poterant fideles ter in anno gravia peccata confiteri? Sed Concilium Lateranense sub Innocentio III. statuit, ut fideles omnes ratione utentes peccata sua ad minus semel in anno confiteantur, alias vivi ab ingressu Ecclesiæ interdicantur, & mortui ecclesiastica sepultura priventur (*d*). Hac ætate tantum non desuetis pœnis canonicis, locum habere poterat ecclesiasticum præceptum, quod pluries vel saltem semel in anno christianos ad confessionem adigeret. Nullam anni partem ad edendam confessionem Synodus in specie designat, quamvis eucharisticam communionem Paschati addicat. Sed & multorum Conciliorum regulis & Ecclesiarum moribus inductum est, ut præceptum edendæ confessionis in Paschate etiam obliget, ut ita parati fideles ad sacram mensam acce-

(*a*) Conf. N. Alexand. loc. cit. cap. 5. art. 3.
(*b*) S. Thom. in 4. Sentent. dist. 17. q. 3. art. 1.
(*c*) Aug. hom. XLI. ex L.
(*d*) Cap. *Omnis utriusque sexus XII.* ext. de Pœnit. & remiss.

cedant. Exoptat interim Ecclesia, ut potius initio quadragesimæ, quam instante Paschate fideles edant confessionem (*a*); quadragesima enim tempus est pœnitentiæ addictum: & ex veteri disciplina exercitia pœnitentiæ hoc tempore erant solemniora & duriora. Adde, quod festi dies non ad administrandam pœnitentiam, sed ad Dei laudes celebrandas instituti sunt, quod Grancolasius observat (*b*). Præcepto autem confessionis annuæ tenentur etiam qui solis peccatis venialibus adstringuntur: quæ S. Thomæ & aliorum gravissimorum theologorum sententia est (*c*). Et quoniam eam confessionem, quam Christus præcepit, faciendam Ecclesia jubet; hinc sacrilega confessione illuditur potius quam præceptum impletur (*d*).

CAPUT XXV.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Definitio & nomina Extremæ Unctionis.

§. I. Ea fuit Jesus Christi Servatoris adversus servos suos benignitas & summa clementia, ut omni tempore contra humani generis hostes salutaribus præsidiis eos tutos & armatos voluerit. Itaque quemadmodum in aliis Sacramentis auxilia maxima exhibuit, quibus christiani, dum viverent, se integros ab omni spiritus incommodo servarent; ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio, munivit (*e*). Est ergo Extrema Unctio Sacramentum, quo per olei unctionem & ei adhærentem orationem infirmis gratia confertur, peccata & eorum reliquiæ absterguntur, ad morbi incommoda superanda vires augentur, & corporis sanitas, ubi eorum saluti expedierit, restituitur. Ab oleo & unctione, quibus confertur, hoc Sacramentum à Latinis dicitur *oleum sanctum*, *oleum benedictionis*, *sacrati olei inunctio infirmorum*; à Græcis vero appellatur ἅγιον ἔλαιον *oleum sanctum*, aut εὐχέλαιον *oratio cum oleo* (*f*). Nomen vero *Extremæ Unctionis* sub finem sæculi XII. procusum est, quod Mabillonius observat (*g*), idque postremam ex unctionibus, quæ christianis conferuntur, significabat (unguntur nempe christiani in Baptismo, Confirmatione & tandem in infirmitatibus), sensim vero scriptorum & populi christiani usu ultimum Sacramentum cœpit denotare.

Ex-

(*a*) Trid. sess. XIV. cap. 5. Conf. N. Alexand. Theol. dogm. & mor. lib. 2. tract. de Pœnit. cap. 5. art. 5. reg. 9.
(*b*) Grancolas. l' Ancien Sacramentaire part. 2. p. 787.
(*c*) S. Thom. in 4. Sentent. dist. 17. q. 3. art. 1., Juenin. de Sacram. diss. VI. q. 5. cap. 3. art. 2.
(*d*) Alexand. VII. prop. 14.
(*e*) Trid. sess. XIV. de Sacram. Extr. Unct.
(*f*) Conf. Sambov. de Sacram. Extr. Unct. disp. 1. art. 1.
(*g*) Mabillon. præf. ad sæc. 1. Benedict. n. 98.

Extrema Unctio est verum Sacramentum.

§. II. Unum ex Ecclesiæ Sacramentis esse unctionem infirmorum, dogma est christianæ religionis, quod Tridentini Patres definierunt, & contra Lutheranos & Calvinianos theologi nostri in primis Launojus, Sambovius, & Jueninus (*a*) pluribus demonstrarunt. Nempe signum sensibile perpetuum divina auctoritate ad gratiam elargiendam institutum. Administratur enim unctio infirmorum ex divina institutione per oleum & preces, & gratiam effundit. *Infirmatur quis in vobis?* inquit Jacobus Apostolus (*b*), *inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Præterea perpetuo usu ab Apostolis ad nos usque administrata est, quod omnium sæculorum testimoniis constat: erratque profecto Dallæus, qui evincere conatur, unctionem nostram ab Jacobæa longe distare; differentiæ enim omnes ab eo propositæ, vel nullæ sunt, vel ad disciplinam non ad rei naturam spectant (*c*). Præsertim vero à sæculo sexto frequentior evasit infirmorum unctio; nam ante viri justi & pœnitentes dum infirmabantur, inungi non solebant (*d*): & præterea primis sæculis clam ethnicis, quibus mysteria nostra non patebant, vix poterant Presbyteri infirmos ethnicis permistos inungere (*e*). Quod si aperta hujus unctionis in Evangelio mentio non inveniatur, id non facit, ut eam Christus non instituerit. Multa enim Dominus operatus est, quæ in Evangelio non continentur. Hinc parum proba videtur sententia Magistri sententiarum, S. Bonaventuræ & Hugonis à S. Victore existimantium Apostolos Spiritus S. afflatu Extremam Unctionem instituisse. Et merito Tridentini Patres docent, Sacramentum hoc à Christo apud Marcum insinuatum & à Jacobo promulgatum (*f*).

Materia Extremæ Unctionis est oleum consecratum.

§. III. Jam vero Extremæ Unctionis elementum oleum est, quod ex Jacobi verbis constat, *ungentes eum oleo*, & perpetua traditione Ecclesia docuit (*g*). Olei autem nomine oleum proprie dictum venit, illud nempe quod ex oleis exprimitur, debetque esse simplex, nec balsami commistionem admittit. Et si Innocentius I. infirmorum oleum *chrisma* appellat (*h*), non propterea ex oleo & balsamo elementum Extremæ Unctionis constabat; chrisma enim apud

In-

(*a*) Launojus de Sacram. Unctionis infirmorum cap. 1. & 2., Sambov. cit. disp. II. art. 2. & seqq., Juenin. de Sacram. diss. VII. q. 2. cap. 2.
(*b*) Jacob. ep. can. cap. 5. 14. & seq.
(*c*) Conf. Sambov. cit. diss. II. art. 2.
(*d*) Conf. Launojus oper. cit. cap. 2. obs. 2.
(*e*) Conf. Chardon. Histoire de l' Extréme-onction. chap. 1.
(*f*) Trident. sess. XIV. de Sacram. Extremæ Unct. cap. 1.
(*g*) Trid. loc. cit.
(*h*) Innocent. I. ep. ad Decent. cap. 8.

Innocentium nullam mistionem importat, significatque unguentum, quo unctio fiebat. Antequam vero oleum in usum adhibeatur, solemni benedictione consecrandum est. Consecrant autem oleum istud in Ecclesia latina tantum Episcopi (*a*), idque ex recepta disciplina feria quinta in Cœna Domini, qua etiam sanctum chrisma & oleum catechumenorum consecrantur. Sed apud Græcos Presbyteri ipsi ad ungendos ægrotos acciti ante Sacramenti administrationem oleum benedicunt, idque ex euchologio constat; nec Græcorum morem Ecclesia latina unquam improbavit. Consecrant quidem Episcopi Græcorum feria quinta in Cœna Domini oleum sanctum, at oleum istud ad ungendos infirmos non asservatur, sed statim ad ungendos sanos: qui ad sacram synaxim accedunt, usurpatur: sic enim fert Græcorum disciplina, ut feria quinta sanctioris hebdomadis ad sacram synaxim accesuri ante in pœnitentiam oleo benedicto ungantur (*b*). Quapropter Tridentini Patres dum statuunt, materiam Extremæ Unctionis esse oleum ab Episcopo benedictum, dubio procul Ecclesiæ latinæ spectarunt consuetudinem. Benedictio autem ista olei ad Sacramenti naturam non pertinet, sed Ecclesiæ auctoritate addicta est, ut eo magis de ejus virtute constaret (*c*).

Quænam corporis partes ungantur.

§. IV. Consecrato oleo infirmum inungi oportet: *ungentes eum oleo*: quæ unctio theologis *materia proxima* dicitur. Quas autem corporis partes inungi oporteat, Jacobus non expressit: nec ea de re quidquam habent antiqui Patres, quamvis alias infirmos oleo inungi consuevisse testentur (*d*). Apud Latinos sexto sæculo tantum pectus videtur inunctum: refert enim auctor vitæ S. Eugendi, Eugendum Presbytero, cui munus ungendi infirmos commiserat, mandasse, *ut sibi pectusculum, ut moris est*, inungeret (*e*). Inde plures corporis partes apud Latinos cœperunt inungi, quod ex Sacramentariis & Ritualibus libris constat: sed non omnes Ecclesiæ inter se conspirabant: aliæ enim plures, aliæ pauciores, nec omnes semper easdem partes ungebant. Et quoniam per unctionem Jacobæam etiam corporis sanitas promissa est, hinc in aliquibus Ecclesiis etiam pars male præ reliquis affecta inungi consuevit, quod aperte jubet codex Tilianus apud Menardum (*f*). Apud Græcos unguntur frons, mentum, genæ, pectus, manus & pedes (*g*). Et ex præsenti Ecclesiæ latinæ disciplina unguntur quinque sensuum organa & præte-

(*a*) Innocent. I. ep. cit. Conc. Cabilon. II. Can. XLVIII.
(*b*) Conf. Goar. not. ad Ritual. Græcor.
(*c*) Conf. Sambov. de Sacram. Extr. Unct. diss. III. art. 1.
(*d*) Launojus de Sacram. Unct infirm. ubi de partibus ungendis cap. 2. obs. 1.
(*e*) Conf. Mabillon. præf in I. sæcul. Benedict. n. 97.
(*f*) Menardus not. in Sacrament. Gregorii M. p. 340.
(*g*) Arcadius lib. 5. de Extrema Unctione cap. 7.

terea renes & pedes: sed renum unctio in feminis ob honestatem semper omittitur, omittiturque etiam in maribus, ubi præ infirmitate commode moveri non possunt. Singulæ autem partes sub signo crucis unguntur, quod in omnibus sacris cæremoniis ex antiqua disciplina servatur. Cæterum plurium partium unctio ad vim Sacramenti non videtur pertinere, quod meliores theologi docent (*a*). Et ubi proxima mors est, sufficit unam corporis principem partem sub generali formula inungere.

Forma Extrêmæ Unctionis.

§. V. Partium unctionem formula verborum committatur, quæ olearem istam unctionem religiosam & sacramentalem facit. Formula ista in precibus ad Deum fusis consistit, quibus peccatorum remissio & infirmi allevatio peti consueverunt. Sane super infirmos orandum Jacobus edixit. Quoniam vero quibus verbis orare oporteret, non expressit, non omnes Ecclesiæ iisdem orationibus usæ sunt, aut etiam nunc utuntur, etsi variæ istæ orationes in eandem sententiam conveniant. Formula Græcorum continetur in euchologio, incipitque πάτερ ἅγιε ἰατρὲ τῶν ψυχῶν, *Pater sancte medice animarum*, in qua præter Deum plures etiam Sancti invocantur. Sed latina Ecclesia in præsenti disciplina sub hac formula partes inungit, *per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (& ita porro in aliis membris) *deliquisti, amen.* Atque hisce verbis contineri formam Extremæ Unctionis, & Eugenius IV. & Tridentini Patres docent (*b*). Interest vero præcipue hac in re Græcos inter & Latinos, quod illi precibus ad Deum fusis & spirituale gratiæ auxilium & corporis sanitatem infirmis adprecantur, isti vero solam peccatorum remissionem, nihilque de salute corporis habent. Sed satis est in formula exprimi præcipuum effectum, qui semper inducitur à Sacramento, nisi ex parte recipientis defectus sit, qualis est remissio peccatorum; corporis enim sanitas veluti secundarius Extremæ Unctionis effectus est, qua de re inferius.

Quibus verbis apud Latinos olim data Extrema Unctio.

§. VI. Verum enimvero concepta precum formula, qua in latina Ecclesia infirmi unguntur, non adeo antiqua est. Sæculo sexto super infirmis recitabantur quidem plures preces, quibus & corporis & animæ medicina à Deo postulabatur; at harum precum nulla unctionem designabat, idque constat ex S. Gregorii Sacramentario, quod Grimoldus Abbas sub Ludovico Pio creditur emendasse. Lapsu temporis, retentis orationibus, verba addita sunt, quibus unctiones exprimerentur: erantque verba ista indicativa, veluti *inungo te oleo sanc-*

(*a*) Juenin. de Sacram. diss. VII. q. 3. cap. 2.
(*b*) Eugen. IV. in Decreto, Trid. sess. XIV. de Extrem. Unct. cap. 1.

sancto, aut similia, quod Hugo Menardus & Joannes Launojus (a) fuse demonstrant. Quoniam vero incongruum fortasse videbatur, indicativa verba usurpari, ubi orandum erat, forte sæculo X. formulæ unctionum indicativæ addi cœperunt preces, & ita mista quadam formula in multis Ecclesiis unctiones fiebant (b). Sed sæculo XII. indicativa unctionum verba sensim omitti cœperunt (c), fortasse quod minus propriæ ad orandum viderentur, & tandem tota ungendi formula precibus coaluit, iis ferme verbis concepta, quibus modo pronunciatur. Quæ quum ita sint, videtur constare apud Latinos initio preces, quibus corporis & animæ medicina postulabatur, formam unctionis infirmorum constituisse; verba vero sive indicativa sive deprecativa inter ungendum recitata addita fuisse ad expressiorem ritus explicationem. Scholastici interea de præcisis materiis & formis Sacramentorum solliciti, quas ex placitis Aristotelicæ philosophiæ expendebant, unctionum verba, ut magis materiæ adhærentia, veluti formam Extremæ Unctionis docuerunt: quæ sententia omnium calculis probata, inde ab Eugenio IV. & Concilio Tridentino recepta est. At, inquies, ita forma unctionis infirmorum mutata est. Si quæ mutatio facta est, tota in verbis, non re ipsa consistit: etenim de essentia hujus Sacramenti tantum est, ut precibus à Deo petatur, quod Jacobus petendum edixit: & quando Jacobus preces non expressit, pendet ab arbitrio Ecclesiæ statuere, quibus id fiat.

Ministri Extremæ Unctionis Presbyteri.

§. VII. Jam vero unctionis infirmorum Ministri soli Presbyteri sunt, quod ex jure divino descendit; ait enim Jacobus, si quis infirmatur *inducat Presbyteros Ecclesiæ*. Presbyteri autem Ecclesiæ non sunt fideles ætate seniores, sed veri nominis Sacerdotes: ut enim bene observat Estius (d), in novi Testamenti libris nomine *Presbyterorum*, ubicunque de Ecclesiæ ministerio agitur, tantum significantur, qui ad episcopalem aut sacerdotalem functionem sacra ordinatione promoti sunt. Et inde constanti traditione semper in Ecclesia receptum fuit, olei sancti Ministros tantum veros Presbyteros esse (e). Hinc merito Tridentini Patres anathema dixerunt Lutheranis & Calvinianis, qui unctionis Jacobææ Ministros fideles ætate seniores fuisse contendunt (f). Nec obstat Innocentius I. dum asserit (g), oleo sancto *ab Episcopo confecto non solum Sacerdotibus, sed*

(a) Menard. not. in Sacram. S. Gregorii, Launojus ubi de forma unctionis infirmorum.
(b) Albertus M. in 4. Sentent. dist. XXIII. art. 4.
(c) S. Bonav. in 4. Sentent. dist. XXIII. art. 1. quæst. 4., S. Thomas in Supplem. quæst. 29. art. 8.
(d) Estius in ep. can. Jacobi.
(e) Confer. Sambov. de Sacram. Extrem. Unct. disp. 6. art. 4.
(f) Trid. sess. XIV. Can. IV. de Extrem. Unct.
(g) Innocent. I. ep. ad Decent. cap. 8.

sed omnibus uti christianis licere in sua aut suorum infirmitate inungendo. Nam usus olei, qui in necessitate fidelibus omnibus ab Innocentio permittitur, mera cæremonia videtur fuisse ex pietate profecta, non veri nominis Sacramentum, quod Sacerdotum oratio tantum perficit. Scilicet tanta olim fuit christianorum religio, ut elementa ad Sacramentorum usum consecrata etiam extra Sacramentum in necessitatibus usurparent: quod de aqua Baptismi in multis Ecclesiis etiam hodie christiani facere solent.

Plures Presbyteri ad ægrotos ungendos adhibiti.

§. VIII. Quoniam vero ad infirmorum olearem unctionem plures Presbyteros Jacobus edicit advocandos, hinc non unus sed plures Ministri ad conficiendum hoc Sacramentum videntur adhibendi. Et quidem apud Græcos ex antiquis moribus septem Presbyteri, aut saltem tres, ubi septem non inveniuntur; oleum sanctum administrant (a). Similiter veteri Latinorum disciplina etiam ad ungendos infirmos plerumque plures Presbyteri advocabantur. *Multi Sacerdotum*, inquit vetus codex Sacramentarii S. Gregorii apud Menardum (b), *infirmos perungent insuper in quinque sensus.* Et Carolus M. *oleo sancto inunctus ab Episcopis* dicitur in ejus vita, quam monachus Engolismensis conscripsit. Et ut alios mittam, Riculfus Suessionensis Episcopus constituit, *ut Presbyteri infirmos suos post confessionem & reconciliationem oleo sancto perungant.* Plures autem isti Sacerdotes in Sacramento conficiendo participabant: alibi enim unus ungebat & alter orabat; alibi singuli unus post alium easdem corporis partes ungebant, & ungentes orabant: quæ disciplina obtinet apud Græcos, quod ex eorum rituali Goarius observat (c). Administratio olei infirmorum per plures Presbyteros non tantum Jacobi verbis, verum etiam institutioni hujus Sacramenti videtur convenire, operatur enim oleum Jacobæum per fidei orationem, & quo plures simul orant, eo melior & Deo acceptior oratio habetur.

Minister Extremæ Unctionis apud Latinos.

§. IX. Verum enimvero apud Latinos mutata est disciplina, jamque à sæculo XII. ab uno Presbytero infirmi inungi cœperunt: cui innovationi causam videtur dedisse avaritia Sacerdotum, qui nisi ingenti æris pondere recepto, ungere infirmos detrectabant, quod constat ex ejus ætatis monumentis. Ita cœpit unus Presbyter adhiberi, ne pauperes tanto præsidio destituerentur. Quapropter Episcopo Carnotensi Alexander III. rescripsit, Sacerdotem uno præsente Clerico &

(a) Simeon Thessalonic. de Septem Sacramentis. Confer. Renaudotius Perpetuité de la foi lib. 5. cap. 1.
(b) Ap. Menard not. ad Sacrament. S. Gregorii pag. 253.
(c) Goarius not. in Ritual. Græcor. pag. 438.

& etiam solum infirmos ungere posse (a). Nec id Jacobo prorsus invito factum videtur: in Scripturis enim numerus pluralis sæpe singularis loco est, quod pluribus collatis exemplis Augustinus (b) observat. Et deinde in veteri disciplina S. Eugendus, S. Wolphelmus, Herebertus Coloniensis aliique ab uno Presbytero inuncti sunt (c): quod indicat, veteres Latinos non credidisse officium unctionis infirmorum necessario à pluribus Presbyteris perfici debuisse. Sed non quivis Presbyter Extremæ Unctionis est ordinarius Minister, sed tantum Parochus, & cæteri quibus jure proprio cura animarum competit; & hinc veluti magni criminis rei in Clementina I. de privilegiis à corpore Christi abscinduntur religiosi, qui Clericis & laicis nulla habita proprii Sacerdotis venia speciali Extremam Unctionem ministrare præsumserint. Tantum de Parochi licentia, aut in necessitate, ubi Parochus absens est, Sacerdos alius recte Extremam Unctionem administrat; jura enim humana in necessitate non adstringunt. Cæterum in præsenti disciplina bene est, si Parochus oleum sanctum ministraturus, plures Presbyteros & Clericos adhibeat, quod S. Carolus monet (d): imo si totam Ecclesiam ad orandum invitet.

Infirmis datur Extrema Unctio.

§. X. Quod vero spectat ad eos, qui oleo sancto ungi possunt, ii christiani infirmi sunt, qui actualia peccata post Baptismum admiserunt. Sane infirmos ungendos Jacobus edixit: sed qualis esse debeat infirmitas, ejus verba non demonstrant, ut proinde totum hoc negotium ab Ecclesiæ regulis dependeat. Veteri Latinorum disciplina infirmi non tantum gravi morbo decumbentes, verum etiam in morbis non adeo gravibus videntur inuncti: multi enim ungebantur flexis genibus, aut sedentes; alii etiam in Ecclesiam se conferebant, aut se exportare faciebant, ut ibi majori religione oleum sanctum susciperent (e). Qui mores nunc obtinent in Ecclesia Græca, ubi etiam ob leves morbos aut initio infirmitatis ungi solent. Sed in Occidente post sæculum XII. mores sensim mutati sunt, & olei sancti datio in mortis articulum rejecta est; idque invaluisse videtur à vulgi in Anglia & Gallia ignorantia, qua credebatur, suscepta Extrema Unctione, non licere amplius matrimonio uti, nec carnes comedere, nec nudis pedibus ambulare, nec condere testamentum: hinc in ultimas vitæ angustias dilatum oleum infirmorum, ne si eo suscepto infirmi convalescerent, tantis incommodis obnoxii essent, quod Jo. Mabillonius (f) observat, & *Sacramentum exeuntium*

(a) Cap. 14. ext. de V. S.
(b) August. de Consensu Evangelist. lib. 3. cap. 16.
(c) Confer. Sambov. de Sacram. Extrem. Unct. disp. 6. art. 3.
(d) Conc. IV. Mediol. part. 2. cap. 6.
(e) Confer. Chardon. Histoire de l'Extréme-Onction. chap. 3. & Sambov. disp. 8. art. 1.
(f) Mabillon. præf. in sæcul. I. Benedict. n. 100.

tium cœpit appellari. Hæc autem absurda praxis Conciliorum decretis & ritualium regulis emendata est; jamque sic fert latinæ Ecclesiæ disciplina, ut qui laborant periculoso morbo, unde periculum mortis videtur imminere, Extrema Unctione donentur: statuunt enim Tridentini Patres, oleum sanctum *infirmis* administrari, *illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur* (a): quo decreto etiam qui graviter infirmantur, oleo sancto inungi permittuntur: idque non est à ratione alienum: prodesse enim potest oleum sanctum etiam ad corporis sanitatem, & ideo hac spirituali medicina qui graviter infirmantur, privandi non videntur.

Quibus non datur Extrema Unctio.

§. XI. Verum enimvero etsi Jacobus generatim infirmos ungendos edixerit: non tamen Ecclesia infirmis omnibus Extremam Unctionem administrare consuevit. In primis (I) juxta antiquam disciplinam nec fideles inculpatæ vitæ (b), nec publici pœnitentes ea donari solebant (c): inde sæculo VI. viri sancti inungi cœperunt, & deinceps publicæ pœnitentiæ rigore desueto etiam peccatores, qui in fine pœnitentiam petebant, uncti sunt. Non donantur quoque (II) hoc Sacramento infantes ante usum rationis (d), publici peccatores contumaces, & qui extra Ecclesiæ communionem moriuntur. Amentes quoque (III), qui ab ipsa nativitate mentis compotes nunquam fuerunt, ungendi non sunt; bene vero amentes & furiosi, qui dum integræ mentis essent, aut hoc Sacramentum petierint, aut signa pietatis & doloris dederint, nisi tantus sit furor, ut contra Sacramenti religionem aliquid infirmus operari timeatur. Carent etiam (IV) Extrema Unctione morti proximi, sed ob aliam ab infirmitate causam, ut capite damnati & ad prælium procincti (e): tales enim invito Jacobo ungerentur. Multo minus (V) oleo Jacobæo liniri possunt sani & benevalentes. Et si Græci & reliqui orientales etiam sanos oleo infirmorum inungant, mera hæc cæremonia est, non Sacramentum; testatur enim Renaudotius (f) vir in ritibus orientalium peritissimus, Presbyteros orientales tantum super ægrotos orationes, quibus oleum sanctum administrari solet, recitare, non vere super sanos: invaluitque praxis ista ex pia religione, qua ex veteri sententia creditum est, elementa ad Sacramentorum usum consecrata etiam extra Sacramentum auxilio esse posse.

Es-

(a) Trid. sess. XIV. de Extr. Unct. cap. 3.
(b) Conf. Launojus ubi de Statu & ætate infirmorum cap. 3.
(c) Innoc. I. ep. ad Decentium cap. 8.
(d) Conf. Benedict. XIV. de Synodo diœcesana lib. 7. cap. 21.
(e) Conc. Mediolanense IV. tit. 6.
(f) Renaudot. Perpetuité de la foi lib. 3. cap. 3.

Effectus Unctionis infirmorum.

§. XII. Res autem, quam unctio infirmorum producit, Spiritus sancti gratia est, qua infirmi interius inuncti plures & salutares effectus, quos Jacobus & ex eo Tridentini Patres (*a*) recensent, consequuntur. In primis (I) oleum sanctum abstersis peccatorum reliquiis, quæ sunt inclinatio ad malum & torpor & debilitas ad bona opera facienda & cælestia cogitanda, infirmos elevat (ἐγερεῖ *eriget* habet Græcus textus, *allevabit* vero nonnulli codices), & in iis magnam divinæ misericordiæ fiduciam excitat, qua recreati æquo animo morbi incommoda ferant, & dæmonum tentationibus alacrius resistant. Et in hoc summa Dei erga nos benignitas elucet, instituto peculiari Sacramento ad infirmos erigendos, ubi maxime præsenti & forti auxilio opus erat, ad morbi molestias superandas, & cælestia appetenda. Porro (II) oleum sanctum, si quæ supersunt adhuc, peccata dimittit, in primis venialia, & per consequentiam etiam mortalia, si qua forte commissa sunt post susceptam in infirmitate absolutionem, præsertim ubi ea commisisse infirmus ignorat, aut confiteri non valet (*b*). Et demum (III) Extrema Unctio ipsam corporis sanitatem restituit, si id spirituali infirmorum saluti expedire Deo visum fuerit (*c*). Hinc omnes libri rituales habent orationes, quibus & peccatorum remissio & corporis sanitas à Deo postulantur. Et Concilium Cabilonense II. an. IↃCCCXIII. infirmorum unctionem medicinam appellat, *quæ animæ corporisque medetur languoribus* (*d*). Cæterum corporea salus veluti secundarius Extremæ Unctionis effectus est: Sacramenta enim directo animæ salutem spectant, quod Augustinus recte observat (*e*). Quod si Jacobus inter olei effectus primum locum corporis sanitati tribuat, id non facit, ut ista præcipuus hujus Sacramenti effectus sit: nam stilo Scripturarum non semper primo loco potiora referuntur, quod pluribus productis locis Sambovius probat (*f*).

Dispositio ad Extremam Unctionem.

§. XIII. Quo autem oleum sanctum recte suscipiatur & effectus producat suos, apti & dispositi ad gratiam infirmi sint oportet. In primis (I) requiritur, ut suscipiens sit corde contritus & à peccatis absolutus; est enim infirmorum unctio pœnitentiæ complementum. Ipsi infirmi (II) sibi dari oleum sanctum petere debent, nec Sacerdotes unctionem possunt ministrare, nisi ab ægroto aut ejus custodibus vocentur: quæ est antiqua Ecclesiæ disciplina ab Jacobi verbis deducta, *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ* (*a*). Quod si præ morbi acerbitate unctionem petere infirmis non liceat, etiam potest administrari, modo bene & religiose vixerint, aut si male, saltem dum mente constabant, doloris & conversionis signa dederint. Præditi etiam (III) fide viva sint oportet infirmi, & summa obtinendæ salutis fiducia, utpote qui per fidei orationem eriguntur. Et demum (IV) bene est, ut adhuc integris sensibus, nec adeo fractis viribus infirmi ungantur: sic enim majori religione ad gratiam disponuntur, & sanitas corporis facilius restituitur: oleum namque sanctum non per miraculum sanitatem operatur, sed virtute ordinaria supernaturali, quæ causas naturales adjuvat. Ita expectandæ non sunt extremæ vitæ angustiæ, ubi funus potius inungi videtur, & sine grandi & manifesto miraculo infirmi non sanantur.

(*a*) Trid. sess. XIV. de Extrem. Unct. cap. 2.
(*b*) Conf. N. Alexander Theol. dogm. & mor. lib. 2. de Extrem. Unct. cap. 2.
(*c*) Conf. S. Thom. in 4. Sentent. dist. 23. q. 1. art. 2.
(*d*) Conc. Cabilon. II. Can. XLVIII.
(*e*) Aug. Enchirid. cap. LXVI.
(*f*) Conf. Sambov. de Sacram. Extrem. Unct. disp. 2. art. 2.

Extrema Unctio complementum pœnitentiæ.

§. XIV. Quando autem per infirmorum unctionem si quæ habeant infirmi, peccata dimittuntur, & eorum reliquiæ absterguntur, recte Ecclesia hoc Sacramentum veluti Pœnitentiæ, & totius christianæ vitæ, quæ continua pœnitentia esse debet, perfectionem & consummationem æstimavit (*b*). *Unctio infirmorum*, inquit Ivo Carnotensis (*c*), *publicæ pœnitentiæ Sacramentum est.* Hinc in multis Ecclesiis Occidentis infirmi ante unctionem & viaticum cilicium induebant, & signo crucis ex cinere supra pectus signabantur; quæ duo in datione publicæ pœnitentiæ solemnia erant: eaque diu Extrema Unctio retinuit, etiam ubi post Eucharistiam administrari consuevit, quod Launojus pluribus persequitur (*d*). Imo apud Græcos feria quinta sanctioris hebdomadis & aliis diebus etiam sani in pœnitentiam & peccatorum expiationem oleo sancto ungi solent. Et ex hac doctrina, quæ infirmorum unctionem publicæ pœnitentiæ perfectionem reputabat, in Britannia præsertim & Gallia videntur sæculo XIII. absurdæ consuetudines invaluisse, quibus oleo sancto suscepto nefas putabatur, infirmos sanitati restitutos deinceps uxoribus suis uti, carnes comedere, nudis pedibus ambulare, & testamentum condere (*e*). Etenim publica pœnitentia in Occidente semel suscepta perpetuo negotiis sæcularibus & matrimonii usu interdicebat. In plerisque Ecclesiis nullus hac ætate in ungendis ægrotis est cilicii & cineris usus: at ex Ecclesiæ sententia etiam hodie Extrema Unctio consummatio pœnitentiæ reputatur.

Ex-

(*a*) Conf. Launojus ubi de petitione Sacram. Unctionis infirm.
(*b*) Trid. sess. XIV. de Sacram. Extrem. Unction.
(*c*) Ivo Carnotens. ep. CCLV.
(*d*) Launojus de Sacram. Unct. infirm.
(*e*) Conf. Espen. part. 2. tit. 8. cap. 2. n. 16. & seqq.

Extrema Unctio olim data ante Eucharistiam.

§. XV. In veteri disciplina plerumque ante Eucharistiæ viaticum unctio infirmorum dari solebat. Erat profecto pœnitentiæ perfectio & complementum, atque ita sanctæ Eucharistiæ præmitti debebat. Sane in veteri Sacramentario S. Gregorii post peractam infirmorum unctionem dicitur, *deinde communicet* (infirmus) *cum corpore & sanguine Domini* (*a*). Et Theodorus Cantuariensis ita de infirmis fatur (*b*), *sacra unctione uncti communione viatici reficiuntur.* Similiter Hincmarus Remensis (*c*), *si ipse Presbyter visitet infirmos, & inungat oleo sancto & communicet per se.* Sexcenta alia in eandem sententiam prostant monumenta, quæ Launojus & Grancolasius exhibent (*d*). Cæterum etiam olim in aliquibus Ecclesiis post Eucharistiam infirmi uncti sunt: quod Chardonius (*e*) probat; at receptior disciplina in contrarium erat. Generatim usque ad sæculum XIII. ante Eucharistiam unctio infirmorum data est, at inde sensim mores mutati sunt, eoque tandem deventum, ut exceptis Monachis Cisterciensibus & fortasse paucis aliis Ecclesiis ubique in Occidente infirmi post susceptam Eucharistiam olei Sacramento liniantur. Ipsa vox *Extrema Unctio*, quæ quorundam è schola theologorum animis ultimum Sacramentum objecit, quando unctionum ultimam significabat; & dilata usque ad extremas vitæ angustias olei sancti administratio, præcipuæ videntur fuisse causæ, ut post Eucharistiam infirmi Extremam Unctionem susciperent; nec enim dignum videbatur infirmis omni sensu & ratione destitutis dare Eucharistiam. Cæterum moribus præsentibus ubi infirmorum aliqui veteris disciplinæ non ignari petant, se ante Eucharistiæ viaticum oleo sancto liniri, tantæ religioni videtur annuendum, modo inde fideles non offendantur: etenim etiam hodie ex Ecclesiæ mente pœnitentiæ pars est Extrema Unctio: exemploque esse possunt Christianus Lupus & Franciscus Feruacquius, viri de ecclesiasticis antiquitatibus bene meriti, qui ante viaticum inungi petierunt & impetrarunt (*f*).

Necessitas Extremæ Unctionis.

§. XVI. Quum Extrema Unctio non solum infirmos erigat & peccata dimittat; verum etiam, ubi Deo placuerit, sanitatem restituat, nemo profecto qui ejus capax est eam debet omittere, quin potius eniti tenetur, ut fortis & armatus contra diaboli insidias in patriam discedat. Interim justi, qui tantum venialium peccatorum sibi conscii sunt, nullo divino præcepto, quod per se obliget, videntur ad Extremam Unctionem adstringi, quod Estius & Sambovius (*a*) recte docent. Etenim verba Jacobi verum præceptum non videntur continere; & deinde veteris Ecclesiæ usus, quo justis Extrema Unctio non dabatur, nullum esse divinum præceptum videtur ostendere. *Per se*, inquam, justi ad suscipiendam Extremam Unctionem non tenentur; at ubi graves tentationes eos in exitu premant, contrarium videtur dicendum: quilibet nempe divino præcepto peccandi occasiones vitare tenetur. Sed qui sibi peccatorum mortalium, de quibus nequeunt confiteri, conscii sunt, illi necessitate divini præcepti Extremam Unctionem suscipere tenentur. Cæterum præcepto Ecclesiæ etiam justi in infirmitatibus oleo sancto inungi debent: & certe non videtur audiendus Sambovius (*b*), qui nullum extare præceptum ecclesiasticum docet, quod ad istud Sacramentum recipiendum omnes adstringat, etsi, inquit, *leges privatarum Ecclesiarum ad id obstrinxerint quosdam de Ecclesia.* Certe si non aliud extaret præceptum, id habent omnes Ecclesiarum mores, ut Extrema Unctio infirmis detur: & parum interest, utrum leges rebus ipsis & factis, an suffragio condantur, quod Julianus jurisconsultus recte observat (*c*).

Unctio infirmorum repeti potest.

§. XVII. Infirmorum oleum semel susceptum ab eodem iterum iterumque suscipi potest. Utrum primis sæculis iterari soleret hoc Sacramentum, non constat: verba quidem faciunt vetusti scriptores de infirmorum oleo, at de ejus iteratione vel unica susceptione nihil habent, quod Launojus observat. Sæculo autem XI. disputatum est, utrum oleum infirmorum semel datum iterum eidem dari posset. Ivo Carnotensis & Goffridus Abbas Vindociensis aliique tenebant (*d*), semel oleo Jacobeo perunctos iterum deinceps ungi non posse, idque his duabus præsertim rationibus, quod unctio publicæ pœnitentiæ Sacramentum est; & publica pœnitentia non iterabatur; & quod reliquæ unctiones divino vel ecclesiastico jure inductæ semel dabantur. Sed alii in primis Alanus Porretanus & Petrus Lombardus (*e*). Extremam Unctionem iterari posse docebant, tum quia Sacramentum Pœnitentiæ iteratur, tum etiam quod morbo redeunte iterum exhibenda erat medicina. Quæ sententia tandem prævaluit, præsertim quando in contrarium rationes non adeo magni momenti erant. Ab unitate publicæ pœnitentiæ ad Extremæ Unctionis unitatem argumentum vix valebat; poterat enim Ecclesia semel

(*a*) Sacram. S. Gregorii ap. Menardum.
(*b*) Theodor. Cantuariens. in Pœnitentiali.
(*c*) Hincm. Remens. cap. 10.
(*d*) Launojus de Sacr. Unct. infirm. & Grancolas. l'Ancien Sacramentaire part. 2. p. 252. & seqq.
(*e*) Chardon. Histoire de l'Extréme-Onction chap. 3.
(*f*) Espen. part. 2. tit. 8. cap. 2. n. 29.

(*a*) Sambov. de Sacram. Extr. Unct. disp. 7. art. 3. prop. 3.
(*b*) Sambov. loc. cit. prop. 4.
(*c*) L. 32. §. 1. de Legibus.
(*d*) Ivo Carnotens. ep. CCLV., Goffrid. lib. 2. ep. XIX.
(*e*) Alan. de Maximis theol. n. 113., Lombard. lib. 4. dist. 25.

mel dare pœnitentiam, pluries vero Extremam Unctionem: præsertim quando unitas pœnitentiæ rigore disciplinæ nitebatur. Et deinde reliquæ unctiones non repetebantur, quod effectum perennem producebant, qualis non est Extrema Unctio. Itaque statuerunt Tridentini Patres, infirmos, *qui post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti præsidio juvari posse, quum in aliud simile vitæ discrimen inciderint* (*a*). Quo decreto nihil videtur definitum, utrum infirmi iterum ungi possint, ubi morbus remittitur, & inde denuo ingravescit; pendetque hoc casu à peculiaribus Ecclesiarum moribus & regulis iteratio Sacramenti.

Locus dandæ Extremæ Unctionis.

§. XVIII. Locus autem, ubi dari solet Extrema Unctio, in Ecclesia Latina lectus est, in quo infirmi decumbunt: quo eodem in loco in gravioribus infirmitatibus apud Græcos administratur. Porro apud Græcos ex plebe multi ægroti aliorum manibus & ope ad Ecclesiam se deferri curant, ibique sæpe plurium dierum spatio in catechumenis jacent, morantur, pernoctant, & tandem unctione sibi remedium exposcunt, quod Goarius testatur (*b*). Etiam apud Latinos olim infirmorum aliqui in Ecclesia oleum sanctum recipiebant, quo vel ipsi adhuc viribus valentes se conferebant, vel aliorum ope se deferri curabant (*c*). Et decebat quidem in domo orationis, quando potis erat, ut Sacramentum quod per orationem operatur, daretur. Sed inde quum apud Latinos invaluisset, in extremis vitæ angustiis infirmos inungi, desierunt infirmi ad Ecclesiam deferri, ne funus potius dici videretur. Apud Cluniacenses peculiaris lectulus ad hanc cæremoniam erat in terram demissus, ut fratres undique possent circumstare. Et in aliquibus Latinis Ecclesiis & monasteriis post datam unctionem & viaticum etiam lecto trahebatur infirmus, & in distento super terram cilicio cineribus consperso collocabatur, quod ex pontificalibus libris Launojus observat, ut ita in pœnitentia infirmus vitam finiret.

Extremam Unctionem proxime exciperet de sacris ordinationibus tractatus; sed quidquid ejus rei est parte I. abunde explicuimus.

CA-

(*a*) Trid. sess. XIV. de Extr. Unct. cap. 3.
(*b*) Goarius in Rituale Græcor.
(*c*) Conf. Sambov. de Sacram. Extr. Unct. disp. 8. art. 1. & Chardon. Histoire de l' Extrême-Onction chap. 3.

CAPUT XXVI.

De sponsalibus.

Definitio sponsaliorum

§. I. Sponsalia antiquis Romanorum & aliarum gentium moribus, quos christiani retinuerunt, nuptiis præmitti solent, idque ut cautius & ordinatius matrimonium ineatur, & christiani ad Sacramenti gratiam se disponant. Sunt sponsalia proprie sic dicta *futurarum nuptiarum promissio*, ut Nicolaus I. definivit (*a*), seu, ut habet Florentinus jurisconsultus, *mentio & repromissio futurarum nuptiarum* (*b*). Dicta autem sunt Romanis sponsalia à spondendo, quia moris fuit veteribus *stipulari & spondere sibi uxores futuras*, quod Ulpianus (*c*) testatur, extantque passim apud comicos talium stipulationum exempla, quæ Brissonius (*d*) collegit. Hinc à sponsione, quæ interrogationi respondebat, *sponsaliorum*, ut & *sponsi* & *sponsæ* appellationes ortæ sunt. Temporis lapsu solemnitas stipulationis in sponsalibus apud Romanos parum frequentata est (fortasse quod ex sponsu nullam dabant actionem), atque ita, antiquis nominibus retentis, ea passim solo consensu contracta sunt, quod jus exhibent jurisconsulti, quorum fragmenta in digestis prostant (*e*). Inde receptum inter absentes per nuntium, aut epistolam sponsalia contrahi (*f*). Cui juri adhæsit Ecclesia, quæ semper docuit, etiam mero consensu perfici sponsalia.

Sponsalia de præsenti & de futuro.

§. II. Unius generis sponsalia, quæ futurarum nuptiarum pactionem continerent, Romani agnoverunt: idque pluribus probat Boehmerus (*g*) contra Henricum de Coccei, Ulricum Huberum aliosque, qui, etsi non eadem ratione, sponsalia de præsenti apud Romanos obtinuisse sentiunt. At apud scholasticos & canonistas sponsalia vel sunt *de futuro*, vel *de præsenti*, quorum illa sunt futurarum nuptiarum promissio, hæc vero in præsens matrimonium consensus, ac proinde sunt ipsum matrimonium ratum, quod appellant. Inducta videtur distinctio ista ab antiquis scholasticis & canonistis, ut ambiguitatem, quæ in vocibus *sponsaliorum & sponsorum* in antiquis monumentis occurrebat, evaderent. Scilicet in fragmentis

Pa-

(*a*) Can. III. cap. 30. q. 5.
(*b*) L. 1. D. de Sponsal.
(*c*) L. 2. D. eod.
(*d*) Brisson. de Rit. nuptiar.
(*e*) L. 4. 7. & 11. eod.
(*f*) L. 4. §. 1. & l. 5. & 18. eod.
(*g*) Boehm. Jur. eccles. lib. 4. tit. 1. §. 3. & seqq.

Patrum *sponsaliorum* & *nuptiarum*, item *sponsorum* & *conjugum* voces confunduntur & alternant (*a*). Quæ loquendi ratio ex usu Scripturarum profecta est. *Recordare consuetudinis Scripturarum*, inquit Hieronymus (*b*), *quod sponsi viri, & sponsæ vocentur uxores.* Hinc in ecclesiasticis monumentis sive genuinis, sive supposititiis, sæpe desponsationi vis matrimonii tribuitur (*c*), modo sponsalia & matrimonium tanquam diversa proponuntur (*d*). At tollendam igitur vocum ambiguitatem & concordiam veterum monumentorum scholastici in sæculo distinctionibus assueto sponsalia aut de præsenti, aut de futuro esse dixerunt; atque ita ubi Patres desponsationi effectus veri matrimonii tribuere videntur, id de sponsalibus de præsenti; ubi vero negant sponsalia esse matrimonium, de sponsalibus de futuro interpretati sunt. Inventæ distinctioni vim addiderunt Pontifices, qui in responsis suis desponsationem præsentem à futura distinguunt (*e*). Interim jure Concilii Tridentini nulla amplius videntur esse sponsalia de præsenti: etenim eo jure non admittuntur matrimonia clandestina, & ubi sponsi coram Parocho seu alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus in nuptias præsentes consentiunt, matrimonium, non sponsalia de præsente dicimus.

Qualitates consensus sponsalitii.

§. III. Consensus autem, quo sponsalia contrahuntur, utrinque per verba aut alia manifesta signa exprimi debet, & quidem ex certa scientia & libera voluntate. Omnia humana negotia ex certa scientia, & libertate proficisci debent: at in sponsalibus & matrimoniis, quæ animos potius quam corpora consociant, clariori scientia & majori libertate opus est. Quapropter vitiantur sponsalia, nulliusque effectus sunt, errore interveniente circa ea, quæ ad sponsaliorum essentiam pertinent; veluti si in persona contrahentium erratum sit, aut si ad matrimonium habilis putetur, qui re vera inhabilis est: & vi injusta metuque, qui, ut dici solet, *in constantem virum cadit*, etiamsi à tertio illatus fuerit (*f*), & juramentum accesserit (*g*), modo vis in finem contrahendi sponsalia facta sit (*h*). Sane qui errant circa sponsaliorum naturam, consentire non intelliguntur. Et quamvis qui coacti agunt, etiam consentiant: tamen quia liber consensus, qualem sponsalia requirunt, deficit, & præterea quia cogenti jus non est alterius promissionem acceptare, per vim contracta sponsalia nullam vim habent. Et hinc jure Romano cautum est, ut feminæ, quæ cum

(*a*) Can. VI. IX. & XII. cap. 27. q. 2.
(*b*) Hieronym. in Matth. cap. 1.
(*c*) Can. XI. XIV. & XV. eod.
(*d*) Can. XVIII. XXXIV. & XXXIX. eod.
(*e*) Cap. 11. ext. de Præsumpt., cap. 22. ext. de Sponsalib.
(*f*) Cap. 11. ext. de Desponsat. impub.
(*g*) Cap. 2. ext. De eo, qui duxit in matrim.
(*h*) Conf. Gonzalez cap. 15. ext. de Sponsal. n. 4.

cum magistratibus provinciarum eorum imperio sponsalia contraxerant, finito imperii anno à fide data possent resilire: quod feminæ tanta sponsi potestate perculsæ non omnino sponte pactionem de futuro conjugio fecisse viderentur (*a*). Cæterum sponsalia errore, dolo, metuve nulla inde possunt convalescere, si errore, dolove detecto, metuve deposito rata habeantur.

Sponsalia sub conditione.

§. IV. Quemadmodum vero cæteri contractus, ita etiam sponsalia sub conditione contrahi possunt, titulusque ea de re in Decretalibus prostat. Conditiones, quæ negotiis adjiciuntur, vel *possibiles* & *honestæ* sunt, vel *impossibiles* & *turpes*. Certi juris est, sponsalibus, non secus ac cæteris negotiis, conditiones possibiles & honestas adjici posse, veluti si tantum pecuniæ dotis nomine intuleris (*b*), vel si pater, aut avus, aut alius sponsalibus consenserit (*c*). Quoniam vero conditiones ab incerto eventu negotia, quibus adjiciuntur, suspendunt, hinc sub talibus conditionibus inita sponsalia, non aliam obligationem inducunt, quam ut eventus conditionis expectetur (*d*); interim vero sponsi ad nuptias celebrandas non tenentur. Impleta vero conditione sponsalia pura fiunt, & ad nuptias contrahendas obligare incipiunt: quæ eadem obligatio eis accedit, ubi ille, in cujus gratiam conditio adjecta est, eam expresse vel factis ipsis remittat (*e*). Verum si sponsalibus conditiones impossibiles adjiciantur, ea nulla sunt ex defectu consensus (*f*): qui enim sub impossibilibus conditionibus paciscuntur, non censentur consentire (*g*): idemque jus est de conditionibus turpibus, quæ per legem etiam reputantur impossibiles. *Quæ facta*, inquit graviter Papinianus (*h*), *lædunt pietatem, existimationem & verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.*

Qui sponsalia contrahunt.

§. V. Quoniam vero sponsalia per consensum in futuras nuptias contrahuntur, recte ea contrahunt omnes, qui in futuras nuptias possunt consentire. Hinc sponsalia contrahere vetantur furiosi, mentecapti, infantes (*i*): nec porro rata sunt sponsalia eorum, qui nuptias inter se contrahere vetantur (*k*), veluti inter proximos cognatos

(*a*) L. 1. C. Theod. Si provinciæ rector.
(*b*) Cap. 3. ext. de Conditionib. adposit.
(*c*) Cap. 5. ext. eod.
(*d*) Cap. 3. V. ext. de Condit. adposit.
(*e*) Cap. 6. ext. eod.
(*f*) Conf. Zoesius in tit. Decretal. de Conditionib. adposit. n. 22.
(*g*) L. 31. D. de O. & A.
(*h*) L. 15. D. de Conditionib. instit.
(*i*) L. 8. & 14. §. 9. D. de Sponsalib.
(*k*) L. 15. & seqq. eod.

tos & affines. Contra impuberes sive patres sive filiifamilias, quod in futuras nuptias possunt consentire, & Romanis legibus & sacris Canonibus sponsalia recte contrahunt, modo sint infantia majores, hoc est si septem annis minores non sint (*a*): hac enim ætate ex sententia Stoicorum, quam jurisconsulti & inde Pontifices suam fecerunt, homines incipiunt intelligere. Ita ætas sponsalibus necessaria non lege, sed natura potius definitur. Quoniam vero lubricum & fragile est impuberum consilium, adveniente pubertate à sponsalibus possunt resilire (*b*): atque adeo si pubes cum impubere sponsalia contrahat, non æquo jure utrinque consistunt; pubes enim à fide data non potest resilire, bene vero impubes (*c*). Ut vero rata legitima sint sponsalia filiorumfamilias, parentes etiam debent consentire, aut saltem non dissentire, quod & naturæ redolet honestatem, & utroque jure consecratum est (*d*). Et bene habet, quod plerique theologorum tenent, & late Franciscus Muscettula & doctissimus Mazochius probant, nulla esse etiam jure canonico sponsalia à filiisfamilias invitis parentibus contracta, modo isti cum ratione dissentiant (*e*). Ipsi quoque patresfamilias filiorum impuberum puberumve nomine etiam futuras nuptias paciscuntur, pactoque parentum stare tenentur filii, si expresse vel tacite consenserint (*f*): etsi jure Romano tum filia familias à patre ejus nomine sponsalia contrahenti poterat dissentire, si indignum moribus vel turpem sponsum ei pater elegisset (*g*). Quod si parentes non jure à sponsalibus filiorum dissentiant, filii contra eorum morositatem judicis auxilium implorabunt.

Sponsalium benedictio.

§. VI. Quamvis autem sponsalia nudo partium consensu contrahantur; tamen multis solemnibus & ritibus, veluti sacerdotali benedictione, osculo, arris & juramento confirmari consueverunt: quin adhibiti testes sunt & instrumenta confecta, ut ea jam contracta fuisse constaret. Et quod spectat ad sacerdotalem benedictionem, inde usque à primis sæculis mos fuit christianis matrimonium, quod contrahere intendebant, Episcopo & toti Ecclesiæ manifestare, idque ut nuptias in Domino contraherent, & ne illicitæ inter christianos conjunctiones fierent: quod Ignatius Martyr & Tertullianus (*h*) tradunt. De-

(*a*) L. 14. D. de Sponsal cap. 4. & 13. ext. de Desponsat. impuber.
(*b*) Cap. 8. ext. eod.
(*c*) Cap. 7. ext. eod.
(*d*) L. 7. §. 1. D. de Sponsalib., Conc. Carthag. IV. Can. XIII., Can. I. & III. c. 30. quæst. 5.
(*e*) Muscettula diss. de Sponsalib. & matrim. filiorumfam. dub. 4. n. 145. & seqq. Mazoch. in mantissa ad cit. Muscett. dissert.
(*f*) L. 13. D. de Sponsalib., Ivo Carnotensis ep. LXIX., cap. un. §. ult. de Sponsalib. in 6.
(*g*) L. 12. D. de Sponsalib.
(*h*) Ignat. Martyr. ep. ad Polycarp. n. 5. Tertull. de Pudic. cap. 4.

Denuntiata Ecclesiæ sponsalia Episcopi solemni benedictione confirmabant, idque aperte ex Siricio Pontifice constat, qui ex ea benedictione infert, sacrilegium esse sponsalia violari. *Illa benedictio*, sunt Siricii verba (*a*), *quam nupturæ Sacerdos imponit*, *apud fideles cujusdam sacrilegii instar est*, *si ulla transgressione violetur*. Et Augustinus teste Possidio (*b*) ex sententia Ambrosii dicebat, Sacerdotem sponsalibus christianorum vocatum interesse, *ut vel eorum jam pacta & placita firmarentur*, *vel benedicerentur*. Ex antiquis moribus sacerdotali benedictione sponsalia in Ecclesiis orientalibus adhuc confirmantur; sed in Ecclesiis latinis à multis sæculis desiit ista sponsaliorum benedictio; & hinc sponsalia juramento confirmari cœperunt, quæ disciplina sæculis XII. & sequentibus præsertim vigebat. Cæterum etsi apud Latinos non amplius usurparetur sponsaliorum benedictio, tamen in plerisque locis in loco sacro & coram Parocho contrahi solent: quod locorum Canones & rituales libri inculcant.

Sponsalitiæ largitates & annulus pronubus.

§. VII. Confirmari quoque consueverunt sponsalia muneribus, quæ ut plurimum sponsus sponsæ, raro hæc illi mittere solebat. Vocantur hujusmodi munera *donationes sponsalitiæ*, *arrhæ & pignora*, quoniam eorum datione & receptione sponsalia firmabantur, & veluti loco pignoris erant quo ad nuptias celebrandas se adstrictos sponsi demonstrarent. Inter sponsalitia pignora maxime eminebat annulus, quem tanquam mutuæ pactionis signum ac testimonium sponsus sponsæ dare consuevit, eumque à nuptiarum cæremonia *pronubum* Tertullianus (*c*) appellavit. Erat autem annulus pronubus innocens cæremonia à Romanis jam ante christianam religionem adhibita, & à Judæis quodammodo etiam probata, quod Seldenus (*d*) observat. Unus annulorum receptissimus erat apud Romanos, at non ornatus causa, sed in signandi usum, quod ex Atejo Capitone Macrobius scribit (*e*), & Brissonius (*f*) observat. Hinc annulis signa erant inscripta. Et si annuli in pactionibus loco pignoris & arrhæ dari consueverint, id factum videtur, quia annuli semper erant ad manus. Et conveniebat quidem in pignus sponsaliorum annulum dari, ut ita indicarentur custodia rei domesticæ, quæ uxori erat demandata, in quem finem claves novæ nuptæ tradi solitas Festus testatur. Sane tradit Clemens Alexandrinus dari consuevisse annulum *uxori non ornatus gratia*, *sed ut obsignaret*, *quæ domi erant* (*g*). Obsignari enim solitas arcas penuarias, ne à servis surriperentur, ex Plinio Baronius (*h*) observat. Itaque

(*a*) Siric. ep. I. ad Himer. Tarrac. cap. 4.
(*b*) Possid. vit. Aug. cap. 27.
(*c*) Tertull. Apol. cap. 6.
(*d*) Seldenus Uxor Hebr. lib. 2. cap. 14. & 15.
(*e*) Macrobius lib. 7. cap. 13.
(*f*) Brisson ad l. Juliam de Adult.
(*g*) Clemens Alexand. Pædag. lib. 3. cap. 2.
(*h*) Baron. ad an. 57.

que annuli datio signum erat futuri promissi matrimonii, ejusque datione sponsam sponsus sibi oppignorabat, eoque pignore eorum corda jungebantur. Inde christiani in annulis signum fidei, quod mutui amoris & concordiæ symbolum habebatur, insculpere solebant: & inde factum vulgo etiam ab antiquis creditum est, ut manus sinistræ digito, qui minimo vicinus est, annulus inferatur, *quia in eo vena quædam, ut fertur*, inquit Isidorus (*a*), *sanguinis ad cor usque perveniat.* Erat autem Plinii ætate ex ferro (*b*), & quidem sine gemma pronubus annulus: sed secundo Ecclesiæ sæculo jam aureus factus erat: quod ex Clemente Alexandrino & Tertulliano constat (*c*).

Osculum sponsalitium.

§. VIII. Porro sponsalia confirmari consueverunt per osculum, quod vir sibi desponsæ mulieri impingebat. Usus osculi in matrimoniis etiam apud ethnicos cognitus erat, teste Tertulliano (*d*): at potiori ratione illud in sponsalibus suis christiani usurparunt. Nempe apud christianos nihil osculo sanctius & usitatius: eo se in orationibus & sacra synaxi in signum mutuæ charitatis & fœderis complectebantur: nec aliter quam osculi impressione se invicem salutabant. Ita antiquorum christianorum ingenium, & eorundem castum amorem osculum sponsalitium redolebat. Sed non omnia sponsalia per osculum contrahebantur: distinguit enim Constantinus M. inter sponsalia per osculum, & ea quæ sine osculo contracta erant (*e*). In Occidente simul atque pristina simplicitas in malitiam degenerare cœpit, osculum sponsalitium sensim desuevit; rara enim ejus in mediorum sæculorum monumentis extant exempla (*f*). Sed in Oriente hanc osculi solemnitatem Alexius Comnenus restituit, vel potius confirmavit (*g*). Et hinc sponsalia Imperio Græco duplicis generis fuerunt; alia enim per sacras preces, osculum & arrhas firmabantur, quæ indissolubilia erant, quippe quia per osculum aliquid de virginitate delibari omnis antiquitas intellexit; alia vero non adeo strictæ erant obligationes, utpote secundum leges nudo consensu contracta: quæ duo sponsaliorum apud Græcos genera ex Balsamone (*h*) feliciter Mazochius (*i*) eruit. Perseverat adhuc in his moribus Græca Ecclesia antiquorum rituum tenacissima, ubi sponsalia indissolubilia paulo ante matrimonii celebrationem interponuntur.

Obli-

(*a*) Isidor. lib. 2. de Offic. cap. 19.
(*b*) Plinins lib. 33. Hist. natur. cap. 1.
(*c*) Clemens Alexandrin. loc. cit., Tertull. Apol. cap. 6.
(*d*) Tertull. de Veland. virginib. cap. 11.
(*e*) L. 5. C. Th. de Spons., l. 16. C. de Donat. ante nupt.
(*f*) Conf. Cangius v. Osculum.
(*g*) Ap. Mattheum Biastar. in Syntagm. alph. cap. 15.
(*h*) Balsamon. in Can. Trull. XCVIII.
(*i*) Mazoch. diatriba in Can. Illiberit. LIV.

Obligatio ex sponsalibus.

§. IX. Sponsalibus jure contractis, utrinque ex naturali ratione ad nuptias contrahendas oritur obligatio. Sed jure Romano ex sponsu actio efficax ad nuptias contrahendas non datur: nuptiis enim, quæ potius animos quam corpora debent illigare, adversari videbantur coactiones: & præterea ubi divortiorum licentia recepta erat, sponsaliorum firmitas nulla esse poterat: adeo ut *contra bonos mores* viderentur pœnæ ex conventione sponsalibus additæ (*a*). Sed apud christianos inde usque ab initio nihil sanctius fide data, ac ita sua vis sponsalibus constitit, præsertim si per osculum & sacerdotalem benedictionem contracta essent. Hinc Siricius Papa *sacrilegii instar* esse ait, desponsam puellam alteri nubere, idque quia data benedictio violetur (*b*). Itaque Illiberitani Patres triennali pœnitentiæ subjiciunt sive parentes sive sponsos, qui sponsaliorum fidem fregissent (*c*). Et Synodus Trullana adulterii crimen agnoscit, si desponsa puella alteri nubat (*d*): quod de sponsalibus osculo & arrhis firmatis accipiendum esse Balsamon tradit (*e*), & fuse Mazochius (*f*) illustrat. Ex qua christianorum disciplina christiani Imperatores quadrupli ejus, quod arrharum nomine datum erat, & inde in sponsis ætate majoribus dupli pœna sponsalium obligationem munierunt (*g*). Stat adhuc in Oriente sponsaliorum vis, quod osculum & arrhæ fidei datæ accedant: verum in Occidente ubi osculum & benedictio usurpari desierunt, adhuc multa est sponsaliorum obligatio, præsertim quando juramentum fidei datæ accessit; at certe non tanta, qua sponsis invitis nuptiæ obtrudi valeant: quæ sententia societati matrimoniali magis videtur convenire. Sane ubi sponsi fidem etiam jurejurando firmatam nolint implere, potius monentur, quam coguntur, quod Lucius III. rescripsit, & quidem ea summa ratione, quod coacta matrimonia solent malum finem habere (*h*). Et si Alexander III. etiam *ecclesiastica censura compellendum* invitum sponsum respondit ad implenda sponsalia jurejurando firmata (*i*), id ea exceptione dixit, *nisi rationabilis causa extiterit*: & in hoc negotio, ubi coactiones fini videntur adversari, vel levissima causa rationabilis videtur, quod more suo Mazochius (*k*) observat. Cæterum ubi adjuncta aliud suadent, puta si per osculum pu-

(*a*) L. 134. D. de V. O.
(*b*) Siric. Papa ep. I. ad Himer. cap. 4.
(*c*) Conc. Illiber. Can. LIV.
(*d*) Conc Trullan. Can. XCVIII.
(*e*) Balsamon in cit. Can. Trullan.
(*f*) Mazoch. diatr. in Can. LIV. Illiber. addita dissertationi Muscettulæ de Spousalib. & matrim. filiorumfam.
(*g*) L. 6. C. Th. de Sponsal., l. 5 C. de Sponsal
(*h*) Cap. 17. ext. de Sponsal. Conf. Franc. Florens in caus. 27. q. 2.
(*i*) Cap. 9. ext. eod.
(*k*) Mazoch. not. 34. in Muscettul.

pudicitia delibata sit, vel si sponsa deflorata, omnino ad nuptias sponsus cogi debet, pertinetque profecto ad magistratus officium, vi armata refractarios ad nuptias compellere.

Quî sponsalia dissolvuntur.

§. X. Pluribus autem modis sponsalia, quantumvis rite contracta, dissolvuntur; nec enim indissolubili vinculo adstringunt, quemadmodum matrimonium. In primis dissolvuntur mutuo partium consensu, etiamsi jurejurandi religione contracta sint, quia jusjurandum ipsam naturam contractus non immutat (*a*); nisi impuberes sint, qui sibi mutuo futuras nuptias promisserunt, nam propter ætatis & consilii infirmitatem ante pubertatem à fide data resilire non permittuntur (*b*) II. per matrimonium, quod sponsorum alter injuria quidem sed valide cum alia muliere contrahit, ita nempe ut relictus omnino à fide data liberetur, fœdifragus vero non teneatur quousque duret matrimonium. III. per ordinis sacri susceptionem (*c*), & per ingressum in religionem ejusve professionem; jure enim canonico ubi quis ad Deum se convertit, pene omnia alia vincula solvuntur. Sed quousque religionis emittatur professio, conversi obligatio potius in suspenso est, quam solvitur; relictus vero ab initio liberatur. IV. solvuntur sponsalia sequenti alterius fornicatione, idque in solius innocentis favorem (*d*), & constanti & insigni alterius infirmitate, aut deformitate, quæ supervenit, veluti si mulier leprosa fiat, aut paralytica, vel oculos aut nasum amittat, seu quidquam aliud ei turpius advenerit. Omnibus nempe pactionibus natura sua inest conditio *rebus ita stantibus*: multo magis id valere debet in sponsalibus, quæ mutuo amore sustinentur. Sed non omnis superveniens mutatio sponsalia dissolvit, sed tantum ea, quæ si prævisa fuisset, sponsalia omnino contracta non essent. Solvuntur V. sponsalia per profectionem alterutrius ad longinqua sine alterius consensu, respectu tamen partis relictæ (*e*).

CAPUT XXVII.

De Matrimonio.

Matrimonium à Deo institutum.

§. I. Sanctum matrimonii fœdus à Deo ipso ad humani generis propagationem institutum est. Etenim humanum genus à Deo conditum

(*a*) Cap. 2. ext. de Sponsalib.
(*b*) Cap. 8. ext. de Desponsat. impuber.
(*c*) Cap. un. de Voto in 6.
(*d*) Cap. 25. ext. de Jurejur.
(*e*) Cap. V. ext. de Sponsalib.

tum ex conditoris intentione non unius ætatis spatio, sed potius in longum ævum, quemadmodum & cætera animantia, existere oportebat. Hinc quoniam homines morti erant abnoxii, Deus ut nova semper prole facti damna repararet, medium instituit ad hominum perennem generationem (*a*). Poterat quidem Deus semper ex limo terræ homines creare, at pro sapientia sua melius esse vidit, vim generationis hominibus ipsis tribuere; sic enim hominum propagatio reliquorum animantium etiam plantarum generationi conveniebat: & vita hominum socialis & mutua inter eos amicitia ea ratione fortius fovebatur. Hinc homines, non secus ac reliqua animantia & plantæ ipsæ, mares & feminæ creati, hinc membra in maribus & feminis ad generationem apta, hinc mutuus & vehemens utriusque sexus inter se amor, hinc liberorum appetitus. Non ergo tantum bonæ, sed etiam necessariæ ex Creatoris intentione nuptiæ sunt. Et errarunt profecto Democritus & Epicurus, qui matrimonium reprobabant, ut sollicitudinum & tristitiæ fontem uberrimum: ut & Stoici, qui veluti rem indifferentem nuptias traducebant. Multo magis errarunt post Evangelii lumen multi hæretici, qui nuptias veluti corruptionem & stuprum dictitabant, quo nomine celebres fuerunt Encratitæ & Manichæi, qui feminam à Deo malo conditam docebant: atque adeo qui se nuptiis copularet, opus malum perficere (*b*). Paulo modestius, sed nihilo minus falso, docebant Hieracitæ & Eustathiani nuptias in vetere testamento licitas fuisse, sed post Christi adventum rejiciendas, utpote quibuscum regnum cæleste obtineri nequeat (*c*). Etenim Christus tantum abest, ut nuptias reprobarit, ut potius eas nova cumularit benedictione.

Fines matrimonii.

§. II. Plures autem ex ipsius naturæ scitis sunt matrimonii fines. Præcipuus est liberorum procreatio; quo spectant instrumenta generationis, quibus mas & femina donantur, mutuus inter conjuges amor, & ex ipsa corporum conjunctione promanans voluptas. *Propagatio liberorum*, inquit Augustinus (*d*), *prima est & naturalis causa nuptiarum.* Alter æque principalis matrimonii finis est liberorum educatio: parum enim certe est filios genuisse, nisi etiam educentur: natura infantes recens nati sibi non sufficiunt; & deinde dum adolescunt, longa & studiosa institutione indigent. Hinc tener amor parentibus erga filios suos inditus, ut scirent, se ad eos educandos teneri: idque etiam bruta natura ipsa impellente faciunt (*e*). Est & ter-

(*a*) Conf. Pufendorf. de Jure nat. & gent. lib. 5. cap. 1. §. 2.
(*b*) Clemens Alexand. strom. 2. cap. 9. Epiphan. hær. 45. §. 2.
(*c*) Epiphan. hær. 67 §. 1. Conf. Bingham. Origin. eccles. lib. 22. cap. 1. §. 5. & seqq.
(*d*) Aug. lib. de Adult. conjug.
(*e*) Conf. Heinec Elem. jur. nat. lib. 2. cap. 2. §. 27.

tertius nuptiarum finis ex prioribus proficiscens, ut conjuges in totius vitæ necessitatibus se mutuo adjuvent; quem finem etiam expressit Deus, quando Evam creaturus dixit: *Faciamus ei adjutorium simile sibi* (*a*). Sed quando nulla subest spes humani generis propagandi, solius adjutorii gratia contrahere matrimonium, fortasse naturæ instituto non convenit: in hac enim specie adjutorium istud potius oneri, quam subsidio videtur esse. Quæ quum ita sint, extra naturæ fines est, instrumentis generationis uti non ad hominum propagationem, aut solius explendæ libidinis causa nuptias contrahere (*b*): voluptas enim in nuptiis potius generationi inservit, quam veluti finis principalis spectari potest. Et si Apostolus vult, ut qui cœlibes esse non possunt, nuptiis illigentur, ut το πυρούσθαι *ustio* extinguatur (*c*); non permittit quidem ut ob solam voluptatem nuptiæ contrahantur; sed potius ut servientes humani generis propagationi, consequenter etiam libidines extinguant: quo sensu locuti videntur Chrysostomus (*d*) aliique ex veteribus, qui etiam ad extinguendam libidinem nuptias institutas affirmant.

Vagæ conjunctiones obstant generationi.

§. III. Quando autem ad filiorum generationem & educationem & ad mutuum viri & mulieris auxilium nuptiæ institutæ sunt, profecto ordine quodam firmisque legibus contrahendæ sunt, ut vagis conjunctionibus eliminatis, & proles humana felicius proveniat, & civitates beatius stent. Sane more brutorum hominum generatio & educatio inter vagas incertasque conjunctiones recte non procedit. Brutorum femellæ certam stabilemque gignendi servant rationem, quam nulla ratione turbant: brutorum filii non adeo longa & studiosa cura indigent; cui officio plerumque sola mater sufficit. At in hominibus fere omnia contraria. Mulieres constantem generandi rationem non servant, eamque pudore, odiis, formæ conservandæ studio sæpe restinguunt. Concubitus incerti non multum ad generationem, nihil vero ad educationem proficiunt. Pater enim utpote incertus quî alet, quos suos filios esse nescit? Et mater, cui in hac specie tantum onus incumberet, pudore, legibus civitatis, naturali imbecillitate veluti naturam exuit, & educationem derelinquit (*e*). Ad hæc familiæ, quarum fœdere civitates coalescunt, ubi per vagas & incertas commistiones homines progignuntur, nullæ sunt. Et certe confusio potius quam civitas videri poterat uxorum communio, quam Æthiopes, Garamantici, Britanni, Heliopolitæ aliæque barbaræ gentes

(*a*) Genes. II. 18.
(*b*) Conf Pufendorf. de Jure nat. & gent. lib. 6. cap. 1. §. 4.
(*c*) 1. Cor. VII. 9.
(*d*) Chrysost. de Virginit. cap. 19.
(*e*) Conf. Montesquieu l' Esprit des loix lib. 23. chap. 1. & 2.

tes induxerunt (*a*). Solinus siquidem lasciviam Garamantum describens affirmat, inter eos nullum filium agnoscere, nec patrem revereri (*b*). Quod si Platoni etiam communio uxorum in republica sua placuerit, id ei tanquam crimen ab ethnicis philosophis, & à Patribus Ecclesiæ intenditur, nisi forte ita communio illa cum Clemente Alexandrino accipi debeat, quasi Plato dixerit, nondum nuptas mulieres esse communes eorum, qui essent petituri, non postquam nupsissent (*c*).

Definitio matrimonii.

§. IV. Nuptiæ sive matrimonium ex Creatoris institutione videntur esse societas individua, quam masculus & femina procreandæ & educandæ sobolis & mutui præsidii gratia ineunt. Etenim ubi Deo placuit, ut humanum genus in semine ab ipsis hominibus propagaretur, hominem masculum & feminam creavit, benedixitque illis, ut crescerent & multiplicarentur (*d*). Feminam autem non ex limo terræ Deus condidit, sed ex una ipsius Adæ costa (*e*), ut & viro adjutorio, & duo in una carne essent. Itaque inter primos homines arctissima & individua consuetudo instituta est, & ad filiorum generationem & educationem, & ad mutuum præsidium. Et inde futuris nuptiis data lex: quod enim femina caro, & os de carne & ossibus viri esset, divino instinctu Adam dixit, *quam ob rem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una* (*f*). Hinc non recte Grotius conjugium *naturaliter* esse ait *talem cohabitationem maris cum femina, quæ feminam constituat quasi sub oculis & custodia maris*, cui cohabitationi *accessit fides, qua se femina mari obstringit* (*g*). Potius enim individua vitæ consuetudine & mutuo adjutorio, quam cohabitatione, quæ feminam sub custodia viri constituat, nuptiæ æstimandæ sunt. Cæterum Grotius eam conjugii descriptionem commentus est, ne natura matrimonii polygamiæ adversari videretur.

Matrimonium etiam Sacramentum.

§. V. Natura & origine sua matrimonium contractus est, quem gentes omnes solemni & religioso ritu, & divinis auspiciis captis contrahere consueverunt; religione enim videbatur consecrandum negotium illud, unde status civitatum pendebat. Sed apud christianos nuptiæ præterquam quod contractus naturam retinuerint, etiam Sacramenti religione consecratæ sunt: quæ est Ecclesiæ doctrina. Dupli-

(*a*) Confer. Pufendorf. loc. cit. §. 15.
(*b*) Solin. cap. 30.
(*c*) Clemens Alexand. strom. 3. cap. 2.
(*d*) Genes. I. 27. & seq.
(*e*) Genes. II. 22.
(*f*) Genes. II. 24.
(*g*) Grotius de I. B. ac P. lib. 2. cap. 5. §. 8.

plici autem ratione nuptiæ ex christiana docrina Sacramenti religione censentur, & quod rem arcanam, unitatem nempe Christum inter & Ecclesiam significant: & quod gratiam in conjugatos effundunt. Et quidem nuptiis exprimi conjunctionem inter Christum & Ecclesiam ipse Apostolus docuit; matrimonium enim μυςήριον μέγα *Sacramentum magnum* dixit, sed *in Christo & in Ecclesia* (*a*): eoque præsertim nomine Patres Sacramenti nomine nuptias condecorant. Quo sensu matrimonium à prima institutione Sacramentum fuit, quod Leo M. (*b*) docet, & Jo. Launojus (*c*) pluribus adstruit. Porro fidelium matrimonium etiam eo sensu Sacramentum est, quod sub signo sensibili gratiam effundit, per quam conjuges cælesti benedictione augentur, quidquid lutei nuptiis inest, purificatur, & vires dantur ad fovendam individuam totius vitæ conjunctionem & liberorum educationem. *Unde sufficiam*, inquit Tertullianus (*d*), *ad enarrandam tantam felicitatem matrimonii, quod Ecclesia conciliat & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant.* Et Ambrosius matrimonium *velamine sacerdotali & benedictione sanctificari* affirmat (*e*). Paulinus etiam docet, conjuges *prece sanctificari* (*f*). Et ut alios mittam Chrysostomus affirmat, precibus & benedictionibus conjugium constringi, *ut amor sponsi augeatur, & puellæ continentia crescat* (*g*). Itaque ex christiana doctrina Matrimonium Sacramentum est, quo non solum conjunctio inter Christum & Ecclesiam significatur, sed etiam gratia confertur ad familiæ onera sustinenda.

Matrimonii species.

VI. Passim theologi nostri matrimonium dividunt in *legitimum*, *ratum* & *consummatum*. Legitimum secundum leges gentium contrahitur, non autem in fide Christi, qualia sunt infidelium & Judæorum matrimonia. Ratum, quod etiam *initiatum* dicitur, est ab Ecclesia approbatum, & à fidelibus ex regulis christianæ religionis contrahitur, sed nondum corporum conjunctione in usum deductum est, significatque Dei cum anima justi conjunctionem per charitatem. Consummatum vero est matrimonium, si corporum conjunctio accedat, exprimitque præterea conjunctionis Christi cum Ecclesia Sacramentum (*h*), cujus Sacramenti ratione *perfectum* & *consummatum* dicitur; nam ratione contractus, aut alterius Sacramenti, quod gratiam effundit, etiam ratum matrimonium perfectum est. Hoc sensu rata & consummata matrimonia in genuinis veterum Patrum operibus vix occurrunt: hi enim generatim adserunt, matrimonium conjunctionis Christi cum Ecclesia esse Sacramentum. Fortasse primus Gratianus hanc distinctionem invenit, ut quæ retulerat veterum monumenta, in concordiam reduceret. Sane in monumentis per Gratianum relatis modo dicitur, neutrum ex conjugibus sine alterius venia posse continentiam profiteri (*a*), modo etiam sine alterius consensu posse conjugem converti (*b*): & præterea conjugium modo separabile (*c*), modo individuum exhibetur. Hæc omnia distinctione adhibita conciliari posse putavit Gratianus, ut nempe quæ de non separando conjugio loquebantur monumenta, de *perfecto* & *consummato*: quæ vero separabile conjugium indicabant, de *initiato* nec in usum corporum deducto intelligerentur (*d*). Et quamvis sub nomine Augustini & Leonis M. fragmenta retulerit, quæ imperfecta habere videntur matrimonia, ubi corporum commistio nulla fuerit (*e*); tamen fragmenta ista vel spuria sunt vel interpolata, quod Romani correctores & Stephanus Baluzius observant.

(*a*) Ad Ephes. V. 32.
(*b*) Leo M. ep. XCII. ad Rustic. Narbonens.
(*c*) Launojus de Regia in matrim. potest. part. I. art. 2. cap. 2.
(*d*) Tertull. lib. 2. ad Uxor. cap. ult.
(*e*) Ambros. ep. LXX.
(*f*) Paulin. in Epital.
(*g*) Chrysost. hom. XLVIII. in Genes.
(*h*) Cap. 5. ext. de Bigam. non ordinand.

Sacramenti Matrimonii materia & forma.

§. VII. Quod vero spectat ad elementum & verba, quibus Matrimonii Sacramentum coalescit, theologi disputant, Ecclesia silet. Eorum multi ipsos contrahentes materiam, & verba, quæ consensum exprimunt, formam esse contendunt. Alii verba ipsa, seu consensum mutuum verbis aut signis expressum materiam & formam diversa ratione faciunt, materiam, quatenus determinantur, formam, quatenus determinant, cui opinioni S. Thomas (*f*) patrocinari videtur. Sed verior videtur sententia illa, quæ ipsum matrimonii civilem contractum elementum matrimonii facit, benedictionem vero Sacerdotis formam: quod theologi primi subsellii Melchior Canus, Estius, Drouvenus aliique docent. Sane id est Sacramenti elementum, quod, verbo accedente, fit Sacramentum: contractus autem matrimonii per sacerdotalem benedictionem Sacramenti naturam induit: constans enim est Patrum sententia, nuptias per benedictionem sanctificari. Transversos in hac causa scholasticos egit utriusque juris sententia, matrimonium consensu perfici: atque ita materiam & formam Sacramenti in ipsis contrahentibus quæsiverunt. Sed facile erat observare, consensu contractum matrimonii perfici, non vero Sacramentum: tum enim ex sententia veterum Patrum nuptiæ gratia & cælestibus benedictionibus implentur, si eas Sacerdotes benedicant.

Mi-

(*a*) Can. XXIII. & seq. c. 27. q. 2.
(*b*) Can. XXVII. & seq. eod.
(*c*) Can. XXIX. eod.
(*d*) Gratian. ad calcem Can. XXXIX.
(*e*) Can. XVI. & seq. eod.
(*f*) S. Thomas in 4. Sentent. dist. 26. q. 2. art. 1.

Minister Sacramenti Matrimonii.

§. VIII. Porro non secus de elemento & verbis, ita, quod consequens erat, de Matrimonii Ministro inter theologos non convenit. Scholastici pro maxima parte docent, ipsos contrahentes Sacramenti Ministros esse. Contra theologorum gravissimi Melchior Canus, Estius, Tornelius, N. Alexander aliique Sacramenti Matrimonii Ministrum Sacerdotem esse contendunt. Quæ sententia omnino præferenda est. Et sane ille jure dici potest hujus Sacramenti Minister, cujus solius est eam nubentibus benedictionem impendere, unde necessario gratia Sacramenti derivatur. Soli autem Sacerdotes à prima Ecclesiæ ætate sacra benedictione nuptias inter Græcos & Latinos consecrarunt (*a*), eaque benedictione sponsi sanctificati sunt (*b*). Et inde est illa Matrimonii definitio paucis à Basilio comprehensa, *jugum quod per benedictionem subitur* (*c*). Multa quoque paradoxa Estius, quæ ex opposita sententia sequuntur, ut quod Sacramenti Matrimonii Minister non sit unus sed duo; non ordinati sed laici, vir, & mulier: quod iidem suscipientes & conferentes: quod forma consistat etiam sine verbis; nam nutu aliove signo expressus consensus ad matrimonium sufficit: quod nullam contineat sacram cæremoniam & hujus generis alia. Sententia, quæ ipsos contrahentes Ministros Matrimonii facit, ab eodem fonte videtur derivata, quo sententia quæ in ipsis contrahentibus materiam & formam Sacramenti posuit: à legum nempe & Canonum doctrina quæ habet nuptias consensu perfici. At etiam hac in re scholastici contractum & Matrimonii Sacramentum miscuerunt: constat contractus consensu, at Sacramentum per hierologiam perficitur: eaque deficiente nuptiæ, etsi inter christianos contractæ, legitimæ, non sacræ videntur esse.

Matrimonium consensu contrahitur.

§. X. Jam vero causa efficiens contractus matrimonii est mutuus contrahentium consensus, quo verbis aut signis declarant, se in individuam vitæ consuetudinem consentire: in quam sententiam & leges civiles & Canones consentiunt (*d*). Est namque matrimonium societas, & societates consensu contrahuntur. Hinc ut matrimonium perfectum sit, necesse non est, ut corpora misceantur; fit etiam matrimonium consensu animorum, non corporum. Et si in jure Romano nuptiæ dicuntur *viri et mulieris conjunctio* (*e*), id minus proprie dictum videtur; & conjunctio illa potius est consensus ad indu-

(*a*) Tertull. lib. 2. ad Uxor. cap. ult., Conc. Carthag. IV. Can. XIII. Can. II. c. 30. q. 5., Balsamon in Photii nomo-can. tit. 13. Can. 2.
(*b*) Ambros. ep. LXX., Chrysost. hom. XLVIII. in Genes.
(*c*) Basil. hom. VII. in Hexamer.
(*d*) L. 80. D. de Reg. jur., Can. I. & II. c. 27. q. 2. cap. 13. & seq. ext. de Sponsalib.
(*e*) Pr. tit. Instit. de Patria potest.

ducendam conjunctionem, quo sensu effectus pro causa sumitur, quod Gerardus Noodt observat (*a*). Hinc illa Ulpiani doctrina, qui absens accepit uxorem, si rediens antequam uxorem domum ducat, perierit, ab uxore lugendus est (*b*). Inde etiam potest evenire, ut aliqua virgo *& dotem & de dote habeat actionem*, quod Paulus tradit (*c*). Et profecto errat Gratianus, qui ad matrimonii naturam etiam corporum conjunctionem & usum credit necessarium (*d*). Consensus autem iste, quo nuptiæ perficiuntur, finem habet corporum conjunctionem & liberorum procreationem: qua ratione Romani tabulis nuptialibus inserebant, se liberorum quærendorum gratia nuptias inire, ut Augustinus testatur (*e*). Quod si inter B. Mariam virginem & S. Joseph verum conjugium fuit, etsi illa in corporum conjunctionem non consenserit; virginitatis enim votum semper servavit; nodus hic theologos exercet; quorum aliqui affirmant, B. Virginem consensisse in sui corporis traditionem, non vero in actum conjugalem, quod Deo revelante præsciverat, virum suum ad corporum conjunctionem non venturum (*f*). Cæterum etiam vicaria alterius opera edi potest in nuptias consensus, modo ad id speciale mandatum detur, procurator datus per se mandatum impleat, & mandans tempore contracti matrimonii in consensu perseveret (*g*).

Qui error vitiat matrimonium.

§. XI. Quoniam vero consensus contrahentium in primis nuptias facit, ubi amborum aut unius consensus deficit, nuptiæ nullæ sunt. Itaque si per errorem matrimonium contrahatur, nullum est, quod qui errant non consentiunt (*h*). Etenim qui errant, rem concipiunt ab objecto discrepantem, ac ita dici non potest, errantes consentire. Sed distinguere oportet, an error sit circa personas contrahentium, an circa qualitates. Etenim si contrahentes in persona ipsa errent, puta si Mævius cum Caja contrahere intendens, per errorem aliam ducat, omnino nullæ sunt nuptiæ, etsi errore perseverante corporum conjunctio secuta fuerit. Sed si tantum in qualitatibus personæ erretur, puta si quæ pulchra aut dives putetur, inde deformis, aut pauper inveniatur, matrimonium non vitiatur; talis enim vere in personam consentit: nisi error qualitatis, inquit S. Thomas, *redundet in personam*, hoc est, si contrahens ita adhæsit illi qualitati, ut si hæc abesset, matrimonium non contraxisset, veluti si Princi-

(*a*) Noodt in tit. DD. de Ritu nup.
(*b*) L. 6. D. de Ritu nuptiar.
(*c*) L. 7. D. eod.
(*d*) Grat. ad Can. XVIII. c. 27. q. 2.
(*e*) Aug. serm. CCXLIV.
(*f*) Conf. Drouv. de Re Sacram. lib. 9. q. 1. §. 3.
(*g*) Cap. ult. de Procuratorib. in 6.
(*h*) L. 55. D. de Obligat. & act.

cipis offeratur filia, tanquam primogenita & hæres regni, quæ talis non est (*a*). At quoniam matrimonium est individuum, & maximi momenti negotium, non facile præsumendum, contrahentes accidentalibus qualitatibus adhærere. Cæterum consensus etiam præsumtus errori superveniens nuptias irritas convalidat: & reipsa ex sequente consensu valere cœperunt nuptiæ, quas Jacob Rachelem ducere intendens, per errorem cum Lia contraxit (*b*).

An metus vitiet matrimonium.

§. XII. Porro non est in nuptias consensus, atque ideo nullæ nuptiæ, si ex vi metuque gravi exterius illato contrahantur. Metus est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio, crescitque prout periculum, quod timetur, gravius & præsentius est, & prout variant personarum qualitates; non enim omnium una est animi constantia pro ratione ætatis, sexus, valetudinis. Quando metus intrinsecus & animi affectibus nascitur, homines libere agere censentur; at si metus ab homine extrinsecus inferatur, quamvis non omnino consensum tollat (atque ideo qui per metum scelera admittunt, scelerati censentur); tamen coactus iste consensus ex gravi metu extortus non videtur sufficere ad negotia contrahenda, saltem ea quæ ex bona fide descendunt (*c*); etenim qui ex tali metu contrahit, profecto non contraxisset, si metus adfuisset. Multo minus valent matrimonia per metum, qui exterius infertur, inita: etenim matrimonio directe metus adversatur; est enim societas, quæ mutuo amore & charitate coalescit, & potius animos, quam corpora conjungit. Sed metus debet esse gravis & non vani hominis, quo aliquis ducat uxorem, quam si sui arbitrii esset, non duxisset: nam qui levi metu ad nuptias animum adjiciunt, utpote qui non adeo adversante animo sunt, non sunt audiendi (*d*). Nihil vero interest, utrum metus ab altero contrahentium, an à patre, an ab alio inferatur (*e*); semper enim nullæ sunt nuptiæ, modo directe in finem contrahendi matrimonii inferatur (*f*), & qui metum infert, id nullo jure faciat: nam si quis metu pœnarum à magistratu cogitur mulierem, quam violavit, uxorem ducere, matrimonium subsistit: magistratus enim jure cogit, & actio imperio ejus, cui cogendi jus est, suscepta, agenti imputatur. Quod si filius reverentia erga patrem ductus, sed nullis minis aut verberibus contrahat, nuptiæ valent; non enim id improbant boni mores (*g*).

Con-

(*a*) S. Thomas in 4. Sentent. dist. 30. q. 1. art. 2.
(*b*) Genes. XXIX. 28.
(*c*) L. 116. D de Reg. jur.
(*d*) Cap. 28. ext. de Sponsalib.
(*e*) Cap. 11. ext. de Desponsat. impub.
(*f*) Conf. Gonzalez in cap. 15. ext. de Sponsalib. n. 4.
(*g*) Conf. Gerard. Noodt in tit. DD. de Ritu nuptiar.

Consensus patris an necessarius in nuptiis filiorum?

§. XIII. Præter conjugum consensum ubi filiifamilias nuptias ineunt, etiam parentum, sub quorum potestate sunt, consensus requiritur, quod jus natura ipsa duce omnes peræque gentes servarunt (*a*), in primis Romani, apud quos invito patrefamilias contractæ nuptiæ prorsus irritæ, & nullius effectus erant (*b*). Ecclesia in Imperio nata leges civiles secuta est præsertim in causa honesta, ubi ipsa natura suadet, ut sine parentum consensu filii matrimonia non contrahant. *Nec in terris*, inquit Tertullianus (*c*), *filii sine consensu patrum rite & jure nubunt.* Et Basilius (*d*), *quæ sine iis, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes:* spectatque hic Basilii Canon non minus filios, quam servos. Similiter Synodus Aurelianensis IV. *matrimonium contra voluntatem parentum impie copulari* decernit (*e*). Et ut multa alia mittam, Nicolaus Papa, *fœdera quoque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur* (*f*). In Ecclesia hoc jus usque ad sæculum XII. stetit, quod Jueninus (*g*) probat. Inde sub prætextu libertatis matrimonii nova invaluit doctrina, quæ peccare graviter filios asserit, ubi sine parentum suorum consensu nuptias, præsertim indignas, ineunt; at ita contractas validas habet: quæ doctrina in praxim deducta est. Sed libertas matrimonii potius in eo consistere videtur, ut infirmum filiorum consilium ratione patris regatur, quam ut filii pro libidine & licentia sua nuptias ineant: etenim quo magis cum ratione homines operantur, eo majori libertate utuntur. Inde Tridentini Patres professi sunt, Ecclesiam omni tempore detestatam esse & prohibuisse matrimonia filiorumfamilias invitis parentibus contracta; sed ea non irritarunt, quin potius firma reliquerunt (*h*). Hinc Canon minus quam perfectus videri potest eo sensu, quod matrimonia filiorumfamilias invitis patribus contracta vetat, sed contracta non rescindit. Itaque tristis & inauspicata matrimonii libertas apud catholicos viget. At in Gallia Regum edictis matrimonia filiorumfamilias invitis parentibus inita habentur *invalide contracta*; quod alii de solis civilibus effectibus interpretantur (*i*), alii vero ita accipiunt, ut omnino contractus nullus & irritus sit (*k*). Et multarum gentium legi-

(*a*) Confer. Mazochius in dissert. Muscettulæ de Sponsalib. & matrim. filiorumfam. not. 17.
(*b*) Pr. tit. Institut. de Nuptiis, l. 2. D. de Rit. nupt., l. 12. C. de Nuptiis.
(*c*) Tertull. ad Uxor. lib. 2. cap. 9.
(*d*) Basilius ep. can. ad Amphiloch. Can. XLII.
(*e*) Conc. Aurelian. IV. Can. XXII.
(*f*) Can. II. c. 20. q. 5.
(*g*) Juenin. de Sacram. diss. X. q. 5. c. 3. art. 1.
(*h*) Trid. sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 1.
(*i*) Confer. Natal. Alexander lib. 2. Theolog. dogmat. & moral. de Matrim. c. 12. art. 3.
(*k*) M. de Lamoignon de M. Talon ap. M. le Vayer de Boutigny de l' Autorité des Rois touchant l' administration de l' Eglise tom. 2. p. 187. & seqq.

gibus parentes filios suos talia matrimonia contrahentes exhæredes scribere possunt.

Matrimonium sub conditione.

§. XIV. Consensus autem, quo nuptiæ contrahuntur, purus esse debet: & si sub vera conditione exprimatur, nuptiæ statim contractæ non videntur. Vera conditio in futurum concipitur, & ab incerto futuro eventu actum suspendit: & quæ in præteritum aut præsens tempus concipitur, *figuram, non vim conditionis continet*, ut Proculi verba usurpem (*a*). Si itaque matrimonium sub vera & possibili conditione contrahatur, suspenditur matrimonialis consensus, & propterea nisi existente aut remissa conditione nuptiæ contractæ non censentur (*b*): existente autem aut remissa conditione novus consensus non videtur necessarius (*c*). Quod si sub conditione in præsens aut præteritum tempus concepta matrimonium ineatur, veluti *contraho tecum, si es virgo*, statim aut verum, aut nullum est: quæ enim per rerum naturam certa sunt, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint (*d*). Verum si conditio addatur, quæ turpis aut impossibilis sit, nullum esse matrimonium Gregorius IX. definit, si adjecta conditio sit contra substantiam matrimonii, veluti contraho tecum, si generationem evites, aut donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem; valere vero sub quacunque alia turpi vel impossibili conditione, idque quod favore matrimonii hujusmodi conditiones pro non adjectis reputantur (*e*). Sed sapientiores interpretes hanc doctrinam potius de modis & *conditionibus resolutivis*, ut appellantur, quibus non impleto modo adjecto matrimonium resolvatur, quam de veris conditionibus, accipiunt (*f*). Quo posito doctrina Pontificis clara est. Etenim qui in modum fini contrarium consentiunt, non videntur consentire: consentiunt vero qui sub quocunque alio turpi modo contrahunt, veluti si quis dicat, contraho tecum si in furtis admittendis mihi opem præstes. Et quoniam nuptiæ apud christianos, utpote individuæ, resolvi non possunt, adjectus turpis modus naturæ matrimonii non contrarius pro non adjecto habetur. Cæterum moribus præsentibus conditionata admitti non solent.

Solemnitas nuptiarum apud gentes.

§. XV. Hactenus de consensu matrimoniali, videndum nunc qua forma edi oporteat, ut nuptiæ legitimæ & sacræ sint. Interest reipu-

(*a*) L. 69. D. de Hæred. instit.
(*b*) Cap. 3. ext. de Conditionib. apposit.
(*c*) Conf. N. Alexander loc. cit. lib. 2. cap. 2. reg. 16.
(*d*) §. 5. Inst. civil. de Verb. oblig.
(*e*) Cap. ult. de Conditionib. apposit.
(*f*) Gonzalez in cit. cap. ult. num. 7.

publicæ nuptias palam & solemniter contrahi, ut constet inter cohabitantes virum & mulierem matrimonium esse contractum, ut omnis vagæ libidinis suspicio evitetur, & familiarum status firmior evadat, & liberi in spem patriæ adolescant. Hinc gentes omnes in primis Judæi, Græci & Romani matrimonia publicis & solemnibus ritibus contrahi voluerunt. Speciatim Romani tribus solemnibus modis nuptias contrahebant, farre, coemtione, usu, quos ritus Rævardus, Brissonius, Sigonius, Heineccius aliique illustrant. Nova quoque nupta in domum viri solemniter deducebatur: & uterque conjux coronis & sertis redimiri solebant. Tribus his modis contractis nuptiis mulier in manum viri transibat, eique filiafamilias fiebat, eratque inter eos omnis humani & divini juris communicatio. Ubi vero mulieres in manum viri transire nolebant, aliis legitimis modis nuptiæ contrahebantur: etenim sufficiebat consensum in nuptias declarari coram testibus, sive intervenirent tabulæ nuptiales, sive sine scriptis ea testatio fieret (*a*). Quin etiam facto ipso demonstrabatur consensus in nuptias, maritali nempe honore & affectione per cohabitationem inter pares, quod Papinianus (*b*) testatur. Confarreatæ nuptiæ sub initium Imperii non amplius in usu erant (*c*); sed diutius coemtio & usus perseverarunt; etsi ætate jurisconsultorum, quorum fragmenta in pandectis supersunt, parum usurpari solerent: & fere aliis legitimis modis consensus in nuptias edebatur. Imo Justinianus eo rem deduxit, ut, exceptis *maximis dignitatibus*, cæteri omnes possent vel cum dotalibus tabulis, vel sine eis ex solo affectu ducere uxores (*d*): in qua constitutione civilem prudentiam viri docti desiderant.

Matrimonia contrahenda Ecclesiæ denuntiata.

§. XVI. Nec minus Ecclesia ritus suos præscripsit, quibus ex religionis suæ principiis christiani nuptias contraherent. Erant autem solemnia christianorum vel civilia vel religiosa; etenim quum christiani essent cives, certe omnes ritus civiles, qui incolumi religione retineri poterant, servabant. Inter christianos ritus in primis id fuit, nuptias contrahendas Ecclesiæ denuntiare, ut si qua subessent impedimenta innotescerent, & matrimonia christiano nomini indigna evitarentur. Publica ista denuntiatio *bannum* dicta est; quæ vox Gallorum propria ut plurimum publica edicta significat, quod Cujacius & Cangius observant (*e*). Inde usque à primis sæculis christiani *apud Ecclesiam profiteri* nuptias consueverunt, quod Ter-

(*a*) L. 4. de Pignorib., l. 6. de His qui sunt sui vel alieni jur.
(*b*) L. 31. D. de Donation. Confer. Gerard. Noodt in tit. DD. de Ritu nuptiar.
(*c*) Confer. Heinec. Antiq. Roman. lib. 1. tit. 10. §. 9.
(*d*) Novell. XXII. cap. 3.
(*e*) Cujac. in cap. 27. ext. de Sponsalib., Cangius in Glossar. med. & infimæ latinitat. v. *bannum*.

Tertullianus (*a*) testatur. Et in Capitularibus Regum Francorum edicitur, ut ante nuptias conveniatur Sacerdos, qui in Ecclesia una cum populo inquirat, an aliquod impedimentum subsit (*b*). Inde in tanta sæculi IX. & sequentium confusione matrimonii denuntiationes omissæ sunt, easque paucæ tantum Ecclesiæ vel retinuerunt, vel de novo instituerunt, in primis Ecclesia Gallicana, unde ad cæteras Ecclesias dimanasse Cujacius & Filesacus (*c*) docent. Et sane Concilium Lateranense sub Innocentio III. consuetudinem specialem quorundam locorum ad alia generaliter extendit, cavitque, ut matrimonia contrahenda per Presbyteros in Ecclesia denuntientur competenti spatio dicto, ut intra illud, qui voluerit, & potuerit, compareat, & legitimum impedimentum opponat (*d*). Sed denuntiatio ista ad matrimonii vim non pertinebat, valida enim quamvis illicita jure Decretalium erant clam contracta matrimonia.

Hierologia in nuptiis christianorum olim recepta.

§. XVII. Præcipuus autem & maxime sacer christianorum ritus fuit, ut nuptiæ coram Ecclesia precibus Sacerdotum benedicerentur: qui ritus vel à primis sæculis obtinuit: quod Jac. Gothofredus, Binghamus & Henricus Christianus Bochmannus (*e*) pluribus probant. Et sane Tertullianus (*f*) exprese testatur, christianorum matrimonia *Ecclesiam conciliare, confirmare oblationem & obsignare benedictionem.* Similiter Ambrosius (*g*), *conjugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oportere* affirmat. Et Patres Concilii IV. Carthaginensis edicunt, *ut sponsus & sponsa quum benedicendi sint à Sacerdote, à parentibus suis vel paranymphis offerantur* (*h*). Chrysostomus quoque docet, ad nuptias Sacerdotes vocari *& precibus & benedictionibus concordiam conjugii constringi* (*h*). Hæc alia multa praxim christianorum benedicendi nuptias demonstrant: & profecto Boehmerus (*k*) vim antiquis monumentis infert, dum ea, quæ de benedictione nuptiarum habent, ad sponsalium benedictionem trahere aut alias elevare studet. Benedictio autem nuptiarum à Sacerdote de more cæterarum benedictionem per manus impositionem facta videtur: idque constat ex Clemente Alexandrino, qui de muliere nubente alienis capillis ornata ita fatur; *cui manum imponit Presbyter? cui autem benedicet? non mulieri, quæ est ornata, sed alienis capillis, & per istos alii capiti* (*a*). Usurpabatur etiam inter Judæos solemnis nuptiarum benedictio: unde fortasse in christianos derivata est & majori religione consecrata; etenim per benedictionem nuptiis christianorum sanctitas & vis Sacramenti conciliatur. Fiebat autem nuptiarum benedictio solemniter & coram Ecclesia & inter Missarum solemnia, idque Tertullianus indicat, dum ait, matrimonium oblatione confirmari.

(*a*) Tertull. de Pudicitia cap. 4.
(*b*) Capit. Reg. Franc. lib. 8. cap. 179.
(*c*) Cujac. loc. cit., Filesac. de Orig. parochiar. cap. ult.
(*d*) Cap. 3. ext. de Clandest. desponsat.
(*e*) Jac. Gothofred. in l. 3. Cod. Th. de Nuptiis, Bingh. Orig. eccles. lib. 22. cap. 4. §. 1., Bochmann. tract. de Benedict. nuptiar.
(*f*) Tertull. ad Uxor. lib. 2. cap. 9.
(*g*) Ambros. ep. LXX.
(*h*) Conc. Carthag. IV. Can. XIII.
(*i*) Chrysost. hom. XLVIII. in Genes.
(*k*) Boehmer. Jur. eccles. lib. 4. tit. 3.

Quando jure civili hierologia nuptiis accessit.

§. XVIII. Solemnis & publica nuptiarum benedictio apud antiquos christianos recepta, diu sola religione stetit; nec jure civili christianorum Principum ad vim contractus matrimonii pertinuit. Probabant profecto christiani Imperatores, per hierologiam nuptias fidelium celebrari; at interim legitima habebant matrimonia ex forma legum civilium contracta. Existimant quidem Dionysius Gothofredus & Franc. Hotomanus (*b*) etiam jure civili adhiberi hierologiam debuisse, eo quod Justinianus ad vim matrimonii *festivitatem & vota nuptiarum* requirat (*c*); at phrases istæ admodum ambiguæ sunt, & potius actum quemlibet, quo nuptiæ celebrari consueverant, denotare videntur (*d*). Hinc præsertim sæculis quinto & sexto non videntur defuisse christiani parum religiosi, qui, maxime ubi non ex sententia Ecclesiæ nuptias contrahebant, benedictionem omitterent, contenti legitimas, etsi non sacras, nuptias contraxisse; cui omissioni favisse videtur Justinianus, qui exceptis *maximis dignitatibus*, permisit, ut reliqui omnes ex solo affectu sine dotalibus tabulis nuptias inirent (*e*). Sed tandem antiqua & christiana nuptiarum benedictio in legem civilem abiit: & ita nec legitima esse cœperunt matrimonia, nisi coram Ecclesia Sacerdotum precibus consecrarentur: quod jus in Occidente Carolus M. in Oriente Leo sapiens statuerunt (*f*). Hoc jure per Occidentem statuto prodiisse videtur decretalis Evaristo tributa, quæ ad vim matrimonii præter alia requirit, ut sponsa *sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur* (*g*). Et apud nos Rogerius I. Rex proscriptis nuptiis clandestinis ea tantum matrimonia legitima dixit, quæ palam & sacerdotali benedictione celebrantur (*h*).

Ritus civiles in matrimoniis christianorum retenti.

§. XIX. Præter sacerdotalem nuptiarum benedictionem ritus civi-

(*a*) Clemens Alexand. pædag. lib. 3. cap. 11.
(*b*) Dionys. Gothof. in lib. 24. C. de Nupt., Hotoman. quæst. illustr. q. 25.
(*c*) L. 24 C. de Nupt.
(*d*) Selden. ux. Hebr. II. cap. 29.
(*e*) Novell. XXII. cap. 3.
(*f*) Cap. Reg. Franc. lib. 7 cap. 363., Leo Sapiens novell. LXXXIX.
(*g*) Can. I. c. 30 q. 5.
(*h*) Const. Sancimus de matrim. contrah.

viles christiani retinuerunt; eosque sanctitatis religione consecrarunt, ut factum est in aliis ritibus, quos vel à Judæis vel ab ethnicis hauserunt. In primis (I) in nuptiarum celebratione uterque conjux velo obnubebatur. Solemnis erat Judæorum & Romanorum mos velo obnubendi sponsam, quando ad virum ducebatur: ex qua cæremonia nomen nuptiarum factum est: nubere enim & obnubere Romanis velare & operire significabat (*a*): at apud christianos uterque conjux à Sacerdote velo operiebatur (*b*). Velamen istud purpureum videtur fuisse, illud enim Ambrosius (*c*) *flammeum nuptiale* appellat: eoque significabatur, pudorem utrique conjugi, non soli mulieri convenire. Porro (II) sacro ritu nuptiarum finito, conjuges mox discessuri coronis & sertis redimiri solebant, quibus significabatur strenue adhuc contra omnem impudicitiam decertasse: quod Chrysostomus docet (*d*). Erat hæc etiam civilis cæremonia, quam ætate Tertulliani non videntur christiani usurpasse: reddens enim rationem Septimus (*e*), cur christiani cum ethnicis matrimonio non jungerentur, eam arcessit à coronis, quibus conjuges apud ethnicos cingebantur, & ita ab idolatria incipiebant. At inde in utraque Ecclesia coronarum usus tanquam innocens & mystica cæremonia receptus est (*f*). Et demum (III) sequebatur deductio sponsæ in viri domum, quæ inter innocentia gaudia & populi confluentis acclamationes peragi solebat: nec injuria credebatur modestum habere epithalamium, vel convivium, quod ex christianis regulis agitaretur (*g*). Velatio autem & coronatio tantum in primis nuptiis locum habebant, iisque secundæ nuptiæ non donabantur. In Occidente jamdiu conjuges velari & coronari desierunt: tantumque velandi cæremonia in nuptiis spiritualibus virginum cum Christo Domino usurpatur. Sed inter Græcos adhuc conjuges solent coronari (*h*).

Qui recepta in Occidente clandestina matrimonia.

§. XX. Per sacros Canones inducta & inde per leges civiles constabilita nuptiarum publica benedictio in Ecclesia Græca, quæ antiquorum rituum tenacissima fuit, deinceps continuavit; at in Occidente remissior disciplina invaluit, quæ tenebat quidem matrimonia coram Ecclesia & sacerdotali benedictione esse celebranda; verum simul valida, etsi illicita, reputabat matrimonia clandestina, quæ sine hierologia clam cæteris omnibus ipsi sponsi contraxissent (*a*). Sane jure Decretalium sponsalia transibant in matrimonium non solum palam declarato consensu & Sacerdotis benedictione; verum etiam per corporum conjunctionem inter sponsos animo maritali habitam (*b*), & per mutuum consensum de præsenti clam editum (*c*). Invaluerunt hi degeneres mores ex mala accepta sententia legum & Canonum, per consensum nuptias contrahi: non animadvertentes scilicet sæculi XII. Theologi, consensum, quem leges & Canones requirebant, legitimum, hoc est solemni ratione per leges inducta, expressum esse oportere, inde concluserunt, etiam consensu clam edito consistere matrimonia (*d*). Interim ubi matrimonia clandestina legitime non probabantur, Ecclesia conjuges ad cohabitationem non cogebat (*e*). Quod si ipsi conjuges clam contractas nuptias inde Ecclesiæ manifestarent, eæ ratæ censebantur tanquam si ab initio in conspectu Ecclesiæ contractæ essent, quod Alexander III. rescripsit (*f*). Magno autem incommodo & reipublicæ & Ecclesiæ erant clandestina matrimonia: filiorum & familiarum status incertus erat; & mariti suarum uxorum pertæsi, eas impune dimittebant, & novis contractis nuptiis, inter stupra & adulteria transigebant vitam.

(*a*) Conf. Rosin. antiquit. Roman. lib. 5. cap. 37.
(*b*) Paulinus in epithal. Can. III. cap. 30. q. 5.
(*c*) Ambros. de Virginib. cap. 15
(*d*) Chrysost. hom. IX. in 1. ad Timoth.
(*e*) Tertull. de Coron. milit. cap. 13.
(*f*) Conf. Bingh. Orig. ecclesiast lib. 22. cap. 4. §. 6.
(*g*) Conc. Laodicen Can LIII.
(*h*) Conf. Chardon. Histoire du mariage chap. 2. art. 3.

Forma celebrandi matrimonii ex Concilio Tridentino.

§. XXI. Sed tandem Ecclesia Occidentalis matrimonia clandestina irrita fecit: quod jus in comitiis Tridentinis conditum est. Itaque decretum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis festis diebus in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntiari inter quos matrimonium sit contrahendum, nisi aliter Ordinarius ex justis causis denuntiationes omittendas censuerit: matrimonium vero ipsum inde contrahi coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii venia, & duobus vel tribus testibus, & aliter contractum omnino nullum & irritum esse: dum à proprio Parocho benedicendum (*g*). Quo decreto etiam contractui civili forma data est, idque & ex disciplina à multis sæculis in Occidente recepta, qua Ecclesia etiam de contractu & matrimonii vinculo edicebat, & ex consensu christianorum Principum, qui vel per legatos suos, vel postmodum huic decreto consenserunt. Nihil autem definierunt Patres, utrum benedictio ad matrimonii vim pertineat; at in compertis videri debet, per benedictionem Sacramenti rationem nuptiis conciliari, quando constanti Patrum traditione constat, per benedictionem nuptias gratia

(*a*) Conf. Gratian. ad calc. Can. IX. cap. 30. q. 5.
(*b*) Cap. XXX. ext. de Sponsalibus.
(*c*) Cap. 1. ext. de Clandest. desponsat.
(*d*) Conf. Franc. Florens in cit. Gratiani quæst.
(*e*) Cap. 2. ext. de Clandest. desponsat.
(*f*) Cap. 2. ext. de Clandest. desponsat.
(*g*) Trident. XXIV. de Ref. matrim. cap. 1.

tia impleri. Celebrari debent hac solemni formula matrimonia, ubi decretum Tridentinum receptum est; nam ubi reformatio Tridentina recepta non est, adhuc matrimonia clandestina tolerantur, nisi per publicas leges solemnitas publica matrimonii statuta sit: quod factum in Gallia, ubi etsi reformatio Tridentina recepta non est; tamen edicto Blesensi in generalibus regni comitiis à Rege edito solemnitas celebrandi matrimonii parum à Tridentina differens statuta est: ad jus enim regium credebant Galliæ Reges spectare formam contractui matrimonii dicere.

Qualitates Parochi & testium.

§. XXII. Parochus autem, coram quo ex Tridentini decreti forma matrimonium christianorum oportet celebrari, est ille, in cujus parœcia contrahentes vere commorantur, etsi eo loci perpetuo habitare non intendant; quo sensu qui student in academiis, eum Parochum in causa matrimonii proprium habent, in cujus parœcia tempore studiorum morantur. Et si contrahentes sint duarum parœciarum, non duo Parochi matrimonio assistent, sed unus sive viri, sive mulieris (*a*): propriusque Parochus recte etiam in aliena parochia matrimonio assistet. Sed in multis Ecclesiis consuetudo habet, ut potius coram Parocho mulieris, quam viri matrimonia celebrentur. Milites autem ibi habitare in causa matrimonii intelliguntur, ubi stationis aut præsidii causa commorantur; ac ita coram ejus loci Parocho matrimonia celebrabunt, nisi privilegio datum sit, ut Capellani Castrenses censeantur proprii militum Parochi (*b*). Apud nos autem milites, qui in regio palatio & viridario, aut *Darsena*, aut in castris clausis & omnibus locis Capellano majori subjectis commorantur, tantum coram Parocho regio justas nuptias contrahunt: cæteri vero coram loci Parocho cum Capellani militaris interventu (*c*). Quod vero spectat ad vagantes, Tridentini Patres recte monent, ne illorum matrimonia facile recipiantur: nec Parochi locorum possunt eorum matrimoniis interesse, nisi prius diligenti facta inquisitione & venia ab Ordinario habita (*d*). Testes autem ad matrimonii vim necessarii, cujuscumque generis & qualitatis sint, sufficiunt, modo rationis compotes sint, & quod agitur, possint intelligere: non enim de eorum qualitate Patres quidquam edixerunt. Et quoniam ad vim matrimonii tantum Parochi & testium præsentiam, non vero aliquod ministerium Patres requirunt, hinc valet matrimonium, saltem ut contractus, coram Parocho & testibus invitis etiam sine hierologia ini-

(*a*) Sacra congreg. ap. Fagnan. ad cap *Quod nobis* ext de Clandest. desponsat.
(*b*) Conf. Espen. part. 2. tit. 12. cap. 1. n 15. & seq
(*c*) Bulla Benedicti XIV. convenit super jurisd. & facultatibus Capellani majoris regni Neapolis.
(*d*) Trid. sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 7.

initum, modo Parochus adhibitus fuerit, & de matrimonio contrahendo certior factus sit (*a*).

Quibus diebus matrimonium non celebratur.

§. XXIII. Jam vero in omnibus diebus nuptiarum solemnia licet celebrare. Romanis multi dies inauspicati & infausti nuptiis credebantur, quales calendæ, nonæ, idus & novarum calendarum posteri omnes dies, integer Majus mensis & dies Februarii, quibus parentalia fiebant (*b*). Etiam apud christianos multis diebus nuptiæ celebrari vetitæ sunt, quod nuptiarum solemnitas cum officiis religionis non bene conveniat; qui dies hodie *tempus clausum* solent appellari. Vetantur in primis nuptiæ integra quadragesima, idque in Concilio Laodiceno cautum est (*c*): pœnitentiæ enim tempus aptum non erat nuptiarum pompis & deliciis. Et in Concilio Aquisgranensi anno IƆCCCXXXVI. habito nuptiarum celebratio diebus dominicis interdicta est *pro reverentia solemnitatis* (*d*). Et in Canone quodam sub nomine Concilii Ilerdensis apud Gratianum prohibentur nuptiæ à septuagesima usque in octavas Paschæ, tribus hebdomadis ante festum S. Joannis Baptistæ, & ab adventu Domini usque ad Epiphaniam (*e*): sed Canon iste est supposititius (*f*), eoque expressa disciplina fortasse sæculo XI. invaluit. Ideo vero tribus hebdomadis ante festum S. Joannis Baptistæ etiam nuptiarum celebratio interdicta est, quod ante hoc festum species quædam quadragesimæ varia pro varietate Ecclesiarum celebrari consueverat, de qua Filesacius tractat (*g*). Tandem Tridentini Patres tempus clausum contraxerunt; statuerunt enim ut ab adventu Domini usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive solemnia nuptiarum non celebrentur (*h*).

Præparatio ad Sacramentum Matrimonii.

§. XXIV. Pertinet autem ad christiani hominis officium, ut paratus & ex regulis sanctæ religionis nuptias contrahat. Christiani animum ad nuptias debent abjicere *non victi libidine*, *sed ducti pietate*, ut nempe individuam vitæ sociam habeant, cum qua inter domus sollicitudines possint Deo servire, filios procreare, procreatos recte instituere & Christo lucrari. Intentionis puritate imitentur veteris testamenti justos, *qui non propter hoc sæculum*, *sed propter*

(*a*) Conf. N. Alexand. Theol. dogm. & moral. lib. 2. de Matrim. cap. 2. art. 2. reg. 19.
(*b*) Conf. Brissonius de ritu nuptiar.
(*c*) Conc. Laodic. Can. LII
(*d*) Conc. Aquisgr. Can. XXXVIII.
(*e*) Can X. cap. 33. q. 4.
(*f*) Bingh. Orig. Eccles. lib. 22. cap. 2. §. 14.
(*g*) Filesacius de Quadrag. christiana.
(*h*) Trid. sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 10.

ter Christum conjuges, & propter Christum patres fuerunt, ut Augustinus (*a*) loquitur. Non enim felicitas est habere filios, sed habere bonos. Licet quidem christiano homini in contrahendis nuptiis nobilitatis, divitiarum, pulchritudinis rationem habere; sed nefas profecto est, ex iis solis nuptias inire. Itaque qui matrimonium contrahere intendit, ante omnia Dei voluntatem precibus exquirat serioque expendat ejus, cum qua contrahere intendit, qualitates, ut se & in civitate & in Domino pari jungere possit. Contractis vero sponsalibus uterque sponsus pœnitentia, orationibus, confessione sacramentali & Eucharistiæ Sacramento se disponat ad nuptias earumque benedictionem (*b*): Deus enim tantum eos conjuges gratia & donis suis implet, qui sancto consilio & puro corde copulantur. Et demum religiosum & pium est, ut pro benedictionis & Sacramenti reverentia tantisper conjuges corporum conjunctione non utantur: quod in veteri disciplina Patres Carthaginenses statuerunt (*c*). Mediis autem sæculis ejus abstinentiæ ratione turpis quæstus invaluit; nam in quibusdam Ecclesiis Presbyteri obtentu servandæ disciplinæ pecunias exigebant, ut maturius usum conjugii indulgerent, quod Chardonius observat (*d*).

Effectus Matrimonii.

§. XXV. Plures autem justarum nuptiarum effectus sunt, qui vel ex ipsa conjugii natura, vel ex civili jure, vel Sacramenti religione dimanant. In primis per Matrimonium conjuges fiunt duo in carne una, & alter in alterius corpus jus adquirit: debentque propterea sibi invicem mutuam quodammodo servitutem ad liberos procreandos & incontinentiæ remedium, ut etsi alteri perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu id præstare non possit (*e*). Liberi quoque nascuntur legitimi & in patris potestate, si vel maxime Matrimonium nullum est, bona tamen fide & publice initum (*f*), errore etiam juris interveniente (*g*). Porro per Matrimonii Sacramentum conjugibus gratia confertur, qua mutuus eorum amor adjuvatur, fides Matrimonii sustinetur, & Matrimonii & familiæ onera evadunt leviora. Sane Patres passim docent per sacerdotalem benedictionem nuptias sanctificari (*h*). Et in specie Chrysostomus affirmat, Sacerdotum precibus & benedictionibus concordiam conjugii constringi, amorem sponsi augeri, & puellæ continentiam crescere,

(*a*) Aug. de Bono conjugal. cap. ult.
(*b*) Trid. sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 1.
(*c*) Can. V. cap. 30. q. 5.
(*d*) Chardon. Histoire du mariage chap. 2. art. 3.
(*e*) Aug. de Bono conjug. cap. 6.
(*f*) Cap. 2. & 11. ext. Qui filii sint legitimi.
(*g*) Lib. 57. §. 1. D. de Ritu nuptiar.
(*h*) Ambros. ep. LXX.

cere, & ab ea familia omnes diaboli insidias fugari (*a*). Hinc merito se imparem putabat Tertullianus ad enarrandam ejus conjugii felicitatem, *quod Ecclesia conciliat & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater ratum habet* (*b*).

Cœlibatus apud christianos status perfectior matrimonio.

§. XXVI. Jam vero nuptiæ quidem bonæ sunt, utpote quæ Deum habent auctorem, & humani generis propagationem spectat; at in christiana religione iis virginitas & impollutus cœlibatus, tanquam majus bonum, præferuntur. Et erravit profecto Jovinianus, qui nuptias ita laudabat, ut eas virginitati aut continentiæ vel anteponeret vel æquaret: quem errorem Lutherani & Calviniani innovarunt. Sane Apostolus edixit, bene quidem eum facere, qui virginem suam matrimonio jungit, melius vero qui non jungit (*c*). Et deinde christiana religio tendit ad spem futurorum; & quo magis à terrenis homines soluti sunt, eo melius cœlestibus vacabunt (*d*). His accedit consensus veterum Patrum, in primis Tertulliani, Cypriani & Fulgentii, qui cœlibes fere ipsis angelis veluti exæquant (*e*). Nec dicant homines profani, virginitatem repugnare ipsi hominum naturæ, impetu & organis ad generationem donatæ: nam concupiscentia carnis potius ex peccato, quam ex natura est (*f*): nec qui organis ad generationem donantur, omnes jure naturæ tenentur ea organa in usum deducere, nisi commoda occasio ad nuptias se offerat: & qui spiritualium amore tenentur, nullam sibi commodam occasionem ad nuptias arbitrantur. Illud interim verissimum est, cœlibatum non nisi excellentibus animis convenire (*g*) nec ad tantum virtutis apicem sine gratiæ dono homines posse contendere. Quo autem omnibus liberum esset bonis meliora præferre, christiani Principes pœnas cœlibatus abrogarunt (*h*): qua in re non videntur male reipublicæ consuluisse: etenim ubi aliæ rationes & physicæ & morales in republica promovent civium multitudinem, impollutus non multorum cœlibatus tantum abest, ut civium numerosæ proli obsit, ut potius toti civitati ad aliorum institutionem utilis esse possit.

Qualis sit obligatio ad contrahendum matrimonium.

§. XXVII. Satis aucto humano genere non omnes ad generationem habiles jure naturæ ad nuptias ineundas obligantur, modo qui du-

(*a*) Chrysost. hom. XLVIII in Genes.
(*b*) Tertull. ad uxor. lib. 2. cap. 9.
(*c*) 1. ad Cor. VII. 38.
(*d*) 1. ad Cor. VII. 32. & seqq.
(*e*) Tertull ad uxorem lib. 1. Cyprian. lib. de Habitu virginum, Fulgent. ep. III. ad Probam. cap. 10.
(*f*) Conf. Drouven. de Re sacrament. lib. 9. q. 2. cap. 2.
(*g*) Gregor. Papa III. Can. XVIII. cap. 32. q. 7.
(*h*) L. 1. C. de Infirmand. pœn. cœlib.

duxerint abstinere, impollute abstineant: quod pluribus probat Pufendorfius (*a*): non desunt enim, qui ferundo familiæ & educationis filiorum oneri impares sunt, alii vero, qui cœlibes utiliores cæteris hominibus esse possunt. Interim apud gentes in primis eas, quæ ad belli gloriam vel opes quam maximas comparandas adspirabant, nuptiæ præmiis & honoribus promotæ & inculcatæ, & cœlibatus pœnis & ignominiæ obnoxius: spectabat enim ad civitatum finem civium augere multitudinem: quod Persarum, Græcorum, Romanorum aliarumque gentium institutis Heineccius (*b*) probat. Imo Judæi ex principiis religionis suæ liberorum multitudini favebant, eorumque numerum reputabant benedictionem. Præsertim hoc nomine inclaruerunt Romani, qui inde usque ab urbis exordio curarunt, ut civitas civium numero affiueret: quo spectavit lex Julia Papia Poppæa *de maritandis ordinibus*, quæ præmiis nuptias & liberorum numerum promovit, pœnis obstrinxit cœlibatum & orbitatem, tantumque cives ad nuptias ineundas non coegit. Ubi vigebant hujus generis civilia instituta, tenebantur cives ad nuptias contrahendas, nisi præmiis nuptiarum carere & pœnas cœlibatus subire vellent: nec enim coactio ad matrimonium directa erat, quæ nuptiarum indoli videtur adversari. Verum apud christianos obligatio ad nuptias contrahendas singulos non adstringit: quin potius qui dono cœlibatus donantur, melius faciunt, si procul à nuptiis Deo animum & corpus suum consecrent. Et merito pro religione sua Constantinus M. pœnas cœlibatus sustulit; nec permisit, ut meliore conditione essent nuptiis adligati, quam qui propter Deum cœlibem vitam elegissent (*c*): quo jure deinceps christiani semper usi sunt.

Quid matrimonium conscientiæ, & quatenus concedendum.

§. XXVIII. Quæres fortasse, utrum *matrimonia conscientiæ*, ut appellantur, legitima sint, & permitti debeant? Matrimonii conscientiæ nomine venit apud catholicos conjugium, quod ex indulgentia omissis denuntiationibus coram Parocho & duobus fidis testibus clam omnibus aliis contrahitur ea mente, ut aliis non manifestetur: fortasse quod alterius conjugis dignitatis interest occultum esse. Hoc matrimonium utpote ex forma ecclesiastica initum clandestini vitio non censetur laborare: at multis incommodis obruitur. Uxoris & liberorum status non adeo certus est, præsertim si Parochus & testes mortui sint; filii non recte institui & educari possunt; in Canonum fraudem conjugati beneficium ecclesiasticum, quo incapaces sunt, sæpe retinebunt: & filiifamilias invitis parentibus indignas nuptias contrahent. Quare Benedictus XIV. edi-

(*a*) Pufendorf. de Jure nat. & gent. lib 6. cap. 1. §. 7.
(*b*) Heinec. ad L. Juliam & Papiam lib. 1. cap. 2.
(*c*) L. 1. C. de Infirm. pœn. cœlib., Sozom. lib. 1. cap. 9.

edita decretali tantum ex legitima & gravi causa & personarum qualitate inspecta conscientiæ matrimonium ab Episcopo permitti voluit, eique ad incommoda evitanda certam formam dedit (*a*). Nempe Minister ab Episcopo deputari debet alterius contrahentium Parochus, qui pro prudentia sua par tanto muneri videatur, & ex gravi causa alius Sacerdos doctrina & sanctitate insignis, quæ antequam matrimonium contrahatur, desponsos admoneat, quæ sint eorum erga filios nascituros officia. Porro duo libri conficiendi sunt, qui bene clausi & obsignati in curia episcopali asserventur, in quorum uno describantur ejusmodi matrimonia, altero filiorum baptismata: uterque liber non est aperiendus, nisi alia id genus matrimonia & baptismata describenda sint, aut si justitiæ administrandæ necessitas urgeat, aut si ii, quorum interest, documenta petant, nec aliæ suppetant probationes. Nati quoque filii à patre, aut, eo mortuo, à matre spatio triginta dierum à nativitate Episcopo denuntiandi sunt, alias silentii fides rumpitur, & matrimonium publicatur, ne arcani fides servata aliis damno sit. Hæc est summa decretalis, quæ regia auctoritate apud nos publicata est, modo his matrimoniis, quod spectat ad effectus civiles, regiæ potestatis jura non lædantur.

CAPUT XXVIII.

De iis qui nuptias contrahere vetantur.

Quid impedimentum dirimens, *quid* impediens?

§. I. Non omnes inter se inire possunt nuptias; matrimonium enim à natura ad hominum propagationem institutum certis regulis regitur, quæ inter quasdam personas illud omnino nullum faciunt, & reipsa contractum, tanquam initio nullum, dirimunt; aut tantum impediunt, quominus contrahatur, sed contractum non solvunt. Hinc matrimonii impedimenta duplicis generis exorta, *dirimentia* nempe & *impedientia*, ut appellantur. Impedimenti dirimentis nomine passim intelligunt quidquid matrimonium jure nullum reddit: quo sensu errorem circa personam alterius contrahentis, metum gravem, & proprii Parochi ac testium absentiam inter impedimenta dirimentia recensent. Nos vero strictius impedimentum dirimens accipimus, id nempe quo homines inhabiles ad nuptias redduntur, easque, etsi velint, contrahere nequeunt, quales profecto non sunt, qui errant, & qui metu contrahunt, & qui clam Parocho ac testibus nuptias attentant; hi enim ad matrimonium contrahendum inhabiles non sunt: & si nullum est eorum matrimonium, id fit, quia errantes & metu coac-

(*a*) Benedic. XIV. bull. Satis vobis XXXV. tom. 1. Bullar.

coacti illud contrahere nolunt, clam vero contrahentes legitimam formam non servant. Similiter impedimenta impedientia nobis sunt, quæ ratione qualitatis personæ adhærentis nuptias illicitas tantum faciunt, sed contractas non solvunt. Satis ampla est hæc tractatio, eamque, qua late patet, pertractare instituti nostri ratio non permittit: quare tantum ea, quæ præsentis usus sunt, proponemus, ita tamen ut singula à suis initiis & rationibus deriventur.

Jus Principum constituendi impedimenta dirimentia.

§. II. Proveniunt autem omnia matrimonii impedimenta aut jure naturæ, aut jure divino, quod dicunt *positivum*, aut legibus Principum, aut sacris Canonibus. Est enim matrimonium non tantum naturæ institutum, verum etiam contractus civilis & christianum Sacramentum. Et quod spectat ad leges civiles, in compertis est, summis Imperantibus jus esse, quo homines ad nuptias inhabiles prorsus reddant. Civilis potestas eo spectat, ut civitas tranquilla & beata consistat. Hinc civilis potestas pro potestate sua dirigit contractus omnes, ut ad civitatis bonum tendant, & præsertim matrimonia, quæ civitatis fundamentum sunt. Certe summi Imperantes inter ethnicos omni tempore nuptiarum curam habuerunt, & multis legibus edixerunt, quatenus cives eas contrahere oporteret. Eodem prorsus jure donantur christiani Principes; inest enim summo imperio potestas in omnes contractus: nec religio Sacramenti nuptiis addita humanum contractum immutavit, quin potius ut idoneam materiam supponit. Qua in re theologi ferme omnes in primis B. Thomas, Ambrosius Catharinus, Petrus Soto, Thomas Sanchez, Genetus aliique conveniunt: qui omnes docent, inesse civili imperio potestatem ad dirigendum contractum matrimonii, & impedimenta, quæ illud dirimant, statuenda (*a*). Et re ipsa christiani Imperatores & deinceps reliqui Reges legibus suis varia nuptiarum impedimenta dirimentia constituerunt; gradus cognationis & affinitatis, in quibus matrimonium contrahi non posset, finierunt; rescriptis suis interdicta matrimonia contrahi permiserunt (*b*), & totius contractus curam ad se pertinere professi sunt. Hinc & communi theologorum sententiæ & universæ antiquitati adversatur Basilius Pontius (*c*), qui docet, Christum, quando matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit, jus omne Principibus ademisse.

An ejus juris usum Principes retineant?

§. III. Cæterum in eo inter nostros theologos non convenit, utrum christiani Principes retineant adhuc usum potestatis, qua impedimenta matrimonium dirimentia statuant. Post Petrum Soto (*a*) contendit Gerbesius (*b*) doctor Sorbonicus, ex pietate & religione, atque adeo Principum cessione solam Ecclesiam statuere impedimenta, quibus matrimonia dirimantur. Contra alii in primis Petrus Ledesma, Eligius Bassæus, Guillelmus Estius, Tomas Sanchez (*c*) aliique affirmant, Ecclesiam auctoritate sua id jus, abrogata Principum potestate, sibi vindicasse & reservasse. Et demum post multos alios theologos Jo. Launojus docet (*d*), nec Principes unquam abjecisse potestatem & usum instituendorum impedimentorum, quibus matrimonia dirimantur, nec jure illo unquam ab Ecclesia fuisse privatos. Quod ad me attinet, lubens agnosco, christianos Principes nunquam expresso aliquo edicto usum regiæ potestatis in matrimonium abjecisse (usum inquam, nam ipsa potestas indivulsa cohæret summo imperio); nec per Ecclesiam aliquo decreto usu suæ potestatis fuisse privatos: nulla enim extant talis cessionis aut reservationis monumenta: quæ enim afferuntur pro abrogata Principum potestate in matrimonium, id non asserunt, quod Launojus pluribus probat (*e*). Et deinde quî poterat Ecclesia usu regiæ potestatis in matrimonii contractum Principes spoliare, quando potestas ecclesiastica tota spiritualis est? Porro S. Thomas de civili potestate in matrimonium ita loquitur, quasi ejus usus staret adhuc penes Principes; inquit enim in libris contra gentes (*f*): *Matrimonium in quantum ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis*: quod idem plures alii aperte profitentur. Et quamvis idem S. Thomas alibi doceat (*g*), *prohibitionem legis humanæ non sufficere ad impedimenta matrimonii, nisi intervenerit Ecclesiæ auctoritas hoc idem prohibentis*; tamen potior esse debet doctrina, quam senior factus & eruditior in summa contra gentes proponit. Interim à multis sæculis rariora cœperunt esse Principum edicta, quæ de vinculo matrimonii statuant, sive quod ii religioni sibi ducerent ea de re, quæ magnum erat in Ecclesia Sacramentum, leges ferre, sive quod sua interesse viderent cum Episcopis non disceptare. Hinc factum, ut posteriori ætate quibusdam matrimoniis, quæ Ecclesia rata habet, aliqui Principes effectus civiles denegarint: & absurdum videri potest, id in Ecclesia esse Sacramentum, quod in civitate illegitimum censetur.

Ec-

(*a*) Conf. Launojus de Reg. in matrim. potest. part. 1. art. 1.
(*b*) L. un. C. Si nuptiæ ex rescripto petantur.
(*c*) Pontius lib. 6. de Matrim. cap. 2.

(*a*) Petrus Soto lect. 4. de Matrimonio.
(*b*) Gerbes. in tract. de Potest. Eccles. & Princ. super impedim. matr. Gallice edito.
(*c*) Ledesma Theol. moral. cap. 11., Bassæus in Floribus theol. moral., Estius in lib. 4. Sentent. dist. 34. §. 1. Thom. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 3.
(*d*) Launojus de Regia in matrim potest. part. 1. art. 2.
(*e*) Launojus loc. cit. cap. 3. & seqq.
(*f*) S Thomas lib. 4. contra gentes cap. 78.
(*g*) S. Thomas in 4. dist. 42. art. 2. ad 4.

Ecclesia etiam constituit impedimenta dirimentia.

§. IV. Potestate quoque dirigendi & ordinandi matrimonii, ut ad finem religionis tendat, donatur Ecclesia: matrimonii enim contractum ad Sacramenti dignitatem Christus evexit: & in Sacramenta soli Ecclesiæ potestas competit. Et re ipsa omni tempore Ecclesia regulas edidit, ut fideles in Domino & ex forma religionis nuptias inirent. Verum ex sententia Christiani Lupi (*a*) per plura sæcula regulæ istæ tantum Sacramenti religionem, non naturam & vim contractus spectarunt. *Posterioribus duntaxat sæculis*, sunt ejus verba, *Ecclesia fuit nacta istam potestatem* (statuendi nempe impedimenta dirimentia): *hinc antiqui Patres & Canones raro istorum impedimentorum, utpote ad suam potestatem non spectantium, ex professo meminerunt.* Et constat sane Ecclesiæ Patres adire summos Imperantes consuevisse, ubi legem matrimonii vinculum spectantem edendam judicabant, ut exemplo esse possunt Concilii Milevitani Patres, quos inter magnus Augustinus; hi enim edito Canone & pœnitentia imposita, *ne dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjugatur, sed ita maneant, aut sibi reconcilientur*, addiderunt, ea de re *legem imperialem petendam promulgari* (*b*). Temporis lapsu Sacramentum Matrimonii, quod civili contractui innitebatur, principale judicatum est, & contractum ipsum veluti sibi subjecit: atque ita consuetudine quadam invaluit, ut etiam Ecclesia de contractus vinculo ediceret: quod jus sæculo sexto cœpit, inde sensim crevit, & sæculo XII. per integrum Occidentem receptum erat. Hinc Ecclesia civilia matrimonii impedimenta variis modis auxit, temperavit, abrogavit, & hinc causæ de vi matrimonii ad Ecclesiam delatæ. Qua recepta disciplina Gratianus à Canone Milevitano detraxit verba *in qua causa legem imperialem petendam promulgari* (*c*): nec enim alias illum aliis Canonibus convenire posse putavit. Et demum juri à multis sæculis recepto convenienter Tridentini Patres anathema iis dixerunt, qui negabant, Ecclesiam non potuisse impedimenta matrimonium dirimentia constituere (*d*).

Impuberes inhabiles ad nuptias.

§. V. Jure naturæ in primis nuptias non contrahunt impuberes, hoc est, qui tenero adhuc corpore sunt, & impetu ad venerem destituti, sive unus, sive ambo impuberes sint; & reipsa contractæ nuptiæ nullæ sunt. Contrahuntur nuptiæ ad genus humanum nova prole locupletandum; atque ideo inepti ad rem uxoriam quî nuptias

(*a*) Christ. Lupus dissert. de Latinor. Episcopor. & Clericor. continentia cap. 10. tom. 4. schol. E. V.
(*b*) Cod Eccles. Afric. Can. CII.
(*c*) Can. V. cap 23. q 7.
(*d*) Trid. sess. XXIV. de Sacram. Matrim. Can. IV.

contrahent? Pro regionum varietate homines citius aut tardius pubescunt. At jure Romano feminæ annis duodecim impletis viripotentes sunt, mares vero annis quatuordecim itidem impletis puberes censentur (*a*): quam ætatem in maribus primus Justinianus certam dixit: nam ante ea de re inter jurisconsultos non conveniebat (*b*). Primis sæculis de ætate ad nuptias idonea sollicita Ecclesia non videtur fuisse, quod cognitio illa ad curam legum civilium spectaret. Inde Pontifices sententiam juris civilis admiserunt (*c*), nisi malitia suppleat ætatem (*d*), hoc est, nisi natura præcox vim generandi prævertat. Itaque nullæ sunt impuberum nuptiæ; nisi quis ab ætate legitima parum absit, & ex habitu corporis pubes appareat, cujus rei judicium ad Episcopum spectat (*e*). Quod si puellæ etiam duodecim annis minores apud Romanos domum duci consueverint, id non justas nuptias arguit, sed potius ea ratione factum est, ut rudes & castos mores ad maritum deferrent; nuptiæ vero demum legitima ætate censebantur, quod Pomponius docet (*f*). Et quamvis impuberes post septennium possent præsentibus nuptiis, sed futuræ conjunctioni consentire; injustum tamen visum est, valere obligationem, cujus onus non adhuc sentitur. Statim à pubertate justæ quidem sunt nuptiæ; at in recte constitutis imperiis & familiæ & civitati expedit, ut in maturiorem ætatem differantur. Senum effœtorum, vel juvenis cum anu effœta tolerantur potius, quam probantur matrimonia, eaque *honoraria*, quasi nomine tenus matrimonia, dici posse Pufendorffius (*g*) observat.

Impotentes inhabiles ad nuptias.

§. VI. Non contrahunt quoque ex naturæ institutis nuptias ætate majores, qui impotentes sunt ad concubitum. Impotentia in ætate majoribus est vel ex vitio naturæ & causa intrinseca, vel ex accidenti. Vitio naturæ impotentes sunt mares debilis frigidiorisque naturæ, & feminæ adeo arctæ, ut virum pati nequeant, & tales proprie appellantur *frigidi*. Ex accidenti vero frigent mares, quibus exsecta sunt vasa ad concubitum necessaria, quique ope dæmonum & incantationibus inepti facti sunt ad rem uxoriam, & hi postremi proprie dicuntur *maleficiati*. Scilicet antiqua sententia est, etiam apud ethnicos recepta, posse venereum impetum incantationibus & susurris magicis infringi, quod Chardonius (*h*) probat; etsi alio-

(*a*) Pr. tit. Instit. quibus modis tutela finitur.
(*b*) Ulp. fragm. XI. §. 28.
(*c*) Cap. 2. 10. 11. ext. de Despons. impub.
(*d*) Cap. 9. & 14. ext. eod.
(*e*) Bened. XIV. bull. *Magnæ nobis* LI. tom. 2. Bullar.
(*f*) L. 4. D. de Ritu nuptiar.
(*g*) Pufendorf. de Jur... lib. 6. cap. 1. §. 25.
(*h*) Chardon. Histoire du mariage chap. 14.

alioquin dubitandum non videatur, sæpe ex naturalibus causis & phantasiæ vitio jacere in frigido lecto, qui se maleficiatos putant. Frigida matrimonia jure naturæ nulla sunt: sive ambo conjuges, sive unus tantum frigeat, modo impotentia sive omnimoda, sive tantum respectu præsentis conjugis perpetua sit & immedicabilis (*a*): idque verum est etiamsi unius conjugis impotentia alteri cognita sit (*b*); nullum enim esse potest matrimonium, ubi concubitus nullus est, nec potest esse. Quapropter si reipsa frigidum matrimonium contractum fuerit, dirimetur, modo conjuges non velint tanquam fratres & sorores cohabitare (*c*): abrogata enim est disciplina sæculo XII. in Ecclesia Romana recepta, quæ frigidos conjuges veluti fratres & sorores cohabitare cogebat (*d*). Ante separationem vero de perpetua impotentia constare debet; idque fit legitimo judicio, in quo etiam partium pudendarum inspectio in decretalibus probatur (*e*). Et quando impotentia dubia est, triennium continuum à die nuptiarum ad explorandas vires datur: quo exacto si impotentia persistat, conjugium separatur, & potenti seu utrisque, si impotentia est tantum respectu præsentis conjugis, novum matrimonium contrahere conceditur (*f*). Quod si separato per impotentiam naturalem conjugio impotens aptus fiat, conjugium in integrum restituitur, etsi alter ad novas nuptias convolaverit (*g*); non vero si impotentia ex maleficio erat (*h*). Cujus discriminis hanc tradunt rationem, quod sublato naturali vitio conjux etiam priori conjugi aptus habetur, contra incantatus etsi cum aliis rei uxoriæ aptus sit, non tamen idem præstare posse creditur cum uxore, cujus causa defixus est. Ab impotentibus distant spadones stricte sic dicti, qui ob temporariam causam frigent; eorum enim nuptiæ, quod vitium temporarium est, legitimæ sunt, nec separantur. Quid de castratis & eunuchis, qui testes exsectos, vel attritos habent? Jure Romano illegitimæ erant castratorum nuptiæ, sed contractæ non solvebantur, quod Heineccius observat (*i*). At constitutione Leonis philosophi eorum nuptiæ omnino irritæ in Oriente factæ sunt (*k*), quod Sixtus V. etiam in Occidente decrevit.

Computatio graduum civilis & canonica.

§. VII. Porro jure naturæ in certis gradibus matrimonia vetantur

(*a*) Cap. 4. & 5. ext. de Frigid. & malefic.
(*b*) Cit. cap. 4.
(*c*) Cap. 5. ext. eod.
(*d*) Cap. 3. de Frig. & malefic. in 1. compil.
(*e*) Cap. 6. & seq. ext. de Frig. & malefic.
(*f*) Cap. 5. & 7. ext. eod.
(*g*) Cit. cap. 5. & cap. 6. ext. eod.
(*h*) Can. ult. C. 33. q. 1. Confer. Franc. Florens in cit. Grat. loc.
(*i*) Heinecc. ad L. Jul. & Papiam lib. 2. cap. 3. n. 4.
(*k*) Novell. XCVIII.

tur inter cognatos & affines. Cognatio proprie sic dicta est proximitas inter eos, qui per generationem ab uno communi stipite descendunt, sive ex justis nuptiis, sive ex alio licito vel illicito congressu proveniat. Constat autem cognatio lineis, lineæ vero gradus habent suos. Linea est series personarum à communi stipite descendentium: eaque vel recta est, quæ genitores & genitos exhibet; vel transversa in qua ex latere conjuncti continentur: qui si æquo gradu distent à stipite communi, transversa æqualis est, si unus altero remotior sit, inæqualis appellatur. Gradus est distantia cognatorum, quæ à communi stipite æstimatur. Jure civili una & perpetua regula in omnibus lineis gradus computantur, *semper generata persona gradum adjicit* (*a*), seu tot sunt gradus, quot generationes. Sic pater & filius uno gradu distant, quia una generatio est: duo fratres in secundo gradu, patruus & nepos in tertio, quia in fratribus à commune stipite duæ, in patruo & nepote tres sunt generationes. In linea recta ex civili regula Canones gradus metiuntur, nisi quod loco generationum personas usurpant, & ita tot numerant gradus, quot personas una demta, nempe stipite; sed in transversa ab jure civili Canones distant: etenim in transversa æquali collaterales eo gradu sunt inter se, quo stipite communi: sed in inæquali, eo gradu inter se distant, quo remotior à stipite. Valet autem ecclesiastica computatio tantum in matrimoniis: nam in hæreditatibus adhuc ex regula civili gradus æstimantur.

Quî & quando recepta canonica computatio.

§. VIII. Per plura sæcula Ecclesia, utpote in imperio nata gradus ex civilium legum sententia numerasse videtur: quæ Cujacii, Espenii aliorumque virorum doctissimorum opinio est. Sane Ambrosius (*b*) fratres patrueles quarto gradu, & avunculum & neptem tertio gradu inter se sociari affirmat, quæ ipsissima civilis computatio est. Servat adhuc Ecclesia Græca, antiquorum rituum tenacissima, civilem graduum computationem. At Ecclesia Latina à multis sæculis in linea transversa diversam computandi rationem usurpat, qua duæ generationes ex latere æquales unum gradum conficiunt. Cœpit octavo sæculo hæc nova computandi methodus (*c*), eique quædam Gregorii M. verba male intellecta occasionem videntur præbuisse. Gregorius nempe *secundam, tertiam & quartam generationem* memorat, & in secunda generatione patrueles seu consobrinos collocat (*d*). Atque ita conclusum, patrueles aut consobrinos esse in secundo gradu, quæ ecclesiastica computatio est. Sed Gregorius erat le-

(*a*) §. 7. Inst. civil. de Gradib. cognator.
(*b*) Ambros. ep. LX. ad Paternum.
(*c*) Conc. Wermeriense an. 742. Can. 1. Conc. Compediens. circ. an. 756. Can. 1.
(*d*) Greg. M. ad Aug. Anglor. Episcopum cap. 6.

legum civilium observantissimus, nec ab earum sententia sine necessitate videtur recessisse. Potius videtur in gradibus computandis truncum in fratribus collocasse, quod mediis sæculis multi in primis Isidorus Hispalensis (*a*) faciebant. Et ita verbis tantum non sententia distabat Pontifex ab jure civili: nam patrueles, qui sunt secundo gradu in fratribus stipite posito, certe sunt in quarto, si ab avo computatio incipiatur. Longo post tempore qui stipitem in avo ponebant, fortasse putarunt eadem methodo Gregorium usum, & ita civilem computationem reliquisse, & gradus computasse, quasi duæ ex latere generationes unum gradum conficerent. Hinc inducta canonica graduum computandi ratio, quæ sensim crevit: tandem vero generatim apud Latinos in matrimoniis sæculo XI. recepta est, postquam Petrus Damianus eam contra Ravennates jurisconsultos asseruit (*b*), eamque Synodus Romana sub Alexandro II. confirmavit (*c*).

Jure naturæ & civili quæ nuptiæ incestæ inter cognatos.

§. IX. Jam vero in linea recta seu inter generantes & genitos nuptiæ omnino incestæ & nefariæ sunt, quod jus ex lege naturæ derivatur: naturalis enim pudor & jura inter cognatos per naturam statuta, quæ pugnant cum officiis inter conjuges, tales nuptias contrahere vetant. Et procul dubio per degenerem & ferinam educationem exuisse humanitatem videntur gentes illæ, quibus fas *erat implere parentem*, ut Lucani verbis utar (*d*), seu quibus licita erant inter parentes & filios matrimonia (*e*). Romani autem, ut erant honestatis observantissimi, eas nuptias semper veluti jure gentium incestas damnarunt (*f*). In linea transversa etiam naturalis pudor, sed non tantus, videtur vetare nuptias inter fratres & sorores; etsi apud plerasque gentes fratres sororibus suis conjungerentur, & quidem etiam ex principiis religionis. Jure Romano semper inter fratres & sorores nuptiæ vetitæ sunt; & in linea transversa inæquali nuptiæ vetabantur inter patruum, aut avunculum & neptem hujusque filiam, & inter amitam aut materteram & nepotem hujusque filium (*g*): qui omnes erant loco parentum & liberorum. Nuptiæ vero inter patrueles & consobrinos jure antiquo Romano non vetabantur (*h*). Primus Theodosius M. nuptias consobrinorum interdixit: *tantum pudori tribuens & continentiæ* inquit de eo Aurelius Victor (*i*). Sed Ar-

(*a*) Can. I. c. 35. q. 5.
(*b*) Petrus Damian. de Parentelæ gradibus.
(*c*) Can. II. c. 35. q. 5.
(*d*) Lucan. lib. 7. v. 409.
(*e*) Conf. Grotius de l. B. ac P. lib. 2. cap. 5. §. 12. n. 2. & seqq.
(*f*) L. ult. D. de Ritu nupt. Conf. Gerard. Noodt in cit. tit. DD.
(*g*) §. 3. Inst. tit. de Nuptiis.
(*h*) Aug. lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. Confer. Christophor. Riccius in Vindiciis juris cap. 3.
(*i*) Aurel. Victor Epitome histor.

Arcadius revocata pristini juris auctoritate legem patris sustulit (*a*): & similiter Justinianus consobrinorum nuptias permisit (*b*). Et quamquam jus ab Arcadio restitutum & ab Justiniano confirmatum Sirmondius in dubium revocet, & Jo. Launojus Arcadii legem tantum non explodat; tamen verius est, hos Imperatores nuptias inter consobrinos restituisse, quod Jac. Gothofredus & Everardus Otto plenissime demonstrant.

Jure canonico olim nuptiæ etiam septimo gradu vetitæ.

§. X. Quod vero spectat ad Ecclesiam, ea in contrahendis matrimoniis & naturæ instituta & leges civiles diu secuta est. Ergo in linea recta nuptiæ in infinitum inter christianos vetitæ sunt. Et ante Theodosium M. nuptiæ consobrinorum inter christianos non erant interdictæ, quod Augustinus testatur (*c*). Inde jus Theodosianum semper servavit Ecclesia, nihil morata leges Arcadii aut Justiniani, quibus consobrinorum matrimonia restituta essent (*d*). Imo in Ecclesiis Occidentis latius extensa est nuptiarum inter collaterales prohibitio, nempe usque ad septimum gradum: quod jus post sæculum septimum induci cœpit. Cavit Concilium Romanum an. ıɔccxxı. sub Gregorio II., ut nullus de propria cognatione uxorem accipiat (*e*): quod jus ex Levitico repetitum videtur, ubi Deus edicit, *nullus homo ad proximam sanguinis sui accedat, & revelet turpitudinem ejus* (*f*); jamdiu enim consueverant Patres, leges civiles Judæorum in Ecclesiam invehere. Inde solliciti esse cœperunt Episcopi, quousque cognatio extenderetur, iisque præsto fuisse videtur Julius Paulus, qui successionis gradus septem constituit (*g*). Atque inde receptum, cognationem usque ad septimum gradum extendi, & in eo nuptias etiam ex latere esse interdictas, etsi non omnibus Ecclesiis hujusmodi interdictio servaretur. Quamvis in hoc Episcopi veram sententiam jurisconsulti non videntur adsecuti: ille enim septem cognationis gradus constituit, non quod ultra septimum gradum cognatio non extenderetur, sed potius *quia ulterius per rerum naturam nec nomina inveniri, nec vita succedentibus propagari potest* (*h*); & notum alias est, jure civili etiam ulterius cognationem extendi (*i*), & adgnatis ultra septimum gradum deferri hereditatem (*k*). In-

(*a*) L. 19. C. de Nuptiis.
(*b*) §. 4. Instit. de Nuptiis.
(*c*) Aug. lib. 15. de Civit. Dei cap. 16.
(*d*) Greg. M. ad Augustin. Anglor. Episcopum cap. 6.
(*e*) Conc. Roman. Can. IX.
(*f*) Lev. XVII. v. 6.
(*g*) Paulus lib. 4. Sentent. tit. 2.
(*h*) Paul. loc. cit. §. 8.
(*i*) §. 7. Inst. civil. de grad. cogn.
(*k*) §. 5. Inst. civil. de sucess. cogn.

Inde prohibitio ad quartum gradum restricta.

§. XI. Quo primum tempore prohibitio nuptiarum per Canones ad septimum ex latere gradum extensa est, ex sententia juris civilis Ecclesia gradus computabat; nam ex gradu civili successionis, quem ad septimum gradum extendi putabat, cognationem metiebatur (*a*). Inde recepta canonica graduum computatione, & retenta eadem nuptiarum prohibitione, nuptiæ inter conjunctos ex latere usque ad decimumquartum gradum ex civili computatione interdictæ sunt: quod jus sæculo XII. & in cognatione & in adfinitate receptum fuisse videtur (*b*). Tam vero patens nuptiarum prohibitio incommodo erat reipublicæ & Ecclesiæ, quod nuptias admodum difficiles reddidisset. Ergo Innocentius III. in Concilio generali tam vagam prohibitionem restrinxit, statuitque, ut tantum usque ad quartum consanguinitatis gradum deinceps nuptiæ vetarentur (*c*). Cujus juris hanc rationem dedit, *quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis*. Inadæquata profecto ratio: nec novum est, etiam summos jurisconsultos ineptas legum rationes assignare. Certe Julius Paulus (*d*) rationem reddens, cur partus septimestres maturi essent, id ea ratione dixit evenire, *quia ratio Pythagorei numeri* (nimirum septenarii, qui magnæ virtutis habebatur inter Pythagoricos) *hoc videtur admittere*. Et apud Ulpianum ratio, cur cæcus à postulando repellatur, hæc assignatur, *quod insignia magistratus videre & revereri non possit* (*e*). Nisi Summus Pontifex subtilius philosophatus sit ex quatuor elementorum doctrina, ex quibus omnia fieri, moveri & tandem mutari veteres credebant: quasi nempe gyro quatuor generationum elementa omnia, unde emergebat cognatio, prorsus evanescerent, & ita cognatio extingueretur.

Civilis cognatio etiam nuptias nullas facit.

§. XII. Præter cognationem ex sanguine exortam duæ aliæ cognationis species ad nuptias inhabiles faciunt contrahentes, cognatio nempe *civilis* seu *legalis*, *& spiritualis*. Et quod spectat ad cognationem civilem, ea est ab adoptione, quæ apud omnes fere gentes recepta, nullibi tamen tam frequens fuit, quam apud Romanos. Erat adoptio actio legis seu actus legitimus, quo qui natura filius non est, in jura filii adsciscitur. Inventa est imitatione naturæ ad familias & adgnationes propagandas & sustinendas: filiusque adoptatus jus adgnationis in familia patris adoptantis conse-

(*a*) Can. I. c. 35. q. 2.
(*b*) Cap. 1. de Consanguin. in 1. collect. ap. Ant. August.
(*c*) Cap. 8. ext. eod.
(*d*) Paulus lib. 4. Sentent. tit. 9. §. 5.
(*e*) L. 1. §. 5. D. de Postulando.

sequebatur. Hinc adoptati in familiam patris adoptantis transibant, & ita omnibus ejus adgnatis cognati censebantur, quod Julius Paulus (*a*) tradit. Itaque nefariæ visæ sunt nuptiæ inter adoptantem & filiam adoptatam, & generatim inter omnes, qui in linea recta per adoptionem parentum & liberorum loco essent (*b*). Item filius naturalis nec sororem adoptivam (*c*), nec amitam, nec amitam magnam adoptivam uxorem ducere potest (*d*). Sed non eodem modo inter omnes per adoptionem conjunctos nuptiæ vetitæ sunt: etenim inter eos, qui parentum & liberorum loco in linea recta erant, etiam dissoluta adoptione nuptiæ non erant (*e*): quamvis enim per emancipationem jura omnia adoptionis solverentur; tamen sancta & perpetua esse debet reverentia inter eos, qui semel parentum & liberorum loco fuerunt. Inter eos vero, qui per adoptionem ex latere conjunguntur, quousque durat adoptio nuptiæ prohibentur, eaque soluta recte contrahi possunt (*f*). Et quoniam in nuptiis etiam id quod honestum erat, Romani attendebant, eæ etiam vetitæ sunt inter filium adoptatum & uxorem, aut matrem, aut materteram patris adoptantis (*g*); etsi hæ omnes extra familiam essent, nec adgnatæ filio adoptivo. Ex integro impedimentum civilis cognationis ab jure Romano Ecclesia recepit, nec in eo aliquid mutavit (*h*). Et hinc Cujacius affirmat, civilem fraternitatem etiam hodie dirimens impedimentum constituere, nimirum stante adoptione (*i*).

Cognatio spiritualis nuptias dirimit.

§. XIII. Cognatio spiritualis est necessitudo inter certas personas ex Baptismi & Confirmationis datione, aut eorum, qui baptizantur, & confirmantur, susceptione exorta. Antiqua ex Ecclesiæ doctrina, qua veluti pater spiritualis censebatur, qui alicui Baptismum dederat, aut eum in fide instituerat & de sacro fonte susceperat (*k*): per Baptismum enim homines in novam vitam renascuntur. Sed cognatio ista olim nuptiis non erat impedimento, adeo ut ipsi parentes filios suos de Baptismo susciperent (*l*). Primus Justinianus statuit, ne quis ex Baptismo susceptam uxorem duceret; idque quia nihil magis paternam affectionem & nuptiarum prohibitionem posset inducere, quam hujusmodi nexus, quo eorum animæ Dei

(*a*) L. 23. D. de Adoptionib.
(*b*) §. 1. Inst. de Nuptiis, L. 55. D. de Ritu nuptiar.
(*c*) §. 2. Inst. eod., L. 17. de Ritu nuptiar.
(*d*) Cit. L. 17. §. 2.
(*e*) Cit. §. 1. Inst., cit. L. 55. pr.
(*f*) Cit. §. 2. Inst., cit L. 55. §. 1.
(*g*) L. 14. D. de Ritu nuptiar., cit. L. 55. §. 1.
(*h*) Can. VI. cap. 30. q. 3., cap. un. ext. de Cogn. legali.
(*i*) Cujac. in tit. Decretal. de Cogn. legali.
(*k*) Origen. ad Rom. XVI. 12., Basil. in const. monast. cap. 30. auctor ecclesiast. hierarch. cap. 7.
(*l*) Aug. ep. XCVIII. ad Bonif., Conf. super, dicta cap. 7. §. 13.

Dei causa copulatæ sunt (*a*). Inde Nicolaus I. exemplo adoptionis spiritualem cognationem veluti nuptiarum impedimentum proposuit & inculcavit (*b*) : quæ argumentatio fortasse minus recta est: filii enim spirituales in familiam sponsoris non transeunt. Quidquid vero hujus rei sit, sæculo septimo & sequentibus in utraque Ecclesia sensim ad alias personas fere ad instar consanguinitatis & adoptionis impedimentum ex spirituali cognatione extensum est: quod sponte sua debuit evenire ex sententia ejus ætatis, qua *spiritualis affinitas corporum conjunctione major* reputabatur: quam rationem Trullani Patres & Nicolaus Papa proponunt (*c*). Itaque vetitæ sunt nuptiæ inter suscipientem & susceptam hujusque parentes (*d*): inter filium naturalem suscipientis & filiam spiritualem, quia frater & soror esse videbantur (*e*), & in multis Ecclesiis filii omnes naturales suscipientis etiam cum fratribus & sororibus suscepti jungi matrimonio vetabantur (*f*), quasi per cognationem spiritualem in unam duæ familiæ compingerentur. Quin si solus maritus ex sacro fonte suscepisset, ejus uxor etiam commater censebatur. Et postquam nuptiæ sunt inter suscipientem & baptizati parentes, Canones etiam vetuerunt, ne parentes filios suos de Baptismo susciperent (*g*). Cognatio ista spiritualis etiam ex Confirmatione matrimoniis erat impedimento; postquam enim Confirmatio seorsim à Baptismo dari cœpit, etiam proprii sponsores in Confirmatione adhibiti sunt. Sic extensa spiritualis cognatio nuptias difficiles reddebat, quin etiam contingebat, ut in casibus vetitis per ignorantiam inirentur. Hinc Tridentini Patres impedimentum cognationis spiritualis restrinxerunt, ac ita eam contrahi voluerunt tantum inter suscipientes ac baptizatum ipsum & hujus patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum hujusque patrem & matrem (*h*): quod jus etiam in Confirmatione valere voluerunt.

Quid affinitas, ejusque natura.

§. XIV. Hactenus de cognatione, dicendum nunc de affinitate, quæ etiam nuptiis impedimento est, & contractas dissolvit. Jure civili affinitas est necessitudo inter conjugem unum & alterius cognatos; ita dicta quod duæ cognationes diversæ per nuptias copulantur, & altera ad alterius finem, qui maritus vel uxor est, accedit (*i*). Ex nuptiis apud Romanos ortam esse affinitatem Modestinus docet (*k*): per nuptias enim vir & mulier veluti unum fiunt; quo

(*a*) L. 26. C. de Nuptiis.
(*b*) Can. I. c. 30. q. 3.
(*c*) Conc. Trullan. Can. LVII., cit. Can. I.
(*d*) Cit. Can. Trullan., capitul. Reg. Francor. lib. 6. cap. 421. edit. Baluzii.
(*e*) Can. I. c. 30. q. 8. Can. III. eod.
(*f*) Cap. 1. ext. de Cognat. spirit.
(*g*) Conc. Moguntinum an. DCCCXIII. Can. LV.
(*h*) Trid. sess. XXIV. de Reform. matrim. cap. 2.
(*i*) Lib. 4. §. 3. de Gradib. & affin.
(*k*) Cit. lib. 4. §. 3.

quo fit, ut vinculo isto utrinque cum iis etiam eorum cognati copulentur. Sed jure Decretalium affinitas ex quacunque etiam illicita carnis commistione nascitur (*a*): atque ita per quamcunque copulam una cognatio ad alterius finem accedit. Quin ex nuptiis exorta affinitas triplicis generis erat ex triplicibus gradatim contractis nuptiis (*b*). Etenim primæ nuptiæ cognatos viri affines primi generis uxori faciebant, quæ est proprie sic dicta affinitas: inde si superstes vidua ad secundas nuptias transiret, hic secundus maritus affinis secundi generis cognatis primi viri erat: & demum muliere mortua, si ejus superstes maritus aliam uxorem duceret, hæc tertii generis affinis cognatis primi viri censebatur. Affinitas ex illicita conjunctione Romanis incognita fuit; at secundum affinitatis genus saltem in linea recta apud Romanos etiam obtinuit (*c*). At jure canonico etiam inter collaterales secundum & tertium genus affinitatis inductum est, cui affinitatis extensioni fortasse falsa Fabiani Papæ Decretalis (*d*) præbuit occasionem. Semel autem contracta affinitas etiam dissolutis nuptiis perseverat; qua in re novum civile jus & Canones conveniunt. Etenim antiquo Romanorum & aliarum gentium jure affinitas solutis nuptiis solvebatur: quod Reinoldus, Noodt & in primis Heineccius probant (*e*). Quod vero affines ab affinibus non generantur, nulli proprie gradus inter eos sunt (*f*): at exemplo cognationis etiam quasi gradus affinitatis recepti sunt: & ita quo gradu quis est cognatus viro, eo est affinis uxori, & contra (*g*). Quin demonstrandæ rei gratia, affinitatis etiam lineam rectam & transversam distinguunt exemplo cognationis, cujus simulacrum est.

Prohibitio nuptiarum inter affines.

§. XV. Jure gentium non minus quam civili nuptiæ in linea recta affinitatis in infinitum prohibitæ sunt: est enim quidam naturalis pudor, qui inter socerum & nurum, inter novercam & privignum aliosque adscendentes & descendentes affines nuptias vetet: hi scilicet per affinitatem veluti parentes & liberi facti sunt. Hinc Cicero quum socrum genero nupsisse narrasset, subdit (*h*), *o mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam, in omni vita inauditum!* Et Apostolus tale stuprum ne inter gentes quidem nominari ait, ut quis uxorem patris sui habeat (*i*). Sed inter affines ex latere ju-

(*a*) Cap. 8. & seq. ext. de eo, qui cognovit consanguin.
(*b*) Conf. Cujac. ad tit decretal. de consanguin. & affinit.
(*c*) L. 15. D. de Ritu nuptiar.
(*d*) Can. III. c. 35. q. 2. & 3.
(*e*) Reinold. variar. cap. 24., Noodt ad tit. DD. de Ritu nuptiar., Heinec. ad L. Jul. & Papiam. lib. 2. cap. 17.
(*f*) L. 4. §. 5. D. de Gradib. & affinib.
(*g*) Can. III. cap. 35. q. 2. & 3.
(*h*) Tull. orat. pro Cluentio cap. 6.
(*i*) 1. ad Cor. V. 1.

jure Romano neque frater uxorem defuncti fratris ducere, nec vicissim soror marito sororis defunctæ nubere potest, quoniam per affinitatem inter se veluti fratres & sorores reputantur (a). Primis sæculis etiam in affinitate civile impedimentum Ecclesia secuta videtur; at inde impedimento cognationis ad septimum ex latere gradum extenso; etiam affinitas usque ad septimum ex latere gradum nuptiis fuit impedimento: quod non secus ac in cognatione difficiles nuptias faciebat, præsertim quando gradus ex canonica regula cœperunt computari. Ergo Innocentius III. in Concilio generali abrogatis duabus posterioribus affinitatis speciebus, nuptias inter affines ex latere tantum usque ad quartum gradum canonicæ computationis fieri interdixit (b). Et inde Tridentini Patres affinitatem ex illegitima conjunctione ad secundum gradum restrinxerunt (c).

Publica honestas etiam nuptias nullas facit.

§. XVI. Quasi affinitas, seu publica honestas etiam nuptiis impedimento est, easque contractas dissolvit. Nomine publicæ honestatis venit proximitas ex sponsalibus & ex matrimonio rato, nec consummato contracta. Inhonestum nempe visum est, ut dissolutis sponsalibus, aut matrimonio rato, cum sponsæ aut uxoris consanguineis nuptias contraham. Jure Romano publica honestas inducta erat, sed in sponsalibus tantum inter filium & sponsam patris, & patrem & filii sponsam (d): nec ejus matrem, quam sponsam habui, licebat uxorem ducere (e). Inter has personas omnino nuptiæ non consistebant, nec recte post Theophilum, Jac. Gothofredum aliosque summus Mazochius contendit, honestate tenus, non necessitate nuptias vetitas fuisse (f); idque presertim quod Tribonianus *rectius & jure facturos* eos ait qui ab ejusmodi nuptiis abstinuerint (g). Sed *τό rectius* idem est ac recte; sæpe enim in latinis monumentis & libris juris comparativa positive significant, cujus locutionis passim prostant exempla, sed unum tantum addo, quod rem conficere videtur. Eos qui sunt ultra fratres *melius* facere, ait Ulpianus (h), si querela inofficiosi abstineant, quod obtinere spem non habeant; ubi *melius* idem est ac bene. Per plura sæcula etiam in publica honestate Ecclesia Principum leges secuta est: at post sæculum septimum in Ecclesia impedimentum hoc ad septimum ex latere gradum extensum est: quod jus habent falsæ Decretales (i). Sed

(a) L. 5. 8. & seq. C. de Incest. nupt.
(b) Cap. 8. ext. de Consang. & affinit.
(c) Trid sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 4.
(d) L. 12. §. 1. 2. D. de Ritu nuptiar.
(e) L. 14. §. 4. eod.
(f) Mazoch. diatr. 1. in Can. LIV. Conc. Illiberit. n. 15. addita dissert. Muscettulæ.
(g) §. 9. Inst. de nuptiis.
(h) L. 1. D. de Inofficioso.
(i) Can. XV. cap. 27. q. 2.

Sed post Concilium Lateranense sub Innocentio III., quo consanguinitas & affinitas ex latere gradu quarto inclusæ sunt, etiam publica honestas eo gradu coerceri cœpit. Ex sponsalibus autem nascebatur honestas, si *pura & certa* essent, idest sine conditione & cum determinata persona, licet quavis ratione invalida, modo non essent nulla ex defectu consensus (a). Et tandem jure Concilii Tridentini honestas ex sponsalibus quacunque ratione nullis sublata est, ex validis primum gradum non excedit (b).

Inhabiles ad novas nuptias conjugati.

§. XVII. Inhabiles quoque sunt ad novas nuptias contrahendas, qui adhuc pristino conjugio adligantur: quod *ligaminis* impedimentum solent appellare. Certe rectæ rationi & familiis convenientius est, ut una mulier uni tantum viro matrimonio conjungatur (c). Et deinde sic institutum à Deo matrimonium est, ut duo sint in carne una (d): quæ institutio polygamiæ adversatur. Recepta quidem fuit pluralitas uxorum apud plerosque populos in primis Judæos; & nunc obtinet etiam apud Orientales: quibus moribus receptis unam habenti uxorem alias ducere non est impedimento. Sed apud Romanos polygamia ferme ignota, eoque nomine Romani barbaros deridebant, quod Sallustius (e) testatur. Et Ecclesia primævæ institutioni innixa polygamiam semper damnavit, idque etiam eo nomine quod Sacramentum conjunctionis Christum inter & Ecclesiam, quod matrimonio continetur, pluribus acceptis uxoribus nullum est. Itaque apud christianos non licet secundas nuptias contrahere, nisi ante de conjugis morte nuntio constet, quod in Canonibus Basilii comprehensum est (f), & à Clemente III. confirmatum (g): atque ita abrogatum est jus civile, quo uxori militis, quæ post quatuor annos nullum sospitatis viri indicium haberet, & de desiderio suo ducem convenisset, novas nuptias contrahere licebat (h).

Nuptiæ inter servos jamdiu receptæ.

§. XVIII. Nullæ porro sunt nuptiæ, quas liberi cum servabus, quas putant esse liberas, contrahunt. Jure civili tantum cives Romani justas nuptias inibant (i); & servi, qui potius res quam homines censebantur, nuptias non contrahebant (k), sed ex consensu do-

(a) Cap. un. de Sponsal. in 6.
(b) Trid. sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 3.
(c) Conf. Pufendorf. de Jur. nat. & gent. lib. 6. cap. 1. §. 19.
(d) Genes. II. 24.
(e) Sallust. de bello Jugurth.
(f) Basil. Can. XXXI. & XXXVI.
(g) Cap. 19. ext. de Sponsalib.
(h) L. 7 C. de Repudiis.
(i) Pr. tit. Inst. de Nuptiis, lib. 3. C. de Incest. nupt.
(k) L. 14. §. 3. D. de Ritu nuptiar., Ulpian. frag. tit. 5. §. 9.

dominorum sibi alias conservas conjungebant: quæ servorum conjunctiones Romanis *contubernia* dicebantur, erantque conjugia naturalia effectibus civilibus destituta. Ecclesia in imperio nata longo tempore inter servos, aut inter servos & liberos legitimas nuptias non adgnovit, sed tantum conturbernia, matrimonia nempe, quæ tantum jure naturali sustinerentur, civilibus effectibus omnino destituta, eaque ex dominorum voluntate contrahi voluit (*a*), & aliter contracta fornicationis loco antiquis Patribus erant (*b*). Hinc servorum conjugia Ecclesia per hierologiam non consecrabat, etsi de voluntate dominorum celebrarentur: nuptias enim non contubernia ad Sacramenti dignitatem Christus elevavit. Sed lapsu temporis contubernia servorum sensim in rata matrimonia abierunt, & invitis etiam dominis contracta sunt (*c*): quin etiam admissæ sunt legitimæ nuptiæ hominis liberi cum serva, modo ille conjugis conditionem non ignorasset (*d*). Contigit tanta mutatio ex principiis christianæ religionis, quæ habent, apud Deum non esse personarum distinctionem (*e*). Quanquam haud scio, an verissima alioquin doctrina debuisset adeo extendi, ut civium ordines confunderet. Et ne aliquid matrimoniis servorum deesset, eis etiam sacerdotalis benedictio accessit: quod in Occidente sæculo XII. inductum videtur (*f*), qua de re plura Carolus Blascus habet (*g*). Unum tantum ex antiqua disciplina superest, quod nullum est matrimonium, si quis liber ignorans contrahat cum serva, licet error qualitatis sit: quod jus ex Canonibus sub nomine Concilii apud Vermeriam Gratianus exculpsit (*h*), & inde Pontifices secuti sunt (*i*).

Raptus quando nuptias nullas facit.

§. XIX. Item nullum est matrimonium inter raptorem & raptam. Raptus est abductio puellæ per vim aut dolum facta, sive ipsa invita sit, sive ipsa consentiat, parentibus invitis; vis enim etiam parentibus fieri intelligitur, dum puellæ, quæ sub patris potestate sunt, rapiuntur. Primis Ecclesiæ sæculis videntur constitisse nuptiæ inter raptorem & raptam, si hæc nulli esset desponsata, & inde ipsa ejusque parentes nuptiis consentirent: quod ex Canonibus vulgo dictis apostolicis & Ancyranis constat (*k*). Inde Justinianus statuit, ne unquam rapta raptori matrimonio conjungatur, et-

(*a*) Can. VII. c. 29. q. 2.
(*b*) Basilius ep. canonic. ad Amphiloch. 22.
(*c*) Cap. I. ext. de Conjugio servor.
(*d*) Can. II. IV. & seq. c. 29. q. 2.
(*e*) Can. I. & II. eod.
(*f*) Cit. cap. I. ext.
(*g*) Blascus epist. in Can. *fraternitatis* D. 34.
(*h*) Grat. ad Can. VI. c. 29 q. 2.
(*i*) Cap. fin. ext. de Conjugio servor.
(*k*) Can. apostol. LXVI. Conc. Ancyr. Can. XI.

etsi rapta ejusque parentes consentirent (*a*): atque ita perpetuo inhabiles ad nuptias inter se contrahendas raptor & rapta facti sunt: quod idem jus Regum Francorum Capitularia confirmarunt (*b*). Justum visum est, ei in perpetuum denegare uxorem, quam hostili more & nuptiis adverso sibi conjungere studuit. Hoc jus Ecclesia occidentalis & orientalis post Justinianum amplexa est, & multis Canonibus edixit, ut mulieres raptæ nullatenus raptoribus suis nubant, etsi postmodum & ipsæ raptæ & parentes consentiant (*c*). Sed sæculo decimo in Occidente hoc impedimentum cœpit relaxari, & tandem inter raptorem & raptam concessum fuit matrimonium, si rapta inde raptori consentiret, *si prior dissensio*, inquit Innocentius III. (*d*), *transeat postmodum in consensum*. Civilis potestas eo tempore in Occidente in tot exiguos dominos & dynastas discerpta... tracta impotens contra raptores evaserat. Quoniam vero quandiu rapta in potestate raptoris existit, non videtur sponte in nuptias consentire, statuerunt Tridentini Patres, tum valere inter raptorem & raptam nuptias, si hæc à raptore separata & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit (*e*). Itaque ex præsenti disciplina raptor & rapta eo tantum tempore sunt inhabiles ad nuptias, quo rapta apud raptorem moratur.

Adulteri quibus casibus inhabiles ad nuptias.

§. XX. Porro inhabiles ad nuptias inter se contrahendas sunt adulter & adultera, si eorum alter innocentis conjugis vitæ insidias paraverit ineundi cum adultero matrimonii causa, vel si post adulterium vivo adhuc alterius conjuge de futuris nuptiis sibi mutuo fidem dederint. Jure Romano inter adulterum & adulteram omnimodo nuptiæ interdictæ sunt (*f*). Quod jus per plura sæcula servavit Ecclesia (*g*). Ex qua juris civilis & Ecclesiæ veteris sententia scripsit Augustinus *marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit* (*h*); quæ verba negatione omissa perperam apud Gratianum exhibentur (*i*). Generale jus, quo nullæ inter adulterum & adulteram erant nuptiæ, stetit usque ad Gratiani prædicti tempora, cujus opera atque arbitrio ad duos casus speciales restrictum est, si nempè adulteri in mortem defuncti conjugis aliquid machinati sint, & si vivente alterius conjuge sibi futurum matrimonium promiserint: quas restrictiones Gratianus ex male intellectis duobus Canonibus, uno Conci-

(*a*) L. unic. C. de Raptu virg.
(*b*) Capit, Reg. Franc. VI. cap. 69.
(*c*) Can. XI. cap. 36. q. 2.
(*d*) Cap. 7. ext. de Raptorib.
(*e*) Trid. sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 6.
(*f*) Lib. 11. §. 11. & L. 40. ad L. Juliam de Adul., Novell. CXXXIV.
(*g*) Conf. Anton. Aug. Epitom. lib. 27. tit. 21.
(*h*) Aug. lib. 1. de Nupt. & concupisc. cap. 10.
(*i*) Can. II. cap. 31. q. 1.

cilii Meldensis, quem ipse Triburiensi assignat, altero Concilii Triburiensis commentus est (*a*). Synodus Meldensis adultero, qui spe contrahendi cum adultera conjugium, alterius conjugem occidit, *sine ulla spe conjugii* perpetuam irrogat pœnitentiam (*b*): quod statutum est ex disciplina ejus ætatis, quæ peccatoribus enormibus omnino denegabat nuptias; nec erat ad solas inter adulterum & adulteram nuptias restringendum, & præterea nescio an homicidium conjugis ad ejus machinationem recte extendi poterat. Et Synodus Triburiensis ex generali regula, quæ inter adulterum & adulteram nullum faciebat matrimonium, peculiarem casum damnavit, matrimonium nempe cujusdam viri, qui alterius conjugi stuprum intulerat, juraveratque, se illam post mariti sui obitum uxorem ducturum (*c*). Fragmentum Canonis, quo species Patribus proposita ejusque decisio continentur, prout apud Burchardum & Ivonem extabat, omissa regula, Gratianus scripsit: & hinc conclusit, per adulterium nullas esse nuptias in casu à Patribus Triburiensibus proposito. Inde recepto Gratiani opere ex Canonibus ab eo relatis, quin & ex ipsius doctrina res canonica stimari cœpit, adeo ut ex hoc fonte etiam ipsi Pontifices saperent. Ita invaluit nuptias inter adulterum & adulteram tum nullas esse, si eorum alter in mortem conjugis aliquid machinatus sit ad nefarias nuptias contrahendas, aut si matrimonium sibi promiserint demum post mortem conjugis contrahendum, secundum quam doctrinam Pontifices responderunt (*d*).

Etiam homicidium aliquando nuptias nullas facit.

§. XXI. Item nec mulier illi nubere potest, qui maritum ejus interfecit, si & ipsa in mariti mortem conspiravit. Sane rescripsit Cælestinus III. non posse christianas mulieres iis Saracenis nubere, qui earum dolis & insidiis maritos occiderunt, etsi Saraceni viduarum studio ad fidem accesserint, quum tale damnum tali lucro Ecclesia nolit compensare (*e*). Hoc jus ex Concilii Triburiensis Canone Pontifex proposuit: at sub ejus Concilii nomine nulla extat regula, qua interdicatur homicidæ ducere mulierem, cujus maritum ipsa etiam conspirante morti dedit. Fortasse spectavit Pontifex ad Canonem quendam Concilii Meldensis, quem sub nomine Concilii Triburiensis Gratianus retulit, ubi statuitur, ut si vir aut mulier admisso adulterio suum conjugem occiderint, sine ulla spe conjugii perpetuam agant pœnitentiam (*f*). Quidquid vero hujus rei sit, si unius conjugis homicidium non in finem contrahendi matrimo-

(*a*) Grat. ad Can. III. cap. 31. q. 1.
(*b*) Conc. Mel. an. 845. c. 69. ap. Grat. Can. V. eod.
(*c*) Conc. Triburiense an. 895. Can. XL. ap. Grat. Can. IV. eod.
(*d*) Cap. 3. & seqq. ext. de eo qui duxit in matrimon.
(*e*) Cap. 1. ext. de Convers. infidel.
(*f*) Can. V. cap. 31. q. 1.

monii admittatur (*a*), aut quidem si in eum finem admissum sit, sed adultero conjuge inscio (*b*), matrimonium non infirmatur.

Inter fideles & infideles nuptiæ non sunt.

§. XXII. Nuptiis quoque jungi vetatur fidelis cum infideli, veluti ethnico & Judæo: quod impedimentum *cultus disparitatem* nostri dicunt. Inde usque à primis sæculis nefas christianis fuit, nuptias cum ethnicis inire: quo nonnulli Patres (*c*) Apostoli sententiam referebant, quæ viduis nuptias, sed *tantum in Domino* permittit. Sane cum ethnicis nuptiæ christianis officiis erant impedimento, & fidelem apostasiæ objiciebant: quin ex sententia Cypriani fideles matrimonio ethnicis juncti membra Christi ethnicis prostituebant (*d*). Nec tantum cum ethnicis; verum etiam cum Judæis & hæreticis nuptias contrahere christiani vetabantur, nisi illi vel se christianos fieri, vel ad catholicam fidem transire promitterent (*e*). Cæterum si vetitas istas nuptias christiani attentarent, tantum violatæ disciplinæ rei erant, & pœnitentiæ subdebantur; at nuptiæ consistebant, quod Chardonius multis probat (*f*). Quin in Africa Augustini ætate ethnico nubere non videbatur esse peccatum, & ipse Augustinus tenebat, nullum esse in novo testamento præceptum, quo tales nuptiæ interdicerentur (*g*). Primum edicto Valentiniani & Theodosii Imperatorum nuptiæ inter Judæos & Christianos irritæ factæ sunt (*h*): at nuptiæ cum ethnicis & hæreticis etiam sequentibus sæculis validæ fuerunt. Cui sententiæ non obstat lex Valentiniani & Valentis (*i*), qua nullum declaratur matrimonium, quod feminæ provinciales cum barbaris & *gentilibus* contrahebant; *gentiles* enim in lege ista barbari sunt, qui apud Romanos militabant, quod Jac. Gothofredus demonstrat (*k*): atque ita Imperatores tantum jus Romanum, quo inter cives & peregrinos non erant connubia, declararunt. Successu temporis apud Græcos Synodus Trullana irritas decrevit inter fideles & hæreticos contractas nuptias (*l*). Et in Occidente sensim consuetudine invaluit, ut fidelium cum infidelibus nuptiæ non essent: quod jus sæculo XII. jam receptum erat. At valent apud Latinos nuptiæ cum hæreticis, etsi illicitæ & periculi plenæ sint. Qui enim in individuam vitæ consuetudinem possunt con-

(*a*) Cit. cap. 1.
(*b*) Cap. 3 ext. de eo qui duxit in matrim.
(*c*) Tertull. de Monag. cap. 7., Hieronym. ep. IX. ad Ageruchiam.
(*d*) Cypr. de Lapsis.
(*e*) Conc. Iliber Can. XVI. & seq., Agath. Can. LXVIII.
(*f*) Chardon. Histoire du mariage chap. 13.
(*g*) Aug. de Fide & operib. cap. 19.
(*h*) L. 6. C. de Judæis.
(*i*) L. un. C. Th. de Nupt. gentil.
(*k*) Jac. Gothofr. in cit. lib. un.
(*l*) Conc. Trull. Can. LXXII.

convenire, qui in fide erga Deum dissentiunt (*a*)?

Votum solemne castitatis nuptias dirimit.

§. XXIII. Porro monachi & regulares omnes solemni voto castitatis adstricti nuptias contrahere vetantur, & contractæ nullæ sunt. Per plura sæcula matrimonia monachorum & virginum, quæ se Deo dedicaverant etsi sacrilega & nefaria essent, non tamen erant invalida, quod Innocentii I., Augustini, Leonis M. aliorumque testimoniis constat (*b*). Et aperte Theodorus Cantuariensis, *si vir votum virginitatis habens adjungitur uxori, non dimittat uxorem, sed tribus annis pœniteat* (*c*). Sed sub finem sæculi sexti separari matrimonia monachorum, & monachi in monasterium ad pœnitentiam revocari cœperunt: quam disciplinam Gregorius M., Concilium Toletanum IV. an. IↃCXXXIII. & Triburense an. IↃCCCXCV. proponunt (*d*). Tandem in Concilio Romano sub Innocentio II. an. CIↃCXXXIX. aperte irrita facta sunt matrimonia, quæ Canonici regulares & monachi contra professam castitatem attentarent (*e*). Post hoc tempus distinctum est inter votum *solemne & simplex castitatis*, receptumque votum solemne irritas omnino facere nuptias contrahendas, simplex vero tantum eas impedire, non irritas facere. Cui disciplinæ præcipuam causam Gratianus præbuit. Scilicet nesciens alias monachus iste loca Augustini & Theodori cum Concilii Romani decreto, quæ omnia in suum codicem retulerat (*f*) in concordiam revocare, de more suo distinxit inter votum *simplex & solemne castitatis*, aitque Augustinum & Theodorum intelligi debere de voto simplici, Canonem vero Romanum de voto solemni: atque ita docuit, votum simplex castitatis irritum non facere matrimonium, bene vero votum solemne (*g*). Parum ad rem erat distinctio ista, apud antiquos enim etiam castitas solemni ratione Deo devota nullas nuptias non faciebat: nec unquam in veteribus monumentis vota sub epithetis *simplicis & solemnis* distinguuntur. Et quæ monumenta Gratiano contraria videbantur, re vera talia non erant, sed diversorum temporum sistebant disciplinam. Interim quod magni apud Latinos erat Gratianus, ab eo proposita doctrina recepta est, & secundum eam Pontifices responderunt, inhabiles esse ad nuptias, qui voto solemni castitatis, non qui simplici adstringerentur (*h*). Quin ex eadem doctrina in textum Theodori apud Gratia-

tia-

(*a*) Conf. Juenin. de Sacram. diss. X. q. 7. cap. 6. art. 3.
(*b*) Innocent. I. ep. ad Victricium Rothomog., Aug. de Bono viduitat. cap. 10.
(*c*) Theodor. in Pœnitentiali.
(*d*) Gregor. M. lib. 6. ep. IX., Conc. Tolet. IV. Can. LI., Conc. Triburiense Can. XXIII.
(*e*) Conc. Roman. sub Innocentio II. Can. VII.
(*f*) Can. XLI. & XLIII. & XL. c. 27 q. 1.
(*g*) Grat. ad cit. Can. XLIII. & ad Can. VIII. D. 27.
(*h*) Cap. 4. & seqq. ext. Qui Clerici vel voventes.

tianum (*a*) vox *simplex* irrepsit, ipso Theodoro & universa antiquitate invitis. Votum vero solemne castitatis, quod inhabiles ad nuptias facit, illud esse intelligitur, quod sacro ordini inest, & quod in probata religione emissum est, cætera simplicia sunt, idque ad dirimendas controversias, quæ hac de re frequentes erant, Bonifacius VIII. declaravit (*b*). Quod jus tandem Tridentini Patres confirmarunt (*c*).

Et sacer ordo.

§. XXIV. Monachis & regularibus affines sunt sacris ordinibus initiati, qui inhabiles etiam facti sunt ad nuptias contrahendas. Antiqua est Ecclesiæ latinæ disciplina, quæ majores Clericos omnino castos esse jubet, adeo ut nec eos uti permittat uxoribus, quas ante ordinationem duxerint: at in Oriente Hypodiaconi, Diaconi & Presbyteri uxoribus suis ante ordinationem ductis jungi non vetantur; non vero permittuntur post susceptos ordines nuptias inire, qua de re alio loco fuse disseruimus (*d*). Nullus interim ex veteribus Canonibus irritas dixit post ordinationem à Sacerdotibus & sacris Ministris attentatas nuptias (*e*). Sane antiqui Canones tantum deponunt Clericos, qui nuptias ineunt, non vero separandos decernunt, ut in Conciliis Neocæsariensi, Carthaginensi V., Arausicano I. (*f*) aliisque videre est; manifesto judicio nuptias sacrilegas, non irritas fuisse. Fortasse in Occidente primum in Concilio Lateranensi I. sub Calixto II. anno CIↃCXXIII. irrita facta sunt à majoribus Clericis attentata matrimonia (*g*): idemque statutum etiam est in Concilio Remensi (*h*), quod anno CIↃCXLVIII. sub Eugenio III. habitum est. Quod si Canon Lateranensis asserat, separari talia matrimonia *juxta sacrorum Canonum definitionem*, id de jure, quod sæculo decimo & sequenti moribus invaluerat, Jueninus interpretatur (*i*). Quoniam vero Clerici majores etiam solemni castitatis voto adstringuntur, hinc dubitatum est inter theologos, utrum ordo sacer matrimonium ex lege ecclesiastica, an ex voto nullum reddat, quæ quidem quæstio parum utilitatis habet: nec de ea finienda Tridentini Patres curarunt.

Impedimenta impedientia ex nova disciplina.

§. XXV. Tandem impedimenta, quæ matrimonium impediunt quidem, sed non dirimunt, paucis exponam. Ea ex præsenti discipli-

na

(*a*) Can. III. D. 27.
(*b*) Cap. un. de Voto in 6.
(*c*) Trid. sess. XXIV. de Sacram. Matrim. Can. IX.
(*d*) Part. 1. cap. 34.
(*e*) Conf. Juenin. de Sacram. diss. X. q. 7. cap. 8. art. 4.
(*f*) Conc. Neocæsar. Can. I., Carthag. V. Can. III., Arausic. I. Can. XXIII.
(*g*) Conc. Lateranens. I. Can. XXI.
(*h*) Conc. Remense Can. VII.
(*i*) Juenin. de Sacram. diss. X. q. 7. cap. 8. art. 4.

na sunt sponsalia, votum simplex castitatis, hæresis, & Ecclesiæ interdictum. Et sponsalibus quidem ex sacris Canonibus utrique sponso jus quæritur ad futuras nuptias: & hinc nequit alter contra fidem datam cum altera contrahere matrimonium (*a*); verum si reipsa contrahatur, valet (*b*): prorsus eodem modo, quo ejusdem rei venditio posterior, si traditio interveniat, priore venditione potior est (*c*). Voto quoque simplicis castitatis impediuntur, sed non dirimuntur nuptiæ (*d*). Est votum simplex castitatis, quod professio religionis probatæ, vel sacri ordinis susceptio solemne non fecit. Interim hujusmodi voto adstricti peccant graviter nuptias contrahentes, fidem enim Deo datam abrumpunt (*e*). Cum hæreticis quoque vetantur catholici nuptias contrahere, contractæ vero scelestæ quidem sunt, sed in Occidente non dirimuntur: quæ est antiqua Ecclesiæ disciplina. Et demum impediuntur nuptiæ, si Episcopus aut Parochus interdicit alicui contrahere matrimonium cum aliqua ob impedimentum, quod subesse creditur, donec de impedimento constet (*f*). Cæterum si interea matrimonium contrahatur, conjuges separantur, donec impedimenti cognitio finiatur (*g*). His addidit Benedictus XIV. doctrinæ christianæ ignorantiam, nec enim qui ignorant religionis principia, matrimonio jungendi sunt, donec ea didicerint (*h*). Scio passim alia numerari matrimonii impedimenta impedientia, veluti *tempus clausum*, quod appellant, denuntiationes matrimonio præmittendas, consensum parentum, atque hujus generis alia, sed nos sub alio adspectu ea recensuimus.

Olim plura alia impedimenta impedientia.

§. XXVI. In veteri disciplina erant plura alia impedimenta, quæ matrimonium impedirent, veluti diversitas cultus, vitæ monasticæ professio, sacer ordo, publica pœnitentia, & spiritualis cognatio ex catechismo. Et quod spectat ad pœnitentiam, apud Latinos à quarto sæculo publici pœnitentes nec matrimonium contrahebant (*i*), nec antea contracto utebantur (*k*). Deliciæ à nuptiis derivatæ non bene cum pœnitentia conveniebant. Quin eo severitatis evasit Latinorum pœnitentia, ut etiam post datam pacem reliquo vitæ tempore nec ad veteres nuptias redire, nec novas contrahere liceret: quod Siricius

(*a*) Can. L. c. 27. q. 2. cap. 10. & 17. ext. de Sponsalib.
(*b*) Cap. 31. ext. de Sponsalib.
(*c*) L. 15. Cod. de Rei vindicat.
(*d*) Cap. 3. & seqq. ext. Qui Clerici vel voventes.
(*e*) Conf. S. Thom. in 4. Sententiar. dist. 38. q. 1. art. 2.
(*f*) Cap. 1. & 2. ext. de Matrim. contrah. contra interd. Eccles.
(*g*) Cit. cap. 2.
(*h*) Benedic. XIV bull. *Etsi minime* XLII. §. 11. tom. 1. Bull.
(*i*) Conc. Arelat. II. Can. XXI.
(*k*) Ambros. de Pœnit. lib. 2. cap. 10.

cius Papa & Leo M. testantur (*a*). Quæ disciplina usque ad sæculum septimum stetit: inde pro criminibus occultis desueta publica pœnitentia, ne occultorum criminum rei debitis pœnis eximerentur, quod publicæ pœnitentiæ tribuebatur, in attrociora crimina transferri cœpit, ut recte Morinus observat (*b*). Hinc parricidis, occidentibus Episcopum, aut Præsbyterum, aut uxorem, aut maritum suum, adulteris, incestuosis, raptoribus, iisque, qui publicam pœnitentiam egissent, omni vitæ tempore nuptiæ interdictæ sunt. Qui mores usque ad sæculum XII. steterunt: quo tempore quum desinere cœpissent canonicæ pœnitentiæ, sensim impedimenta canonica propter crimina desierunt, quamvis in aliquibus Ecclesiis aliquid pristini moris supersit. Cognatio spiritualis ex catechismo olim nuptias impediebat, eaque contrahebatur per oblationem ad Baptismi scrutinia (*c*), in quibus etiam competentibus symbolum & oratio dominica tradebantur: eratque sponsor catechismi à Baptismi sponsore diversus nisi necessitas urgeret (*d*). Sed tandem scrutiniis ipsi dationi Baptismi adnexis, cognatio ex catechismo desiit, qua ratione ejus Tridentini Patres non meminerunt.

CAPUT XXIX.

De relaxandis matrimonii impedimentis.

Impedimenta matrimonii olim Principes relaxabant.

§. I. Qui inhabiles ad matrimonium jure humano facti sunt, tum demum illud possunt contrahere, si legitima auctoritate venia impedimenti fiat, & lex impedimentum statuens in proposita specie relaxetur: quod jamdiu recepta voce *dispensatio* dicitur. Veteri jure impedimenta dirimentia jure humano statuta Principum rescriptis relaxabantur, & vetitæ nuptiæ concedebantur, quod viri summi Jac. Gothofredus, Sirmondus & Launojus (*e*) docent. Sane inter tutorem & pupillam vetitæ nuptiæ rescripto Principum concedi solebant (*f*): quo eodem rescripto concedebantur etiam nuptiæ inter consobrinos, ut ex lege quadam Honorii & Theodosii constat (*g*). Idem etiam Ambrosius testatur his verbis, *sed dicis, alicui relaxatum*, hoc est rescripto Principis cum consobrina concessum matrimonium: *verum hoc legi*

(*a*) Siricius ep. I. cap. 5. ad Heimer. Tarrac., Leo M. ep. XCII. ad Rustic. Narbon. edit. Quesnel.
(*b*) Morin. de Pœnit. lib. 5. cap. 22.
(*c*) Cap. 5. ext. de Cognat. spirit., cap. 2. eod. in 6.
(*d*) Can. C. D. 4. de Consecrat.
(*e*) Gothofr. in l. un. C. Th. Si nuptiæ ex rescripto petantur, Sirmond. in epist. XXIV. lib. 5. Ennodii Ticinensis Launojus de Regia in matrim. potest. part. 1. art. 1. cap. 11.
(*f*) L. 7. C. de Interdict. matrim. inter pupill.
(*g*) Cit. L. un. C. Th. eod.

gi non præjudicat (*a*). Similiter Symmachus (*b*), *per epistolam summis precibus obsecravit, ut impetrata sacri auctoritate rescripti, filia ejus fratris sui filio copuletur, quod multis esse concessum manifesta testantur exempla.* Extant quoque apud Cassiodorum (*c*) binæ formulæ, quarum una Rex Theodoricus legitimum facit conjugium cujusdam nobilis, qui contra legum statuta mulierem plebejam duxerat; altera concedit nuptias inter consobrinos. Impedimenta dirimentia tum legibus Principum inducebantur, ac proinde Principis erat legem prohibentem relaxare, & nuptias vetitas indulgere.

Quæ potestas inde transiit ad Ecclesiam.

§. II. Hac stante Principum potestate, Ecclesiæ jus in permittendis vetitis nuptiis id profecto erat, ut pœnitentias à Canonibus propositas contra eos, qui vetitas nuptias contraxerant, aut in totum, aut pro parte remitteret, quod ex Concilio Chalcedonensi & Gregorio M. constat (*d*). Sed temporis lapsu potestas concedendi matrimonii inter eos, qui inhabiles jure humano sunt, ad Ecclesiam transiit: idque apud Latinos post sæculum XI. factum videtur, si vera observat Mariana (*e*): qui loquens de nuptiis Alfonsi Regis Castellæ cum Urraca consanguinea sua, id habet, *nondum moribus receptum erat* (sæculo XI.) *ut Pontificum Romanorum venia, lege cognationis soluta, conjugia inter cognatos coirent.* Postquam enim Matrimonii Sacramentum sibi subjecit contractum civilem & veluti occupavit, sponte sua factum, ut Ecclesia impedimenta relaxaret, ejusque juris fierent causæ omnes matrimoniales. Exercet autem potestatem concedendi matrimonii inter inhabiles fere tantum summus Pontifex: quando enim potestas ista ad Ecclesiam devoluta est, negotia ferme omnia ecclesiastica in consistorio Pontificis tractabantur. Interim aliquando jus est Episcopo veniam concedendi super occulto impedimento dirimente, si nempe matrimonium bona fide ex facti vel juris ignorantia coram Ecclesia contractum sit, & inde consummatum, & conjugum separatio sine offensione fieri non possit, nec apostolica indulgentia ob loci distantiam aliamve causam facilis sit (*f*). Sed impedimenta impedientia Episcopi relaxant, exceptis duobus, nempe eo quod provenit ex sponsalibus, & voto simplici puroque castitatis perpetuæ aut profitendi religionem (*g*).

Ratio ex mente Ecclesiæ impedimentorum relaxatio.

§. III. Quemadmodum vero in aliis disciplinæ articulis raro admo-

(*a*) Ambros. ep. LX. ad Paternum.
(*b*) Symmach. lib. 10. ep. 2.
(*c*) Cassiodor. lib. 7. Variar. cap. 6. n. 40. & 47.
(*d*) Conc. Chalced. Can. XVI., Gregor. M. lib. 1. ep. XXXIII.
(*e*) Mariana lib. 10. Histoir. cap. 8.
(*f*) Conf. N. Alexander lib. 2. Theol. de Matrim. cap. 4. art. 13. reg. 10.
(*g*) Conf. Bened. XIV. de Synod. diœces. lib. 9. cap. 2. n. 1.

modum Ecclesia à regulis Patrum discedebat, ita etiam raro concedebat vetita matrimonia. Prima salus etiam à Pontificibus habebatur, *rectam fidei regulam custodire, & à constitutionibus Patrum nullatenus deviare*, ut Hormisdas Summus Pontifex loquitur (*a*). Et recte observat Christianus Lupus, primas indulgentias impedimentorum dirimentium non fuisse ab Ecclesia data ad nuptias postea contrahendas, sed potius fuisse *male contracti matrimonii toleratrices dispensationes* (*b*): idque secundum antiquam disciplinam, quæ facilius remittere solebat Canonis jam infracti pœnam, quam veniam dare ad Canones infringendos. *Dispensationes prævias*, seu ad contrahendum futurum matrimonium, addit Lupus, *initiavit Alexander III., Innocentius III. ac ejus successores viam ampliarunt.* Præsertim vero invaluit facilitas relaxandi matrimonii impedimenta jure humano inducta, postquam cœperunt jurisperiti docere, Romanum Pontificem Canonibus etiam Conciliorum generalium non ligari. Interim Tridentini Patres parce admodum impedimenta ad contrahendas nuptias relaxari voluerunt, facilius vero si jam contractæ sint, modo bona fide & ignorantia, quæ omni culpa vacat, contractæ sint (*c*): quo decreto antiquam disciplinam restituere voluerunt. At etiam post hoc decretum facilis etiam fuit vetitarum nuptiarum concessio. Cæterum non omnia impedimenta dirimentia jure humano inducta facile solent relaxari, sed tantum ea, quæ sunt ex consanguinitate & affinitate in remotioribus gradibus, spirituali & civili cognatione, publica honestate & crimine adulterii nulla conspiratione in mortem conjugis facta. Reliqua vero impedimenta, & præsertim ex voto solemni castitatis aut sacri ordinis, raro admodum & ex causis gravioribus relaxantur.

Ex causa & gratis relaxanda impedimenta.

§. IV. Quo autem inter inhabiles recte nuptiæ permittantur, legitima & proba causa necessaria est: nec enim sine causa permittit Ecclesia Patrum statuta relaxari. Et in specie de relaxandis matrimonii impedimentis Tridentini Patres causam requirunt: *in contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam* (*d*). Causæ autem ad Canones relaxandos ex sententia B. Bernardi (*e*) duæ sunt, necessitas & utilitas: & utilitas quidem non privata, sed publica, quatenus majus bonum redundet in Ecclesiam venia Canonis concessa, quam ex ejusdem observantia. Verum pro concedendis nuptiis in re-

(*a*) Can. IX. c. 25. q. 1.
(*b*) Lupus schol. in Can. XI. Conc Remensis tom. 4. oper. E. V.
(*c*) Trid. sess XXIV. de Ref. matrim. cap. 5.
(*d*) Trid. sess. XXIV. de Ref. matrim. cap. 5.
(*e*) S. Bernardus lib. 3. de Considerat. cap. 10.

remotioribus gradibus lateralis cognationis & affinitatis, in impedimentis cognationis spiritualis & publicæ honestatis recte docent, non requiri publicam necessitatem aut utilitatem, sed sufficere privatam, qua bonum majus adsequuntur, vel majus malum evitant ipsi contrahentes: quam sententiam ipsi Tridentini Patres videntur confirmare. Latius enim productis cognationis & affinitatis impedimentis, faciliores in gradibus remotioribus videntur esse debere nuptiarum concessiones. Quæcunque vero sit causa relaxationis impedimenti, ea tum recta erit, si omnia ex fide bona exponantur: nam si quid falsum expositum sit, aut si quid veri reticeatur, quo fideliter exposito venia verosimiliter aut facile data non esset, nullius momenti erit impedimenti relaxatio (a). Cæterum Canonum & impedimentorum relaxationes gratis sunt concedendæ. Et ubi turpis lucri suspicio subest, satius est nihil recipere, quam recepta in pios usus expendere.

Quibus relaxationes impedimentorum committuntur.

§. V. Jam vero matrimonii impedimenta per Sedem Apostolicam relaxantur vel ante vel post contractas nuptias: & quidem duplici ratione, vel palam pro utroque foro, vel clam pro foro tantum interno, quoties impedimentum occultum est, nec facile potest innotescere. Pro utroque foro impedimenta per *datariam*, sive *secretariam brevium*, ut appellantur, sed pro foro interno per *pœnitentiariam* conceduntur. Et olim quidem impedimentorum relaxationes in curia Romana causa cognita & causis probatis *in forma gratiosa ut plurimum concedebantur*, Pyrrho Corrado teste (b). At praxis ista admodum difficilis erat: quo factum, ut Concilii Tridentini tempore sine ulla causarum notitia & probatione vetitas nuptias Romana curia concederet. Ergo Concilii Tridentini decreto (c) nova praxis invaluit, qua impedimentorum relaxationes pro utroque foro Ordinariis eorum, qui eas impetraverint, committuntur, ut auctoritate apostolica post causarum probationem vetitarum nuptiarum veniam faciant. Nomine *Ordinarii* ex praxi Romanæ curiæ & Episcopus & ejus Vicarius generalis venit: & si Vicario nominatim relaxationes demandentur, non poterit Episcopus exequi mandatum: quæ praxis ex eo proculdubio invaluit, quod creditum est, jus relaxandi impedimenta matrimonium dirimentia uni tantum Pontifici competere, nec posse Episcopos eo jure uti. Item delegatio facta Episcopo vel ejus officiali, sede vacante ad collegium Ecclesiæ cathedralis non devolvitur: quin nec solet Romana curia sede vacante hoc jus capituli Vicario demandare; sed in hoc casu Episcopo viciniori, aut ejus Vicario generali relaxationes committit; idque factum

(a) Cap. 20. ext. de Rescript., const. 45. Benedicti XIV. tom. 1. Bullarii.
(b) Pyrrhus Corrad lib. 7. Prax. dispensat. cap. 1. n. 1.
(c) Trid. sess. XXII. de Ref. cap. 5.

tum ajunt, quod Summus Pontifex Vicarii capituli fidem dubiam habeat. At quæ pro foro interno conceduntur relaxationes, uni Sacerdoti ad confessiones excipiendas deputato, qui sit in theologia magister vel sacrorum Canonum doctor, per oratorem eligendo committuntur (a).

CAPUT XXX.

De divortiis.

Definitio divortii.

§. I. Nomine *divortii* jure Romano venit legitima vinculi matrimonialis solutio vivente utroque conjuge facta, qua peracta alias nuptias inire licet: dictumque est divortium vel à diversitate mentium, vel quia in diversas partes eunt, qui dirimunt matrimonium (b). Alio nomine nuptiarum solutio *repudium* dicebatur, eoque repudium distabat à divortio, quod hoc inter virum & uxorem fieri dicebatur, repudium vero & sponsæ & uxori mittebatur. *Divortium*, inquit Modestinus jurisconsultus (c), *inter virum & uxorem fieri dicitur: repudium vero sponsæ remitti videtur, quod in uxoris personam non absurde cadit.* Sed jure canonico amplior est divortii significatio, eo enim non solum intelligitur ipsa vinculi matrimonialis jam contracti solutio, verum etiam separatio tori & habitationis ad tempus vel in perpetuum, quæ integro matrimonii vinculo contingit. Quapropter causæ divortii cum causis, quibus initio matrimonium nullum est, non confundendæ: etenim ubi conjuges divertunt, matrimonium jam contractum est: contra vero si nuptiæ inter inhabiles celebratæ separentur, nullum divortium intercedit, sed tantum declaratur, initio nullum fuisse matrimonium. Veteres multas divortii causas, pauciora vero impedimenta habuerunt, contra quam quod præsentibus moribus receptum est.

Matrimonium jure naturæ individuum.

§. II. Matrimonium origine & natura sua videtur esse societas individua inter maritum & uxorem, quæ ferme sola morte alterutrius dividatur. Sane Deus dum hanc conjunctionem instituit, mulierem ex costa viri condidit, eamque viro in adjutorium dedit, & ut duo in una carne essent (d), hoc est arcta & perpetua affinitate conjuncti. Cui institutioni natura ipsa matrimonii consonat. Contrahitur matrimonium ad liberorum generationem & educationem.

(a) Conf. Espen. art. 1. tit. 23. cap. 3.
(b) L. 2. D. de Divortiis.
(c) L. 101. §. 1. de V. S.
(d) Genes. II. 21. & seqq.

nem. Mulieres autem ferme iterum concipere solent, longe antequam jam nati filii in eo statu sint, ut propria quadra vivere possint. Quo fit, ut vir individua vitæ consuetudine cum muliere vivere debeat, quousque filii omnes majores sint, nec amplius institutione & alimentis parentum indigeant. Et in hoc societas matrimonialis distat à brutorum conjunctionibus, quæ vel statim post concubitum separantur, vel aliquo tempore post natos filios persistunt, prout sola mater capax vel incapax est ad natos alendos. Nec ex principiis rectæ rationis nuptiæ inter homines videntur dissociari posse, postquam nati filii perfectæ ætatis sint: & male profecto affirmat Jo. Lokius (*a*), ex naturæ institutis & fine matrimonii nihil esse, quo conjuges post perfectam filiorum ætatem simul stare debeant, etenim qui longo tempore in individua & dulci vitæ consuetudine vixerunt, & reliquo tempore ad mutuum auxilium erunt individui, præsertim si familiæ institutæ sint, & filii apud parentes diu morentur. Porro nec audiendus Jo. Barbeyracius (*b*), qui docet, ex naturæ scitis posse conjuges pactis conventis tempus, quo societas matrimonialis stare debeat, definire, modo quacunque ratione filiorum educationi consulant; ex institutis enim naturæ est, ut ipsi parentes suos liberos instituant: quo spectat lac, quo statim à partu ubera matris turgent, & tener parentum in filios amor: quod mirum est, Barbeyracium non observasse. Cæterum si potiora & primaria capita obligationis nuptiarum violentur, posse eas jure naturali solvi, multi, in primis Pufendorffius (*c*), docent.

Divortia apud gentes recepta.

§. III. Quidquid vero sit de jure naturæ & prima nuptiarum institutione, certe moribus & legibus populorum admissa & probata fuerunt divortia. In primis Hebræi, qua erant cordis duritie & animi levitate, à Dei institutione desciverunt, & divortia ex quacunque causa etiam levissima usurparunt. Etsi enim eorum Magistri in doctrina non convenirent (alii enim docebant, non licere ab uxore divertere, nisi ob *rem turpem*, alii vero tenebant, quamvis causam divortio sufficere); tamen in praxi omnes conveniebant, & ob quascunque causas divertebant, quod Jo. Clericus observat (*d*). Qua in re tanta pervicacia fuerunt, ut Deus eorum duritiei cesserit, & receptos mores tolerarit: nec enim verum est, Mosem edita lege Judæis divortia concessisse, quod recte Buxtrofius (*e*) probat. Similiter apud Græcos in primis Athenienses divortia permissa erant.

(*a*) Lokius Traité du gouvernement civil. chap. 7.
(*b*) Barbeyrac. not Gallic. in Pufendorf. de Jure nat. & gent. lib. 6. c. 1. §. 20.
(*c*) Pufendorf. loc. cit. § 21. & seq.
(*d*) Cleric in Deuteron. XXIV. v. 1.
(*e*) Buxtorf. de Sponsal. & divortiis part. 3.

erant. Etenim viri Athenis ex futilibus argumentis dimittebant uxores: idemque jus ob justas causas etiam uxoribus datum erat (*a*). Nec dissimilia fuerunt Romanorum instituta. *Dirimitur matrimonium*, inquit Julius Paulus (*b*), *divortio, morte, captivitate, vel alia contingente servitute utrius eorum.* Semper licuit Romæ maritis ex justis causis uxorem dimittere: at quousque steterunt antiqui mores, vix divortii exemplum reperitur: primusque Sp. Carvilius Ruga an. ab U. C. IↃXXIII. uxorem ejecit religionis causa, quod apud censores juraverat, se liberorum quærendorum gratia uxorem habiturum, ea vero, quam habebat, ipsi dilectissima, sterilis erat. Inde paulatim corruptis moribus Romani vel ex levissima aut nulla causa divortia usurparunt: qua eadem licentia mulieres donatæ sunt (*c*). Quin sine ira & animi offensa nuptiæ solvebantur, idque *bona gratia* fieri dicebatur. Adeo autem in pejus degenerarunt Romani, ut nulla femina repudio erubesceret, & quædam nobiles & illustres feminæ non consulum, sed maritorum numero annos computarent suos (*d*). Et mirum & incredibile videtur, quod de Thelesina Martialis (*e*) habet, eam spatio unius mensis decimo viro nupsisse.

Matrimonium jure evangelico individuum.

§. IV. Verum enimvero quicunque fuerint Judæorum & aliarum gentium mores, certe jure evangelico divortia interdicta sunt. Christus enim nihil moratus libellum repudii, quem Moses Judæis permiserat, imo addens ob cordis duritiem illis fuisse permissum, docuit origine & natura sua matrimonium esse individuam & perpetuam vitæ consuetudinem; & hinc mœchari eum, qui dimiserit uxorem, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *nisi ob fornicationem* (παρεκτὸς λόγου πορνείας *extra rationem fornicationis*, ut est apud Matthæum V. 32.), & aliam duxerit: mœcharique etiam eum, qui duxerit dimissam. Ita rem Matthæus narrat, proponitque simul regulam & exceptionem (*f*). Marcus autem & Lucas (*g*) regulam tantum proponunt, nulla exceptionis facta mentione. Sed novum non est, aliud exemplum per aliud declarari, & in uno tradi regulam, in alio etiam addi exceptionem. Porro Marcus videtur loqui extra casum τῆς πορνείας, ait enim, quod si quis *dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*, hoc est in illam, seu in ejus injuriam. Quod si factum esset ex causa scortationis, non sane diceretur in illam, idest in ejus injuriam factum; quandoque prius ipsa causam præbuisset, & jus super viri corpus amisisset. Magistri doctrinam inde inculcavit Apostolus, qui

(*a*) Conf. Potter. in archæol. lib. 4. cap. 12.
(*b*) L. 1. D. de Divortiis.
(*c*) Conf. Heinec. in append. ad lib. 1. Antiq. Roman. cap. 1. §. 45. & seq.
(*d*) Seneca de Benef. lib 3. cap. 16.
(*e*) Martialis epigr. 6. 7.
(*f*) Matth. XIX. v. 3. & seqq.
(*g*) Marc. X. v. 2. & seqq. Luc. XVI. v. 18.

qui viri morte ab ejus lege uxorem scribit liberari (*a*). Qua doctrina non videtur Christus novam legem condidisse, sed potius nuptias ad primam originem revocasse, ac ita docuisse, omne matrimonium esse individuum.

Notio fornicationis.

§. V. Itaque per legem evangelicam interdicta sunt divortia, tantumque ex causa τῆς πορνείας aliqua separatio conceditur. Videndum ergo, quæ τῆς πορνείας notio sit, & cujus generis est à Christo concessa separatio. Et quod spectat ad primum, plerisque ex Patribus τῆς πορνείας *fornicationis* vocem stricte interpretati sunt, ut tantum veram & carnalem fornicationem, seu adulterium comprehendat: quam sententiam Tertullianus, Lactantius, Basilius, Hieronymus, Chrysostomus aliique (*b*) tenent. Alii vero laxius fornicationem accipiunt, ut etiam spiritualem fornicationem, hoc est idolatriam, apostasiam, & id genus alia crimina includat, quo sensu Hermes Pastor (*c*) fornicationem accepit, eamque sententiam aliquando etiam Augustinus (*d*) fovit. Ex recentioribus Buxtorfius (*e*) opinatur, Christum verbis λόγȣ πορνείας spectasse verba Mosis, *si in ea* (uxore) *deprehenderit rem nuditatis*, quo nomine venit, & ipse impudicitiæ actus, & actiones & mores vel gestus, ex quibus violatæ pudicitiæ præsumptiones petuntur. Quidquid hujus rei sit, certe vox πορνεία generatim scortationem denotat. Nec videtur Christus unice ad adulterium spectasse; nam quum hoc crimen morte apud Judæos puniretur, nulla esse poterat quæstio, an ob adulterium nuptiæ solverentur. Observatione quoque dignum est, non esse idem πορνείαν & λόγον πορνείας. Etenim λόγος pro ratione rei vel conditione accipitur. Quo sensu accepto vocabulo, separationem Christus videtur concessisse ob causam, quæ similis adulterio, ejusdemque cum eo naturæ sit, vel, quod perinde est, quæ cum fine matrimonii non minus pugnet, quam adulterium. Interim Ecclesiæ Patres fere ad solam adulterii causam fornicationis notionem restringunt: adulterio enim quam maxime infringitur fides maritalis, & præterea eo tempore scripserunt, quo adulteri fere morte non puniebantur.

Multi olim docebant, nec per fornicationem nuptias solvi.

§. VI. Nunc videndum, an separatio conjugum propter fornicationem à Christo concessa, tantum ex parte sit, & salvo matrimonii vinculo solam vitæ consuetudinem abrumpat, an potius totalis, quæ etiam concedat novas nuptias. Augustinus quæstionem de divortiis *obscurissimam & implicatissimam* dixit (*a*). Et Cardinalis Cajetanus asserit, Evangelii verba in causa fornicationis pleno divortio favere (*b*); Ambrosius quoque Catharinus re utrinque expensa tandem concludit, nec ex Evangelio, nec ex Apostolo posse colligi, non licere in causa fornicationis aliud inire matrimonium (*c*). Certe antiqua Ecclesia abiit in diversa, nec hodie ea de re inter Latinam & Græcam Ecclesiam convenit. Et multi quidem docebant, conjugii christiani vinculum ne per adulterium quidem dissolvi, sed tantum vitæ consuetudinem perpetuo abrumpi. Sane Origenes contra Scripturam esse ajebat, ut aliqua viro priore vivente nuberet (*d*). Et Hieronymus similiter docet, dimissam ob fornicationem conjugem innuptam manere debere (*e*): quæ eadem Innocentii Papæ doctrina fuit (*f*). Synodus Milevitana rem promovente Augustino, qui conventui intererat, individuum matrimonii nexum, nec adulterio solubilem, veluti *evangelicam & apostolicam doctrinam* proposuit, contemtores pœnitentiæ subjecit, & legem imperialem ea de re petendam decrevit (*g*). Quæsita lex est, sed non impetrata. In primis vero Augustinus individuum matrimonii nexum nec adulterio solvi multis locis propugnavit (*h*), & rationibus à Scriptura desumptis & à conjugii Sacramento, quo unitas Christum inter & Ecclesiam exprimitur; sed vir sanctus sententiam suam veluti probabiliorem, non ut evangelicam proposuit. Sequentibus sæculis eandem doctrinam multi tenuerunt, eamque Synodus Forojuliensis anno ɪↃcccxcɪ. proponit (*i*), & Hincmarus Remensis multis adstruit (*k*).

Contra alii per adulterium nuptias solvebant.

§. VII. Contra multi ex Patribus & Synodis particularibus existimarunt, per adulterium dirimi ipsum matrimonii vinculum, & licere sive viro, sive mulieri, aut tantum viro conjugem peccantem dimittere, & novas nuptias contrahere. Sane tempore Tertulliani christianæ mulieres *divortio vel mariti excessu* secundas nuptias contrahebant (*l*). Et Synodus Arelatensis I. de adolescentibus fidelibus, qui uxores suas in adulterio deprehendunt, statuit, ut, *in quantum post, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant* (*m*). Fortasse vero Patres tantum consulunt, quod ea æta-

(*a*) Ad Rom. VII. v. 2. & seq.
(*b*) Conf. Binghamus Orig. Eccles. lib. 22. cap. 5. §. 1.
(*c*) Herm. Past. lib. 2. mandat. 4.
(*d*) Aug. de Serm. Dom. in monte lib. 1 cap. 16. & lib. 1. Retract. cap. 19.
(*e*) Buxtorf. de Sponsal. & divort. part. 3.

(*a*) Aug. de Adulterin. conjugiis lib. 1. cap. 25.
(*b*) Cajet. in Matth. cap. 5. & 19.
(*c*) Catharin. tract. de Matrim.
(*d*) Orig. hom. VII. in Matth.
(*e*) Hieron. ep. XXX. ad Ocean. & epist. CXLVII. ad Amandum.
(*f*) Innoc. I. ep. ad Exuper. cap 6.
(*g*) Conc. Milevitan. Can. XVII. n. C. Afric. Can. CII.
(*h*) Aug. de Adulterin. conjug., & de bono conjug. cap. 7. & lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 15.
(*i*) Conc. Forojul. Can. X.
(*k*) Hinc. Remensis ep. XXXVII. cap. 8.
(*l*) Tertull. lib 2. ad Uxor. cap. 1.
(*m*) Conc. Arelat. I. Can. X.

ætate secundis nuptiis quid impuritatis inesse credebatur, non quod tenebant, per adulterium matrimonii vinculum non solvi. Similiter Synodus Venetica an. CCCCLXV. ob fornicationem mulieris viro permittit novas nuptias (*a*). Ex Patribus Lactantius, Epiphanius, Basilius (*b*) aliique luculenter testantur, per adulterium solutas nuptias, & novas contrahi licuisse. Et auctor commentariorum in epist. Pauli, qui sub nomine Ambrosii delitescit, docet, soli *viro licere ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem* (*c*). Theodorus quoque Cantuariensis (*d*): *Cujus uxor fornicatur, licet eam dimittere, & aliam ducere.* Eadem praxis deinceps etiam continuavit, aperte enim Zacharias Summus Pontifex (*e*), Concilia Compendiense (*f*), Vermeriense (*g*), & Regum Francorum capitularia (*h*) aliique ante sæculum decimum Canones post alterius conjugis adulterium novas nuptias concedunt. Quibus aliisque monumentis ductus Christianus Lupus docuit, in veteri Ecclesia probabile fuisse, per adulterium ipsum conjugii vinculum abrumpi (*i*).

Etiam ob alias causas olim nuptiæ solutæ.

§. VIII. Sed non tantum ob adulterium mediis sæculis in Ecclesia Romana & multis Occidentis Ecclesiis separabatur consummatum matrimonium; verum etiam si quod aliud impedimentum dirimens, aut alia causa, quæ cohabitationem impediret, supervenisset. Et profecto Gregorius Papa II. seu potius III. de muliere, quæ infirmitate correpta non amplius viro suo commisceri poterat, respondit Bonifacio Episcopo Moguntino ex tum recepta in Ecclesia Romana doctrina, secundum quam Bonifacius Pontificem consuluerat, bonum quidem esse, si maritus cœlebs viveret, *sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit* (*k*). Similiter in Concilio Compendiense anno IↃCCLVI. viro leproso permittitur dare commeatum mulieri sanæ, ut si ipsa velit, maritum accipiat (*l*). Et in Concilio Vermeriensi anno IↃCCLII. permittitur marito, qui se defendendo morti dedit adgressorem, cum quo in mariti mortem uxor conspiraverat, illam dimittere & aliam accipere (*m*). Veluti ipsius naturæ le-

(*a*) Conc. Venetic. Can. III.
(*b*) Lactant. lib. 6. Divin. instit. cap. 23., Epiphan. hær. 59. n. 4., Basil. Can. IX. ad Amphiloch.
(*c*) Ambros. in 1. ad Cor. VII.
(*d*) Theodor. cap. 116.
(*e*) Can. XXIII. c. 32. q. 7.
(*f*) Can. XIX. c. 32. q. 7.
(*g*) Can. XXIV. eod.
(*h*) Cap. Reg. Francor. lib. 5. cap. 19.
(*i*) Christ. Lupus in dissert. de opinione probabili cap. 5. tom. 11. oper. E. V.
(*k*) Can. XVIII. c. 32. q. 7.
(*l*) Conc. Compend. Can. XVI.
(*m*) Conc. Vermeriense Can. V.

legem auctor quidam magni in Europa nominis habet Gregorii responsionem (*a*). At satius est dicere, multas olim Ecclesias divortia & novas nuptias ob varias causas concessisse, quod putarent, ea Evangelio non adversari. Nimirum de conjugiis & divortiis quæstionem esse obscurissimam & plane à se non posse explicari Augustinus professus est. Et si Gratianus Gregorii sententiam veluti *sacris Canonibus, imo & evangelicæ & apostolicæ doctrinæ penitus adversam* traduxit (*b*), negotium istud potius ex sui temporis doctrina, quam ex antiquis moribus videtur æstimasse.

Leges christianorum Principum de divortiis.

§. IX. Atque hæc fuit de divortiis antiqua Ecclesiæ disciplina. Quod vero spectat ad leges christianorum Principum, eæ passim repudia concesserunt. In primis Constantinus M. parcior fuit: etenim permisit mulieri dimittere virum homicidam, veneficum, vel sepulchrorum violatorem; marito vero dimittere uxorem mœcham, veneficam, vel lenam (*c*): qua in re Constantinus videtur cessisse corruptis moribus (videbat enim sub initium non posse omnia emendari) atque ita mulieri mittere repudium marito adultero non permisit. At sequentes Imperatores divortiorum causas ampliarunt, eaque ex gravibus criminibus jure fieri concesserunt; injusta vero divortia, quæ nimirum fierent propter mores, vel propter leves causas ex consensu modo pœnis affecerunt, modo permiserunt impune, quod ex legibus Honorii, Theodosii junioris & Anastasii constat (*d*). Et Justinianus legitimis repudii causis alias novas addidit (*e*): quin non solum per occasionem rationabilem, veluti monachatum, captivitatem ultra quinquennium & longam viri expeditionem; verum etiam mutuo consensu divertendi copiam fecit (*f*). Tandem vero IↃXL. eliminatis divortiis ex consensu, causas divertendi ad quædam magna crimina restrinxit (*g*). Post Justinianum similes gentium christianarum leges & in Oriente & Occidente latæ sunt, quas Seldenus (*h*) enarrat. Interim leges istæ, quæ consensu vel ex levioribus vitiis repudia concedunt, Evangelio adversantur, videnturque Principes ad evitandos tristes eventus hujusmodi divortia tolerasse. Sed an etiam leges, quæ ob gravia crimina mitti repudia permittunt, juri divino adversentur, non una est virorum doctissimorum sententia. Etenim Andreas Alciatus & Joannes Launojus (*i*) docent, Imperato-

(*a*) Voltaire Histoire générale chap. 126.
(*b*) Grat. ad cit. Can. XVIII.
(*c*) L. 1. C. Th. de Repud.
(*d*) L. 2. C. Th. de Repud. L. 7. & seq. C. Just. eod.
(*e*) L. 10. & seq. C. eod.
(*f*) Novell. XXII.
(*g*) Novell. CXVII. cap. 8. & 9.
(*h*) Seldenus uxor. Hebr. lib. 3. cap. 29. & seqq.
(*i*) Alciatus lib. 6. pareg. 20., Launojus de Reg. in matrim. potest. pars. 3. art. 1. cap. 5.

tores nomen fornicationis, quo Christus apud Matthæum usus est, latius pro omni gravi crimine accepisse, & ex hac sententia suas dedisse leges. Interim non defuerunt Patres, qui jure fori non jure poli etiam ob adulterium concessa divortia statuebant, quorum numero Augustinus fuit (*a*). Etiam Chrysostomus (*b*) leges externas divortia facile concedentes damnat; sed tempore Chrysostomi tantum Constantini lex lata erat, ut proinde is leges ethnicas, quæ suo tempore revixerant, damnare videatur.

Latinæ Ecclesiæ de divortiis firmata doctrina.

§. X. Sed quæ tandiu fluctuaverat divortiorum disciplina, tandem apud Latinos certior evasit; receptumque, ut vivente utroque conjuge nulla ex causa ne adulterio quidem nuptiæ solvantur, & ita sæculi leges Ecclesiæ auctoritati cesserunt. Quæ doctrina post sæculum X. Augustini præcipue auctoritate videtur invaluisse: etenim Ivo Carnotensis & primi scholastici (*c*) uni Augustino ferme innixi veluti certum docuerunt, nec adulterio nuptias dissolvi, contra quam ipse Augustinus fecerat, qui quæstionem de divortiis difficillimam habuit. Inde Pontifices in primis Alexander III. & Innocentius III. rem perfecerunt, qui in responsis suis, nec per adulterium solvi conjugium professi sunt (*d*): tantæque firmitatis rationem Innocentius à *conjugii Sacramento* arcessit, hoc est à perpetua inter Christum & Ecclesiam conjunctione, cujus nuptiæ Sacramentum sunt. Quin idem Pontifex eo etiam Christi verba traduxit, & ex Christi exceptione regulam fecit, *quicunque dimisserit uxorem suam ob fornicationem & aliam duxerit fornicatur* (*e*): quod non jure factum est. Et tandem Tridentini Patres anathema iis dixere, qui asserunt, Ecclesiam errare, dum docuit & docet, secundum evangelicam & apostolicam doctrinam per adulterium matrimonii vinculum non posse dissolvi (*f*). Interim Græca & reliquæ orientales Ecclesiæ perseverant in antiquis institutis, atque ita propter adulterium & alias probatas causas divortia & novas nuptias concedunt (*g*). Cæterum hodierna Ecclesiæ latinæ doctrina ad fidem non videtur pertinere: quod Jo. Launojus (*h*) pluribus adstruit. Et profecto Tridentini Patres non damnarunt sententiam, quæ habet, per adulterium solvi matrimonium, sed potius anathema iis dixerunt, qui erroris accusabant Ecclesiam, quod doceret, nec adulterio solvi matrimonium: id-

(*a*) Aug. lib. 50. homil. XLIX.
(*b*) Chrysost. in I. ad Cor. 7.
(*c*) Ivo Carnotens. ep. CXXV. ad Diambert., Magister sententiar. in 4. dist. 51.
(*d*) Alexander III. in append. Conc. Lateranens. part. 6. cap. 25., Innoc. III. c. 7. ext. de Divort.
(*e*) Cap. 8. ext. eod.
(*f*) Trid. sess. XXV. de Sacram. Matrim. Can. VII.
(*g*) Conf Renaudotius lib. 6. de la perpetuité de la foi chap. 7.
(*h*) Launojus de Reg. in matrim. potest. part. 3. art. 1. cap. 5.

idque fecerunt Patres Venetis legatis intercedentibus, ne Orientis Ecclesiæ, & præsertim christiani in insulis Venetorum Imperio subjectis offenderentur, quod Cardinalis Pallavicinus (*a*) narrat.

Matrimonium legitimum quando solvitur.

§. XI. Illud vero semper certum in Ecclesia habitum est matrimonium legitimum, hoc est inter infideles contractum, omnino dirimi per alterius conjugis ad fidem conversionem, quo casu infidelis discedat. Quod jus Apostolus proposuit: *quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi* (*b*). Id autem à se edicere, non à Domino accepisse, Apostolus profitetur, non quia in hac specie divortium jure divino non admittatur (per Apostolos loquebatur Spiritus S.); sed quod aperte eam legem in Evangelio non invenisset (*c*). Nec tantum solvitur matrimonium, si infidelis discedat, verum etiam si ille quidem morari cum fideli velit sed in religionis injuriam, & peccandi præbeat occasionem, quod Chrysostomus, Augustinus & Pontifices (*d*) tenent. Minus profecto est, infidelem discedere, quam cum conjuge morari, eumque ad peccatum cogere vel invitare. Quod si conjugi ad Christum converso infidelis molestus non sit, fideli Apostolus divortium non concedit, idque ad illius salutem procurandam (*e*). Nullus certe doctor valere tantum potest, quantum uxor vel maritus. Et si Patres Concilii IV. Toletani generatim decreverint, discedere christianas mulieres à maritis Judæis, si isti admoniti ad Christum transire noluerint (*f*), id videtur factum, quod Judæi in Hispania tenaciores suæ religionis evaserant, nec spes ulla suberat, ut per christianas mulieres servarentur. Separatis autem conjugibus per alterius conversionem, si postea infidelis etiam convertatur, antequam prior novas nuptias inierit, matrimonium redintegrabitur (*g*). Quod si ambo conjuges ab initio fideles sint, & alter in apostasiam incidat, conjugii vinculum non solvitur, quod Innocentius III. docet (*h*).

Matrimonium ratum solvitur monastica professione.

§. XII. Porro matrimonium ratum, sed non consummatum, etiam pleno divortio solvitur per alterius conjugis castitatis votum, etiam altero invito, in aliqua probata religione emissum; sæculo septimo doctrina ista etiam in Occidente recepta erat: *desponsatam puellam*, inquit Theodorus Cantuariensis (*i*), *non licet parentibus tradere al-*

(*a*) Pallavic. Hist. Conc. Trid. lib. 22. cap. 4.
(*b*) I. ad Cor. VII. 15.
(*c*) Theodoret. in cit. Apostoli loco.
(*d*) Can. IV. & seq. cap. 28. q. 1., cap. 7. ext. de Divort.
(*e*) I. ad Cor. VII. 12. & seq. Conf. Franc. Floreus in caus. 28. q. 1.
(*f*) Conc. Tolet. IV. Can. LII.
(*g*) Cap. 8. ext. eod.
(*h*) Cap. 7. ext. eod.
(*i*) Theodor. cap. 102.

alteri, tamen ad monasterium licet: quod capitulum apud Gratianum perperam Eusebio Papæ tribuitur (*a*). Et circumferuntur etiam antiquiora exempla Theclæ, Cæciliæ, Alexii & Macarii, qui à nuptiis ad continentiam dicuntur transiisse. Inde Gratianus Alexii & Macarii exemplis & aliis auctoritatibus probavit, posse desponsos, conjuges nimirum, qui rei uxoriæ nondum vacarunt, etiam altera parte inconsulta servare continentiam (*b*). At collectorem hunc ex adverso angebant aliæ, quas congesserat, auctoritates, quibus edicitur, sine alterius consensu non posse conjugatos continentes esse (*c*). Itaque ad conciliationem docuit, ante corporum conjunctionem non esse matrimonium (*d*): in quo turpiter erravit. Quidquid vero sit de Gratiano, inde Pontifices Alexander III. & Innocentius III. responderunt, matrimonium ratum etiam ratione vinculi solvi per alterius conjugis monasticam profesionem etiam altero invito factam, & conjugi relicto novas nuptias contrahere licere (*e*). Observat autem vir doctus Carolus Blascus (*f*), ante Alexandrum III. matrimonium ratum fuisse dissolutum etiam per continentiam sponsi extra monasterium: quæ observatio vera est. At inde ad majoris castitatis custodiam placuit, tantum per solemnem castitatis professionem in aliqua probata religione tantum matrimonium solvi. Hinc quo conjuges de meliori proposito deliberent, post contractas nuptias non statim matrimonio uti coguntur, sed habent duos menses ad monasticam vitam eligendam (*g*).

Consummato matrimonio quis effectus voti castitatis.

§. XIII. Verum enimvero si matrimonium jam consummatum fuerit, tum per monasticam etiam utriusque conjugis professionem vinculum non solvitur. Et si Justinianus edita lege statuit, ut etiam altero conjuge invito posset conjugatus monasticam vitam profiteri, eaque professione ipsum matrimonii vinculum solvi (*h*), dum monasticæ vitæ impense favit, derogavit Evangelio, quod Gregorius M. observat (*i*). Tantum in hac specie ob causam continentiæ bona gratia toro & cohabitatione conjuges perpetuo separantur, si nempe eorum usus ex alterius consensu, vel ambo ex compacto continentiam voveant & religionem profiteantur, aut si vir apud Latinos bona cum conjugis venia sacris ordinibus initietur. Antiqua est Ecclesiæ sententia, qua licet conjugibus ex compacto conti-

(*a*) Can. XXVII. c. 27. q. 2.
(*b*) Gratian. post Can. XXVI. c. 27. q. 2.
(*c*) Can. XIX. & seqq. eod.
(*d*) Gratian. post Can. XXVIII.
(*e*) Cap. 2. & 14 ext. de Convers. conjugat.
(*f*) Blascus Diatr. ad cap. 2. ext. de Convers. conjugat.
(*g*) Cap. 7 ext. eod.
(*h*) L. 53. §. 3. C. de Episc. & Cleric.
(*i*) Gregor. M. lib. 9. ep. XXXIX.

tinentiam profiteri: ex compacto inquam; nam semper improbatum fuit Ecclesiæ Patribus, unum ex conjugibus altero invito continentiam vovere (*a*). Non recte promittitur, quod adhuc est in alterius potestate, nec est grata donatio, si unus offerat rem duorum. Et per nuptias alter conjugum in alterius corpus jus adquisivit. Itaque si altero invito conjux religionem professus sit, cogitur ad priorem statum redire, & pro conjugis voluntate rei uxoriæ vacare: at ipse non videtur uti posse matrimonio, nam ejus promissio, saltem pro eo, quod sui arbitrii erat, sustinetur (*b*). Cæterum si ex alterius consensu conjux unus religionem ingrediatur, sollicite cavendum est, ne alter incontinentiæ periculo abnoxius sit, aut ejus suspicione laboret. Hinc vel ambo monasticam vitam debent profiteri, vel si nulla subsit incontinentiæ suspicio, potest alter promissa castitate in sæculo remanere (*c*). At vir si legitime Episcopus consecretur, uxor omnino videtur ingredi debere monasterium (*d*), ut ita omnis suspicio incontinentiæ, quæ in Episcopum redundaret, tollatur.

Variis causis conjuges toro & habitatione separantur.

§. XIV. Quamvis autem matrimonium ratum & consummatum ex latinæ Ecclesiæ sententia, quod spectat ad vinculum, non dirimatur; tamen multæ sunt causæ, quibus conjuges inviti toro & cohabitatione divertunt, sive perpetuum, sive ad tempus. Præcipua divortii partialis causa est alterutrius conjugis voluntarium adulterium, nec enim jure canonico melior in hac causa est viri conditio (*e*): quo distamus à moribus Romanis, quibus viro licebat uxorem adulteram dimittere: at idem jus uxori non dabatur. Quin debet maritus uxorem adulteram, nisi pœnitentiam egerit, dimittere (*f*): patronus enim turpitudinis videtur esse, qui peccantem non dimittit. Post pœnitentiam vero potest maritus dimissam recipere & maritali affectu retinere, sed non cogitur (*g*): imo potest sine ejus consensu vitam monasticam profiteri, vel sacris ordinibus initiari (*h*): adulterio enim admisso conjux cadit jure in alterius corpus quæsito. Quod si maritus etiam adulter sit, aut ipse uxorem prostituerit, nequit uxorem adulteram dimittere (*i*): quemadmodum nec eam dimittet, si post adulterium admissum & à se cognitum rei uxoriæ vacaverit: censetur enim injuriam remisisse. Porro toro &

(*a*) Basil. Reg. major. q. 12., Paulin. ep. XIV. ad Celantiam, Aug. ep. CCXXVII. ap. Grat. Can. VI. c. 33. q. 5.
(*b*) Cap. 3. ext. de Convers. conjug.
(*c*) Cap. 4. & 8. ext. eod.
(*d*) Conc. VI. Can. XLVIII., cap. 6. ext. eod.
(*e*) Hieronym. ep. XXX. ad Ocean.
(*f*) Can. IV. & VI. cap. 32. q. 1.
(*g*) Can. VII. eod., cap. 3. ext. de Adult. & ibi glossa.
(*h*) Cap. 15. & seq. ext. de Convers. conjugat.
(*i*) Can. I. c. 32. q. 6., cap. 4. de Divort.

& cohabitatione conjuges separantur per alterius conjugis apostasiam aut hæresim (*a*), aut sævitiam (*b*), præsertim ubi insidiæ ad necem deteguntur, aut conjux unus alterum ad mortale peccatum impellat (*c*). Interest vero inter separationem ex his causis & eam, quæ propter adulterium contingit: etenim hæc solet esse perpetua, illa vero duntaxat ad tempus, durante nempe separationis causa. Quæcunque vero fuerit causa, non proprio arbitrio, sed sententia judicis conjuges separantur (*d*).

CAPUT XXXI.

De secundis nuptiis.

An polygamia jure naturali adversetur?

§. I. Secundæ nuptiæ dupliciter accipiuntur, etenim vel denotant eum statum conjugalem, quo vir simul plures uxores habet, qui status *polygamia* dici solet; vel secundas aut tertias nuptias post primi aut secundi conjugis mortem aut legitimum divortium contractas. Et quod spectat ad polygamiam, utrum ea juri naturali adversetur, anceps quæstio est. Certe vero familiis & educationi liberorum convenientius est, unam habere mulierem: idque natura ipsa duce videtur inductum. Etenim in Europa & frigidis regionibus mares fere æquali numero feminis nascuntur: & fortasse eadem est etiam in calidis regionibus inter mares & feminas proportio. Testatur quidem Kempferus in historia Japonica, toto ferme Oriente & calidis regionibus numerum feminarum longe majorem gigni quam masculorum. Et hinc Montesquius (*e*), vir ingenii vere magni, existimavit, polygamiam in Asia & Africa feminarum fecundissimis climati convenire: contra vero in Europa etiam climati adversari. At calculos Kempferianos alii non admittunt; certe vero ab æqualitate naturæ multum distant, quam ista etiam in bestiis constanter servat. Porro polygamia hominum propagationem & multitudinem non promovet, quin potius est impedimento, quod Premontuallus pluribus probat. In uxorum quoque numero omnes viles sunt, animus multitudine distrahitur, & nulla pro socia habetur, quod non bene familiis convenit. Cui naturali rationi vim addit institutio ipsa matrimonii, in qua Deus voluit, ut vir uxori suæ adhæreret, & duo in una carne essent (*f*). Interim & apud Judæos & apud plerasque gen-

(*a*) Cap. 6. ext. de Divort., cap. ult. ext. de Convers. conjugat.
(*b*) Cap 8. & 13. ext. de Restit. spoliat.
(*c*) Cap. 2. ext. de Divort.
(*d*) Conf. Espen. part. 2. tit. 15. cap. 2. n. 18. & seqq.
(*e*) Montesq. l' Esprit des loix lib. 16. cap. 4.
(*f*) Genes. II. 22. & seqq.

gentes polygamia obtinuit (*a*), & nunc etiam in Asia & Africa obtinet. Nunquam autem veteris testamenti justis polygamia vitio data est: quin Ecclesiæ Patres docent, tum Dei concessione fuisse opus religionis plures habere filios, ad Christi genus secundum carnem ob omnibus gentibus distinguendum (*b*). Sed apud Romanos nunquam permissum duas simul uxores habere: & infamis censebatur, qui retenta prima uxore secundas nuptias attentasset (*c*). Etiam apud Græcos vetita erat polygamia: tantumque in necessitate duas simul uxores Græci videntur concessisse (*d*).

Polygamia Christi lege interdicta.

§. II. Similiter Christi lege omnino interdicta est polygamia. Christus enim matrimonium revocavit ad primævam institutionem, qua homo, relictis patre & matre, adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: & hinc mœchari ait eum, qui dimissa uxore, alteram ducat (*e*). Qua doctrina omnino vetita est polygamia: si enim mœchatur qui dimissa uxore alteram ducit, multo magis & ipsa retenta. Porro docet Apostolus, virum & mulierem invicem in alterius corpus jus adquisivisse, adeo ut nec vir habet sui corporis potestatem, sed mulier, & contra (*f*). Nullus igitur inter christianos locus esse potest polygamiæ: nam dum vir plures accipit uxores, prior plenum jus in mariti corpus non habet. Quam christianam doctrinam Ecclesia semper tenuit, & Patres inculcarunt. Sane Patres Concilii Toletani I. Canonem habent, quo edicitur, ut fidelis unam mulierem sive uxorem sive concubinam, ut ei placuerit, adjunctam habeat (*g*): conjunctio tum licita erat concubinatus; erat enim naturale matrimonium cum femina inæqualis conditionis effectibus civilibus omnino destitutum. Nec leges civiles christianorum Principum unquam polygamiam permiserunt. Et profecto mera fabella est Socratis (*h*) narratio, Valentinianum Severæ conjugis prædicatione in Justinæ amorem pellectum, ipsa Severa retenta, cum Justina nuptias contraxisse, & legem porro proposuisse, *ut cuivis liceret duas simul uxores legitimas habere*: quod post Baronium & Valesium Binghamus (*i*) probat.

Secundæ nuptiæ christianis licitæ.

§. III. Altero autem sensu acceptæ secundæ nuptiæ, quatenus sci-

(*a*) Conf. Grotius de I. B. ac P. lib. 2. cap. 5. §. 2.
(*b*) Aug. de Bono conjug. cap. 19.
(*c*) L. 18. C. ad L. Jul. de Adulter. Conf. Brisson. de Jure connub.
(*d*) Conf. Potter. archæol. lib. 4. cap. 11.
(*e*) Matth. XIX. 3. & seqq.
(*f*) I. Cor. VII. 4.
(*g*) Conc. Tolet. I. Can. XVII.
(*h*) Socrat. lib. 4. cap. 31.
(*i*) Bingh. Orig. Eccles. lib. 16. cap. 11. §. 5.

scilicet denotant nuptias secundas aut ulteriores legitime soluto priore aut secundo matrimonio contractas, nusquam gentium interdictæ sunt. Quid enim mali est secundam ducere uxorem, ubi nexus cum priore jam solutus est? Id jus etiam apud christianos semper obtinuit: luculenter enim docet Apostolus, mulierem viri dormitione nuptiarum nexu liberari, & cui vult, nubere posse (*a*). Et profecto vim Apostolo fecerunt Montanistæ, qui ex novis Spiritus sancti revelationibus Montano factis secundas nuptias damnarunt: quam hæresim etiam Novatiani amplexi sunt. Ecclesiæ vero doctrinam Hermes (*b*) antiquissimus scriptor proponit, qui docet, non peccare conjugem, qui post alterius mortem iterum nubit, at magnum apud Dominum consequi honorem, si sine conjuge permanserit. Similiter Tertullianus testatur, apud catholicos nuptias iterari, eoque nomine eos *psychicos*, hoc est carnales & incontinentiæ deditos appellat: *Hæretici nuptias auferunt, psychici ingerunt, illi nec semel, isti non semel nubunt* (*c*). Cui doctrinæ adhærens magna Synodus Nicæna sub ea conditione Novatianos recepit, si cum digamis, hoc est iis, qui secundas nuptias celebrassent, communicarent (*d*). Nec tantum secundas nuptias stricte sic dictas, verum etiam ulteriores Ecclesia permittit, quod Augustinus docet (*e*).

Secundæ nuptiæ Patribus invisæ.

§. IV. Quamvis autem secundæ nuptiæ jure evangelico permittantur; tamen antiqui Patres eas veluti impuritatis & incontinentiæ plenas traduxerunt, & quidem adeo durioribus verbis, ut eas damnare videantur; appellant enim *fornicationem* (*f*), *speciosum adulterium* (*g*), & *honestam fornicationem* (*h*). In trigamos vero & ulteriores nuptias, quod consequens erat, Græci Patres sunt inclementiores: etenim Gregorius Nazianzenus affirmat, quartum conjugium esse porcinam vitam (*i*); & Basilius M. tertias & quartas nuptias indignas esse ait, quæ *mariti & uxoris nomina donent* (*k*). Ex qua doctrina Imperator Basilius Macedo quartas nuptias per Orientem omnino irritas fecit. At apud Latinos tertiæ & ulteriores nuptiæ irritæ nunquam factæ sunt, etsi numerositatis & incontinentiæ nota adspergerentur. Itaque Synodus Neocæsariensis & Basilius M. publicæ pœnitentiæ digamos subjecerunt (*l*), non quod secundas nuptias

(*a*) I. ad Cor. VII. 39., & I. ad Timoth. V. 14.
(*b*) Hermes Past. lib. 2. mand. 4. n. 4.
(*c*) Tertull. de Monog. cap. 1.
(*d*) Conc. Nicæn. Can. VIII.
(*e*) Aug. de Bono viduit. cap. 11.
(*f*) Clemens Alexandr. lib. 3. strom.
(*g*) Athenagoras Legat. pro christian.
(*h*) Chrysost. seu auctor. operis imperfecti in Matth. hom. XXXII.
(*i*) Gregor. Nazianz. orat. XXXI. cap. 3.
(*k*) Basil. ep. can. cap. 4.
(*l*) Concil. Neocæsar. Can. III., Basil. loc. cit.

tias damnarent, sed quod nota incontinentiæ jejuniis & orationibus videretur expianda. Nata est detestatio ista secundarum nuptiarum à studio continentiæ, quod primis sæculis inter christianos increbuerat, & hinc christiani vel cœlibes omnino vivebant, vel monogamiam servabant, quod Minucius Felix & Theophilus Antiochenus testantur (*a*); minus vero perfecti & incontinentes censebantur, qui ad secundas nuptias transibant. Quæ incontinentiæ macula digamos à Canone fecit alienos: qui enim christiano dedicantur sacerdotio, omnino perfecti sint oportet: quamvis temporis lapsu Ecclesia Latina ex Sacramenti defectu irregularitatem digamorum metita sit (*b*). Cæterum quid mirum si antiquioribus christianis non adeo secundæ nuptiæ placuerint, quando etiam apud gentes viduitas magni fuit, quod Heineccius (*c*) pluribus demonstrat.

Benedictio secundarum nuptiarum.

§. V. Permissæ quidem christianis erant secundæ nuptiæ, at ex antiquis institutis, & apud Græcos & Latinos sacra benedictione non consecrabantur (*d*). Macula incontinentiæ, qua digami ex Patrum sententia adspergebantur, videtur fecisse, ut Ecclesia secundo nubentibus benedictionem denegaret. Hinc si sacra benedictio nuptiis sanctitatem & gratiam conciliabat, videntur secundæ nuptiæ Sacramenti religione caruisse. Sed lapsu temporis in utraque Ecclesia secundæ nuptiæ benedictæ sunt: idque forte cœpit postquam Caroli M. & Leonis Sapientis legibus inductum est, ut sacra benedictio ad vim ipsam nuptiarum pertineret. Hinc Aristenus Græcus Canonum interpretes Neocesariensem Canonem, quo vetatur Presbytero digamorum convivio interesse, ex disciplina suæ ætatis ita interpretatus est: *Sacerdos, qui digamo benedixit, à mensa debet recedere, & non cum eo convivari.* Benedictio autem ista secundarum nuptiarum apud Græcos tantum differt ab ea, quæ primo nubentibus datur, quod contineat orationes, quibus Deus exoratur, ut digamis parcat (*e*). At apud Latinos minus solemni benedictione extra Missarum solemnia secundæ nuptiæ benedici cœperunt, quando primæ nuptiæ in publica Missa solemni benedictione donatæ sunt, & adhuc benedicuntur. Et hinc quando posteriora Latina monumenta affirmant, secundas nuptias non esse benedicendas, de solemni benedictione intelligenda sunt. Cæterum si Urbanus III. ideo secundo nu-

(*a*) Minuc. Felix in Octavio cap. 31., Theoph Antioch. lib. 3. ad Autolyc.
(*b*) Conf. Thomass. de Benef. part. 2. lib. 1. cap. 78.
(*c*) Heinec. ad L. Jul. & Papiam lib. 2. cap. 16.
(*d*) Conc. Neocæsar. Can. VII, Innocent. I. epist. ad Victric. Rothomag. cap. 9. S. Cæsarius serm. 289. in append. oper. S. August.
(*e*) Conf. Chardon. histoire du mariage chap. 4. art. 2.

nubente non debere benedici doceat, quod nuptialis benedictio iterari non debeat (*a*), id proculdubio dixit ex sui temporis disciplina, qua secundarum nuptiarum incontinentia tantum non evanuerat. Recentiores autem rituales edicunt, secundas nuptias non esse benedicendas, præsertim si sint secundæ ex parte uxoris, & hæc semel benedicta fuerit.

Pœnæ secundarum nuptiarum intra annum luctus sublatæ.

§. VI. Separato per mortem viri matrimonio, licet viduæ ex præsenti disciplina absque infamiæ nota statim ad secundas nuptias convolare. Jure Romano vetabantur viduæ intra annum luctus nubere: eratque annus iste ex antiqua Romuli lege decem mensium (*b*), tum Gratiani, Valentiniani & Theodosii lege duobus mensibus auctus est (*c*). Duplici vero ratione ex Romanis institutis anni luctus religionem viduam viro præstare oportebat, ut Harmenopulus (*d*) explicat *ne semen commisceatur, & propter reverentiam & honorem, quem debet marito.* Tantum viduæ maritos, non mariti uxores lugere debebant (*e*), ac proinde statim ab uxoris morte jus erat viro aliam ducere uxorem. Luctus autem anno mulieres nubentes notabantur infamia, nihil capiebant ex testamento & mortis causa donationibus quorumcunque; amittebant quæ eis mariti supremis tabulis reliquissent: nec hæreditates ab intestato, vel legitimas vel honorarias ultra tertium gradum vindicabant (*f*). Honestatis & pudoris plena erat ista juris civili sanctio, eamque proculdubio christiani pudoris studiosissimi olim servarunt: quin in capitulis Theodori Cantuariensis expresse continetur, ne vidua intra annum luctus nubat (*g*). At jure Decretalium mulierem, quæ intra annum luctus nubat, nulla manet infamia: idque ex Apostoli sententia esse Urbanus III. & Innocentius III. responderunt (*h*). Quamvis haud scio, an Apostolus, dum docuit, mulierem viri dormitione nexu nuptiarum liberari, & cui vult, nubere posse (*i*), festinas & infames nuptias permiserit: annus enim luctus publicis legibus pudore plenis status erat; & deinde Apostolus viduæ, extincto viro, potius cui velit, quam quando velit, nubere permittit. Nec tantum infamia, verum etiam cæteræ pœnæ, quæ in odium secundarum nuptiarum decretæ erant, ob eandem rationem hodie sublatæ sunt, quod judicatum Antonius Faber (*a*) refert: at stant adhuc leges quæ, in favorem liberorum primi matrimonii statuunt (*b*).

(*a*) Cap. 3. ext. de Secund. nuptiis.
(*b*) Conf. Brisson. de Jure connubior.
(*c*) L. 2. C. de Secund. nupt.
(*d*) Harmenop. lib. 4. tit. 6.
(*e*) L. 9. De his qui notant. infam.
(*f*) L. 1. c. eod.
(*g*) Theodor. Cantuariens. cap. 72.
(*h*) Cap. 4. & seq. ext. de Secund. nupt.
(*i*) 1. ad Cor. VII. 39.

(*a*) Ant. Faber eod. lib. 5. tit. 5. def. 1.
(*b*) Conf. Gudelin. de Jur. novis. lib. 1. cap. 12.

FINIS TOMI TERTII.